P. J. P. Eremitar
Camaldul: Vigilassen

bus, dimiserit. Quantoq; gaudio B. Virgo & Joseph. exultarunt.

3. *Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Considera Magos, quia tam liberales in Christum fuere, (totos se cum thesauris suis offerendo, nihilque de fide, ob vilitatem & paupertatem parentum detrahendo,) nova gratia per miraculum ornari, ne redeant ad Herodem, id est, ne malorum consuetudine damnum capiant; ut discas quando tu liberaliter te, tuaque obtuleris Deo, Deum vicissim te non derelicturū, nec passurum ut mundi societatem requiras in maligno positi, sed potius facturum, ut per aliam viam mundo contrariam, id est, paupertatis, contemptus tui, & mortificationis ac crucis tendas in regionem tuam, id est, paradisum cælestem, unde omnes exulamus.

DOMIN. I. POST EPIPHAN.

De ascensu Christi in templum, anno duodecimo. Luc. 2.

1. NAtus Iesus annos 12. è Nazareth, profectus est Hierosolymam. Considera quantâ devotione Beata Virgo cum Jesu & Joseph quotannis iverit Hierosolymam ad celebrandum Pascha, cùm fœminæ ad id non tenerentur, minùs puer JESUS, ut discas multa facere, ad quæ non teneris, & libenter loca sancta, precandi causâ, licet remota, adire. 2. Cogita te videre puerum Jesum junctis manibus, & post eum B. Virginem & Josephum ardenter & multis horis orantes. O utinam ex illo ferventium precum igne una scintilla incideret in orationum nostrarum frigus!

2. *Remansit illic nesciis parentibus.* Considera intimum dolorem B. Virg. quando domum repetens vesperi non invenit suum Jesum, quem putabat esse cum Joseph, quot gemitus ambo ediderint, quot lachrymas fuderint, nescientes quò

quò ſe verterent, quia erat nox, ſed nec cibum nec ſomnum ea nocte ſumpſerint. 2. Cogita, cùm te volueris divino cultui dedicare, vel inſpirationi divinæ ſatisfacere, poſſe parentes, ſi reluctentur, eorumque conſilia deſerere. Tunc enim Deo magis obediendum, quàm hominibus. Deinde Chriſtum aliquando etiam piis, ſe, ſuasque conſolationes ſubtrahere, ut diſcas ſollicitè eum, ejuſque gratiam cuſtodire. 3. Vide Chriſtum in angulo aliquo templi illa nocte ardenter orantem, de die verò vel orantem, vel pia loquentem inter pueros, vel panem oſtiatim emendicantem.

3. *Poſt triduum eum invenerunt in templo, ſedentem inter Doctores: & ipſe illis cauſam moræ percontantibus, reſpondit: (Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.*) Cogita quomodo B. Virgo, in reditu ab omnibus obviis quærat de filio, eoque conſpecto, quantum gaudium obortum cum lachrymis, quomodo irruerit in oſcula, nunc ipſa, nunc Joſeph, quas querelas depoſuerint. Quomodo viciſſim eas ſolatus. Quan-

 tum

tum Doctores illum laudarint coram ipsis. 2. disce Christum inveniri in templo, non inter cognatos, & carnales homines. Disce & humilitatem, ut non pudeat alios audire & interrogare quæ nescis.

DOMINICA II. POST Epiphaniam.

De nuptiis in Cana Galilææ. Joan. 2.

1. *Invitatus fuit Christus cum discipulis suis ad nuptias.* Considera primò humilitatem Christi, qui non dedignatur ire ad nuptias inopum; defecerat enim iis vinum. 2. mysterium, quia matrimonium est symbolum conjunctionis Christi cum Ecclesia, cujus tu es membrum, ut scias, sicut post nuptias sponsa non potest amplius divelli à sponso, sic nec tu à Christo, eoque magis, si per votum castitatis eum in sponsum elegeris. 3. scopum Christi, ideò enim adiit nuptias, ut fructum & temporalem & spiritualem iis afferret.

2. *Deficere vinum mater Christum mo-*

monuit. (*Vinum non habent.*) *Et ministris dixit: Quodcumque dixerit vobis facite.* Considera primò sicut olim B. Virgo per suam humilitatem dicendo; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum,* Luc. 1. causam dedit summo miraculo Incarnationis, ut Deus fieret homo, sic nunc per charitatem causam dedisse primo Christi miraculo, ut aqua fieret vinum. 2. si sollicita fuit non solùm de defectu universali per adventum Messiæ tollendo, sed & de particulari harum nuptiarum; sollicitam quoque fore de tuis defectibus, corporalibus & spiritualibus tollendis, si eam invocaris. 3. quod ita sit sollicita de nobis, ut velit nos etiam cooperari. Nam dicit ministris: *Quodcumque,* &c. cooperamur autem, si libenter faciamus quidquid Christus nobis inspirarit, si voluntatem nostram cum divina in omnibus conformemus.

3. *Aquam in vinum Dominus convertit.* (*Et manifestavit gloriã suam, & crediderunt in eũ discipuli ejus.*) Considera hoc primũ miraculum Christi, typũ esse

ultimi miraculi facti ante passionem in institutione S. Eucharistiæ, quando panem in corpus suum, vinumque in sanguinem convertit; ut discas huic potiùs sacro convivio, quàm illi nuptiali profano sæpe interesse. 2. Considera te verum invitatorem Christi fore, si ita inter homines verseris, ut aquam primò in vinum convertas, id est, peccatores coneris facere justos, bonos meliores: deinde omnia ad gloriam Dei, non tuam agas. Et, si aliorum sis magister ac superior, discipulos & subditos, tuâ doctrinâ & sanctitate reddas in fide firmiores, & amore Dei ferventiores.

II. MEDITATIO.

1. DIcit Evangelista: (*Et mater Iesu erat ibi,*) *id est, in nuptiis.* Cõsidera illam ibi fuisse, antequam Christus advenisset. Cui verò prævenit? nisi ut operam suam illis inferret in parandis nuptiis, & ut incitaret ad Christum imitandum? hoc est, ut charitatem perfectam, corporalem & spiritualem erga eos declararet. 2. ubi B. Virgo est, vel colitur, ibi

ibi continuò adesse Christum cum suis sanctis. Non potest filius abesse à matre nec magister à discipulis. Gaude ergo si in sodalitate B. Virg verseris, vel singulari devotione eam colas: nam certus esse debes Christum tibi cum omnibus sanctis affuturum.

2. *Dicit eis Iesus* (*implete hydrias aqua, & impleverunt eas usque ad summum.*) Considera primò, licet miraculum ex sola Dei virtute pendeat, Christum tamen nostrum quoque conatum postulare, quamvis difficultatem nonnullam habeat conjunctam, erant enim maximæ hydriæ, deinde conatum nostrum esse debere non qualemcumque, sed perfectum, quia ministri implerunt eas ad summum, unde vulgò dicitur, Deum nemini deesse suâ gratiâ, si faciat quod in se est. 2. eos habere hydrias sex implendas, animam, corpus, intellectum, voluntatem, sensus internos & externos, *thesaurum enim gestamus*, ut ait Apostolus 2. Cor. 4. *in vasis fictilibus*, sed implendæ sunt aquâ contritionis & lachrymarum, ut convertantur in vinum gra-

tiæ. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non despiciet*, ait David Psalm. 50.

3. *Architriclinus dicit sponso: Omnis homo primò bonum vinum ponit, deinde quod deterius est.* Considera mores hominum hujus mundi contrarios esse moribus & legibus veri sponsi Christi: illi enim primò vinum bonum suis in hac vita apponunt, id est, voluptates, honores, & opes; deinde verò deterius, nempe crucem conscientiæ, desperationem, damnationem æternam. Christus verò commendat suis paupertatem, fletum, crucem, tribulationes in hac vita, deinde verò thesauros magnos in cælo ac æterna gaudia. Vide tù utros malis sequi. B. Augustinus certè Christum maluit quàm mundum, cùm diceret: *Hic ure hic seca, Domine, modò in æternum parcas.*

DOMIN. III. POST EPIPH.

De Leproso, & Centurionis servo. Matth. 8.

1. Leprosus adorato Christo dixit: (*Domine si vis, potes me mundare.*) Considera

ſidera primò, Chriſtum poſt deſcenſum ex monte, in quo multa dixerat de dilectione proximi, jam venire ad praxim, & exercere illam: ut diſcas doctrinam debere reſpondere cum vita. Diligere enim debemus proximum non tantùm verbo, ſed opere & veritate, ut loquitur B. Joannes. 2. Vide quid faciat leproſus, ut impetret ſanitatem, humiliat ſe, fidem ſuam magnam opere adorationis proteſtatur, agnoſcit, & fatetur ſe leproſum, ſolique divinæ voluntati ſe committit, dicens: *Si vis potes*: ut diſcas tum orationem tuam fore efficacem, ſi humiliter petas, & cum reſignatione, ut tantùm voluntas Dei fiat, ſive ſanus, ſive infirmus eſſe debeas, fortè enim hic leproſus ſi infirmus non fuiſſet, Chriſtum non quæſiſſet.

2. *Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare.* Cōſidera primò Chriſtum, cū verbo poſſet, tactu tamen voluiſſe eum ſanare, ut doceret te non debere abhorrere à pauperibus, vel ægris, quando potes eos juvare. S. Mar-

tinus & S. Franciſcus leproſum oſculati ſunt, S. Elzearius, & S. Margareta regina Scotiæ etiam pedes eis lavêre. Et eadem ratione nec deſiſtere à ſceleſtiſſimis hominibus juvandis. 2. Cogita & te fieri leproſum, quando animam tuam ſinis vel uno peccato mortali, vel multis imperfectionibus fœdari, & ideò te indigere etiam tactu frequenti ſanctiſs. carnis Chriſti in S. Euchariſtia.

3. *Dixit Ieſus, mundare*: (*Vide nemini dixeris: vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus.*) Conſidera, quantopere piis cavenda ſit vana gloria, quæ, ſicut umbra corpus, ita ſolet ſequi bona opera, cum Jeſus, nec timuerit ſe peccaturum, & potiùs debuerit promulgare hoc ſuum opus. 2. quod pudere nos non debeat peccata etiam turpiſſima & graviſſima confeſſario, vel Patri ſpirituali patefacere, ut oratione, conſilio, & impoſitâ ſatisfactione, perfectè à lepra peccati liberemur. 3. bonum eſſe, gratum erga Deum animū, teſtari etiam munere externo, offerendo illud in templo, vel gratias pro beneficiis acceptis Deo agendo.

do. Deus enim ideò sibi cupit aliquid de tua substantia dari, vel à te crebras gratias agi, ut tibi plura dare possit.

II. PARS.

De Centurione.

1. In urbe Capharnaum, *Centurio dixit Iesu, servum suum iacere paralyticum, & malè torqueri.* Considera primò charitatem Centurionis, etiam pro vili servo solliciti. Et Christi humilitatem, qui non dedignatus illum, respondit. *Ego veniam, & curabo eum*, ut discas, si superior sis, etiam viles subditos non respuere: & si non sis, exemplo Christi, promptè eis cùm potes, succurrere. 1. Expende, num tu quoque sis paralyticus, primò enim servus peccati es & passionum, si eas non expugnes. 2 iaces in lecto, si affectu sis immersus rebus mundi. 3. es paralyticus, si sis in peccato mortali, quia nihil potes operibus bonis mereri. 4. malè torqueris si excruciet te in aliqua re conscientia, & nimia sollicitudo rerum temporalium.

2. *Re-*

2. *Respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum, &c. nam & ego homo sum sub potestate constitutus, dicens huic; Vade & vadit.* Considera, Centurionem eo ipso, quòd indignum se reputat, factum dignum, ut Christus intraret non domum, sed cor ejus. Vide quot virtutes hic declaret. Humilitatem, dum indignū se putat Christi præsentia. Fidem, dum credit absentem verbo posse sanare. Sapientiam, dum à nemine doctus agnoscit Deum, Dominū omnium creaturarum, cui creaturæ facilius obedire ad nutum debeant, quàm famuli sibi. O fides eximia, non gentilis, sed Christiani: non militis mundi, sed Christi.

3. *Christus miratus tantas virtutes in homine gentili, prædixit multos gentiles ubique convertendos, filios autem regni, id est, Iudæos, ejiciendos in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dētium.* Cōsidera primò Christum miratum ejus virtutes, non quod ignoraret, sed ut declararet quanti faciendæ sint in eo, qui omnium rerum divinarum est ignarus.

Secun-

Secundò, ut disceres non attendere Deum ad statum, an Judæus quis sit vel, gẽtilis, religiosus, vel sæcularis, sed ad veras virtutes. 3. Considera non quia Christianus. B. V. Sodalis, vel Religiosus es, ideò te securum de salute, sed si humilitatem, charitatem, aliasque Centurionis virtutes imiteris. Quò enim plura dona à Deo, accepisti, hoc gravius punieris, si eis usus non fueris.

DOMIN. IV. POST EPIPH.

De sedata maris tempestate. Matth. 8.

D*Ormiente Christo, coorta est in mari vehemẽs tempestas.* Considera Christo dormiente in navi, Angelos ascendisse & descendisse de cælo, ut accidit Jacob Patriarchæ dormienti in Bethel. Gen. 28. 2. licet in navi Ecclesiæ, vel religionis cum Christo sit, tamen ideò te non immunem fore à tentationibus dæmonis, mundi, & carnis, imò magis obnoxium. *Omnes qui piè vivere volũt*, ait Apostolus 2. Tim. 3. *persecutionem patientur*. 2. Christum tum dormire, & per-

permittere nos tentari, quando nos in fide imperfecti, & tepidi in divino servitio sumus, ut primò agnoscamus nostram infirmitatem, 2. ut ejus auxilium invocemus. 3. ut cooperemur, & faciamus quod in nobis est. 4. ut plus mereamur certando. 5. ut consolatio sequatur major, post superatam tentationem.

2. *Excitarunt eum à somno territi discipuli, quos de fidei levitate arguit.* (*Quid timidi estis modicæ fidei?*) Considera, quanta consolatio sit homini Catholico, vel religioso, dum scit secum esse Christum, maximè si crebrò communicet: quia in qualibet tribulatione potest ejus consilium invocare, 2. Cogita meritò, Christum discipulos arguere de nimio timore, & modica fiducia, quia omnes, etiam, qui pii esse cupimus. in eo ferè delinquimus, quòd nimis timidi simus, ut verbi gratiâ ne rideamur ab aliis vel nimis pusillanimes, in gravi tentatione superanda, nec plenè in divina gratia confidamus; & ideò nec proficimus.

3. *Ventis & mari præcepit, ut conquiescerent*

escerent, & facta est statim tranquillitas, unde obstupentes homines dicebant: (Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?) Considera, quàm admiranda sit Dei potentia, quòd omnes creaturæ, licet rationis expertes, ac etiam furiosum mare, ad nutum obediat, solus verò homo ad imaginem Dei factus, rationis compos obedire aliquando nolit. Hoc enim magis est stupendum, quàm illud. 2. Quanta Dei sit bonitas, ut licet culpabiles simus, sæpe & immorigeri, tamen statim atque opem ejus imploraverimus, sedet tempestatem tentationum dæmonis, mundi, & carnis. 3. Considera in hoc consistere perfectionem obedientiæ creaturæ erga creatorē, subditi erga superiorem, quem loco Dei habet; ut statim nullâ morâ interpositâ obediat, & imperata exequatur.

DOM. V. POST EPIPH.

De bono semine & zizaniis.
Matth 13.

I. S*Imile est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.*

 Con-

Confidera regnum Dei esse intra nos, ut dicit Christus: ager est anima nostra, quam primo aratro contritionis profcinde. 2. semē boni propositi de vita vel vitio emendando in eam injice. 3. orationibus ferventibus & lachrymis irriga. 4. mortificatione quotidianā subjice, donec moriatur mundo, nisi enim granum mortuum fuerit, ipsum solum manet. 5. in dies proficere stude, ut cùm semen ad maturitatem spicæ venerit in hora mortis illud horreum vitæ æternæ ministris Angelis colligas.

2. *Cùm dormirent homines, inimicus superseminavit zizania, & abiit.* Cogita simul, atque bonum aliquod propositum feceris, non defuturas tentationes illi contrarias. *Tentatio enim est vita hominis super terram*, ait Job. Et: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Act. 14. Causa est, ut plus mereamur & similes simus Christo multa passo. 2. Cogita eò magis tibi vigilandum, quòd tres inimicos habes capitales & insomnes, dæmonem, carnem, & mundum. Vigilabis autem, si quotidie

tidie per examen conſcientiæ notes an aliqua zizania ab illis tibi immiſſa ſint in cor, id eſt, cogitationes repugnantes tuo bono propoſito, eaſque ſtatim eradica, ne ſi diutiùs hæreant, poſtea cogaris extirpare & triticum ſancti propoſiti. 3. adverte inimicum, ubi ſuperſeminavit, abire & deſerere agrum, hoc enim proprium eſt mali ſeminatoris, ut deſerat animam, & relinquat conſcientiam triſtem; boni autem, ut lætam & pacatam.

3. *Tempore meſſis, meſſores zizania in ignem projêcere, triticum autem collegêre in horreum.* Conſidera meſſores eſſe Angelos ut Chriſtus exponit; & malos quidem zizania noſtra, id eſt, mala opera annotare, bonos verò bona, & in fine vitæ ea producere in conſpectum æterni judicis, ut juxta ea judicemur. 2. Cogita, quamdiu in hac vita es, te poſſe eſſe meſſorem, quoties examinas conſcientiam, aut confiteris Sacerdoti, ut ſic zizania ſeminata ex corde tuo extirpes. Si enim nos hic judicaverimus, non utique poſt mortem judicabimur: ſi hic

illa igne pœnitentiæ combusserimus, ibi non conjicientur in ignem inferni.

DOMINICA LXX.

De operariis in vineam missis.
Matth. 20.

1. Considera cur Ecclesia hoc die Alleluja, Gloria, & alia cantica læta omittat usque ad Pascha; nempè, quia dies sunt luctus, & pœnitentiæ agendæ ob peccata toto anno, vel vitâ, quæ ultra 70. annos vix durat commissa. Cujus typus fuêre 70. anni Babyl. captivitatis. Quia autem in pœnitentia labor subeundus est, ideò de operariis Evangelium proponitur.

2. Considera operarios variis horis diei mitti in vineam à Domino, quia alii ad fidem, vel religionem initio, alio in medio, vel fine vitæ vocantur. Idem ad vitam æternam, alii juvenes, aliis senes; sed nullus mercedem accipit, nisi strenuè laboret, & perseveret usque in finem.

3. cogita vineam tuam, esse animam tuā vel proximi, cujus cultu, ut vitam æternam

nam merearis, 1. vites ſedulò amputa, id eſt, ſuperflua reſcinde. Habentes enim quod edamus, & unde veſtiamur, contenti eſſe debemus. 2. alliga ad ſtipitem, id eſt, Chriſtum, implorando ejus gratiam, ſine qua nihil poſſumus facere. Liga vinculis boni propoſiti, regularum ſodalitatis, vel votis religionis, ſi id Deus inſpirat. 3. expone ſoli, & libenter fer pondus diei & æſtus, ſciens fervorem in bonis operibus Deo gratiſſimum. 4. impingua pinguedine crebræ confeſſ. pecc. & S. Euchar. *Pinguis enim eſt panis Chriſti.* Joan. 6. vitam ſuſtentans in æternum.

3 Conſidera noviſſimos ultimâ horâ vocatos eandem mercedem accepiſſe cum primis, ut diſcas Deum profectum noſtrum non metiri diuturnitate temporis, quo ei ſervimus, ſed ex ſtudio verarum ſolidarumque virtutum pura intentione, & zelo magno, ac fervore, deinde quotidiano profectu, contemptu profundo ſui & mundi, conformatione voluntatis cum voluntate divina in omnibus adverſis æquè ac pro-

ſperis. Unde videmus miraculis claros factos etiam qui brevi tempore ſanctè vixerunt. 2. Cogita de illa Chriſti concluſione: *Multi vocati, pauci electi*, quàm meritò timere debes, niſi paucis bonis te adjungas, id eſt, anguſtam viam, de qua *Matth.* 7. dicitur, quòd pauci eam ingrediantur, teneas.

DOMINICA LX.

De ſemine in terram jacto.
Matth. 13.

1. IEſus ad turbas dicit: (*Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.*) Conſidera Deum, qui nos ad laborem in vineam vocat, etiam ſemen ſuum, id eſt, gratiam & auxilia per varia media, quo bonitatem paternam erga nos declaret, communicare per pulchritudinem cæli & creaturarum, per legem ſcriptam in cordibus, vel conſcientiis, conciones, lectionem, inſpirationem, exempla, leges Eccleſiæ, regulas cujuſque ſtatus, vim ſacramentorum, monita parentum

rentum & præceptorum, morbos, bella, &c. tu vide, an omnibus usus fueris; & si nullis, fore inexcusabilem.

2. *Et aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas.* Considera semen bonum agro cordis tui per dicta media injectum, tribus de causis posse reddi infructuosum. 1. si ad conciones, & alia media, vel non seriò attendas, vel non animo proficiendi, aut ad te pertinere non putes, aut contemnas. 2. si attendas quidem, sed cor durum & petrosum retineas, ut nolis veteres occasiones delinquendi mutare, metu confusionis, irrisionis, vel afflictionis secuturæ. 3. paratus quidem sis ad omnia facienda, sed animo nimium intentus sis opibus congerendis, domesticæ rei curandæ, venationi, aliisque recreationibus, studiis litterarum profanis vel sacris, ut excellas aliis. Hæc enim immoderata cupiditas, quasi spinæ, suffocat spiritum pietatis, ut orandi, meditandi, se mortificandi, &c.

3. *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Considera

primò, terram bonam esse cor bonum & optimum; ut Christus exponit: Nihil enim gratius est Deo, quam si ei seminanti offeras cor tuum, id est, bonam voluntatem. Unde Prov. 3. dicit: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Offer ergo, ac roga, ut illud inflectat quò velit. 2. cor bonum eos offerre, qui parati sunt Dei præcepta, & Ecclesiæ servare, ne excidant ex gratia Dei. Optimum autem, qui parati sunt non tantùm declinare à malo, sed etiam facere bona, ad quæ ex præcepto non tenentur, deinde & mala, id est, tribulationes, voluntarias pœnas, opprobria, & mortem pro Christo sustinere.

DOM. QUINQUAGESIMÆ.

De passione Christi, & cæco.
Luc. 18.

I. C*Hristus prædixit 12. discipulis passionem suam, & ipsi nihil horum intellexerũt.*) Considera primò ab Ecclesia hoc Evangelium proponi, ut te deterreat à licentia peccandi, quæ solet esse his diebus, cum mundus prorsus insanit

ſanit & cæcus eſt: nihil enim efficacius à peccato retrahit, quàm meditatio tam diræ paſſionis. 2. in transfiguratione tres tantùm diſcipulos interfuiſſe, nunc verò omnes aſſumi, quia proprium eſt verorũ diſcipulorum Chriſti ferre crucem & multa pati 3. ipſos nihil intellexiſſe, quia carni & mundo omninò contrarium eſt contemni, & conſpui; flagellari, crucifigi, & è luto peccati reſurgere.

2. *Cæco mendico clamante, licet turba vellet eum tacere, ſtetit Ieſus, eum duci ad ſe iubet, petit quid ſibi fieri velit.* Conſidera primò, quando volueris vitam emendare, vel ſanctius vitæ genus amplecti, ſtatim tibi reluctaturum mundum, carnem & dæmonem, ſed tuum eſſe exemplo cæci non curare, ſed fortiùs clamare 2. dum perſiſtimus in bono propoſito, ſuperatis difficultatibus ſtatim adeſſe auxilium divinum, & Chriſtũ ſtare, noſque ad ſe advocare, licet cæci & mendici ſimus, id eſt, omni virtute deſtituti & peccatis obſiti, modò ex parte noſtra parati ſimus ad ſordes vitæ anteactę, vel defectus priſtinos deſerendos.

3. *Cùm cæcus à Domino tantùm petiisset, ut videret, mox vidit, eumque secutus est magnificans Deum.* Considera tam bonum esse Dominum, ut beneficia sua velit nobis dare, non tam secundum suam, quam nostram voluntatem & petitionem, nempe ut sic dona sua, fiant etiam nostra merita. Unde alibi dicit: *Petite & accipietis.* 2. cæcum non opes, licet esset mendicus, sed tantum visum, petiisse, ut discas non honores, opes, voluptates petere, quia potius excæcant, sed tantum visum, id est, cognitionem Dei & tui, tuarum imperfectionum, & vanitatum mundi, notitiam præsentiæ Dei, & novissimorum. 3. cæcum visu recepto secutum Christum, & gratias egisse, ut discas, tibi talem vitam post conversionem ducendam, qualem duxit Christus, gratias sæpe agendas pro beneficiis; laudandum Deum, & alios eò pertrahendos, sicut exemplo cæci turba hîc pertracta est.

FE-

FERIA IV. CINERUM.

De jejunio & thesauro in cælo.
Matth. 6.

1. *Christus dixit discipulis: (Tu cùm jejunas, unge caput tuum & faciem tuã lava, ne videaris hominibus jejunans.)* Considera jejuniũ aliasque afflictiones corporis, etsi occultè fiant, videri à Deo in abscondito, esse illi gratas, easq; remuneraturum in cælo. 2. bona opera, ut mereantur vitam æternam, debere fieri primò humiliter, exclusa omni vanâ gloriâ, secundò hilariter, omni remorâ tristitiâ. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9, tertiò ad gloriam Dei & Christi: illud enim est *ungere caput* nostrum Christum, id est, unctum. quartò, cum bona intentione, v. c. jejunare, ut satisfacias pro peccatis, ut Christum imiteris & Sanctos, ut ad orandum promptior. Hoc enim est, *lavare faciem.*

2. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed in cælo, ubi fures non effo-*

diunt, &c. Conſidera qui ſint theſauri in terra, nempe opes, honores, voluptates, exiſtimatio nominis ob potentiam, conditionem, & quidquid tolli nobis hic poteſt; theſauri verò in cælo, ſunt virtutes & bona opera, quæ ſola poſt mortem nos ſequuntur in cælum, juxta illud: *Beati qui in Domino moriuntur, opera enim ſequuntur illos.* 2. inde ſequi multa bona opera debere te facere, quia theſaurus non conficitur niſi ex multis Ubi vide quibus maximè theſauri in cælo promiſſi ſunt, nempe qui multa patiũtur propter Chriſtum, qui omnia propter eundem relinquunt, &c. 3. *Vbi eſt theſaurus tuus*, addit Chriſtus; *ibi eſt & cor tuum, Matth. 5. Matth.* 19. ut ſcias te, ſi verè theſaurum in cælo habes, mentem ſæpius debere attollere in cælum, & ubique Deum quaſi præſentem, qui eſt nobiliſſimus theſaurus tuus, contemplari.

3. Conſidera de ritu Cinerũ, 1. eos ſi õti aſpergi, ad diſcendam humlitatem cordis. Sacerdos enim dicit: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

teris Gen. 3. humilitas enim reo veniam petenti inprimis necessaria est. 2. benedicti sunt, ut benedictionē gratiæ cælestis consequamur. 3 ut novissimorū crebrò recordemur. 4. ut usque ad cineres, id est, mortē in gratia persistamus.

DOMINICA I. QUADRAG.

De tentatione Christi. Matth. 4.

Post baptismum secessit in desertum Christus, & ibi per dies 40. & totidem noctes jejunavit. Considera primò, quod post testimonium de cælo acceptum in baptismo, quòd esset Filius Dei, nihilominus quasi pænitentiæ agendæ causa in locum desertum & horridum secedat, ubi sine cibo, lecto, & tecto in silentio inter bestias, ut ait *Marcus*, vivens, pro tua salute se afflixit, ut discas eum, qui incipit Deo servire, debere carnem suam crucifigere cum concupiscentiis. 2. ô anima mea agnosce te esse unā ex bestiis istis, agnosce, quoties indomito passionum tuarum impetu patientiam Christi læseris, abjice te ad

pedes solitarii Jesu, deplora scelera tua, & osculatis ejus pedibus mansuetum ejus vultum aspice, si fortè te respiciat.

2. *Ter ab inimico tentatur.* (*Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*) Considera extremam humilitatem Christi, quòd non tantùm passus sit se crebriùs à dæmone tentari, discas, licet sanctus sis, te non fore à tentatione liberum) sed etiam permiserit se à dæmone assumi, primò in pinnaculum templi, tum in montem excelsum; quod non videtur contingere nisi scelestis hominibus, ut Magis, Sagis, &c. Deinde quod passus sit sè tentari turpissimâ tentatione; ut scilicet adoraret dæmonem.

3. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Considera Christum post tentationem fame debilitatum jacere in terra nuda, & vultu pallidum, accedere mox plurimos Angelos, & ex compassione eum è terra levare, & congratulari ei de victo dæmone, parare magno

studio

ſtudio menſam, ut comedat. 2. cogita te videre Chriſtum ſuper ſaxo aliquo edentem circumſtantibus angelis? tibique miniſterium angelorum affuturum, ſi libenter jejunio, & aliis pœnis corpus caſtigâris, & tentationes mundi, carnis, dæmoniſque viceris.

DOM. II. QUADRAGES.

De Cananææ filia. Matth. 15.

1. *CAnanæa Tyro & Sydone egreſſa petit filiã à dæmone ſanari. Sed Chriſtus ei nihil reſpondit. Apoſtoli dicunt: (Dimitte eam; quia clamat poſt nos.)* Conſidera, te, ſi remiſſionem peccatorum, & gratiã Dei obtinere velis, debere 1. ſocietatem malorum, & occaſiones peccandi deſerere. 2. peccatum non excuſare, ſed exaggerare, cum Cananæa dicente, filiam peſſimè à dæmone vexari. 3. perſtare, licet ſtatim non exaudiare. 4. ſeriò Sanctorum preces implorare. 2. conſidera, licet Chriſtus ſimularit ſe non audire illam, non id feciſſe, quòd eam ſperneret, ſed ut ex conſtantia precandi

candi clarius ejus eluceret fides, humilitas, patientia, perseverantia ad aliorum exemplum, & majus eius meritum.

2. *Cùm adorato Christo illa petiisset se juvari, & Christus respondisset, panem filiorum non dandum canibus, illa subdit. (Catelli edunt de micis dominorum.)* Considera quomodo mulier hæc à Christo, & Apostolis repulsa, non pudore suffusa, nec metu consternata sit; sed confidens Christi bonitati, ad ejus pedes se abjiciat, dicens: *Domine adjuva me*, non dicit juva filiam, quia se agnoscebat, culpâ suâ morbi causam. 2. vide quomodo Christus quò illa magis multiplicat preces, multiplicet repulsam, & quasi iratus vocet canem & indignam. Vide & humilitatem mulieris, quòd non indignatur, sed agnoscit se canem, & indignam pane integro. Et sapientiam miram, quòd hoc ipsum nomen in suum commodum trahat, se non panem, sed micas tantùm petere, ut catelli solent, unde Christus stupens subjicit.

3. *O mulier magna est fides tua; fiat tibi*

tibi sicut vis! O, quàm verè dixisti bone Jesu! *Regnum cælorum vim patitur*. Nam mulier hæc & vim intulit sibi humiliter & patienter ferendo tam duram repulsã: & tibi, quòd vi quasi illata importunè gratiam petitam extorserit: Et scio hoc licere imitari, quia *Luc.* 11. docuisti, importunè etiam instandum orationi, cupis enim precibus etiam cogi à nobis pro tua infinita bonitate, ut eò majorem impertias gratiam: nam cùm illa contenta fuerit micis, tu tamen respõdes: *Fiat tibi sicut vis*, id est, quidquid petis à me habere, obtinuisti.

DOM. III. QUADRAGES.

De dæmonio muto. Luc. 11.

1. D*Æmone ex muto & cæco ejecto, quidã dicunt, (in Beelzebub principe dæmoniorũ ejicit dæmonia) alii aliud signum quærebant.* Considera, licet tria beneficia hic collata sint, tamen ex invidia hos pessimam in partem interpretari, illos extenuare, turbam solam mirari, ut discas invidi & maligni ingenii esse

esse optimè facta, vel malè interpretari, vel extenuare, quod pii & simplices laudant. 2. bonis operibus, vel admonitionibus aliorum, nos non fieri meliores, sed deteriores, nisi securim ad radicem ponamus, id est, nos ipsos emendemus. Sicut enim bonis etiam pessima cooperantur in bonum, ita malis optima in malum: similes enim sunt araneis dulcedinem floris in venenum vertentibus.

2. *Iesus videns cogitationes eorum dixit eis: Omne regnum in se divisum desolabitur*, &c. Considera Christum non maledictum pro maledicto reddere, sed tantùm honorem Dei rationibus quatuor tueri, ut discas, si quid contra personam tuam fiat, patienter propter Deum ferre, ac non petenti etiam condonare; si autem contra honorem Dei, fidei Catholicæ, religiosi status, famam piorum quid dicatur, tunc non silere, sed defendere pro virili. Sic moyses murmur contra se sapienter tulit; sed idololatriam quæ erat contra Deum, severè punivit. Sic mulier a media turba hic

Chistum

Christum & matrem ejus beatos clamat.

3. *Mulier de turba dixit: Beatus venter qui te portavit. Et respondit Christus: Quinimò, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Considera fortitudinem mulieris, quod metu omni excluso Judæorum calumniantium, gloriam Christi, & S. matris clara voce tuetur, eligens potius contemni cum Christo, quam honorari à Pharisæis. 2. cogita Christum ob ingratitudinem aliorum mœstum, valde recreatum laude matris, & ideò omnibus aliis relictis convertisse se ad mulierem, & dixisse: Tu vocas meam matrem beatam quod me conceperit, sed ego beatiorem puto, quòd verba mea audierit & custodierit, sicut & tu nunc es, omnesque qui ea audita custodiunt.

DO-

DOM. IV. QUADRAGES.

De multiplicatione quinque panum.
Joan. 6.

1. *CVm Iesus monte conscenso sublevasset oculos, vidit turbam ingentem tendere ad se rogantique de panibus, respondit Andreas. Est puer unus hic habens quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Considera Christum ex valle montem conscendere, ut doceat nos ad perfectionem vitæ spiritualis tendere, sed non sine labore ad eam perveniri. 2. modestiam Christi oculos semper demittentis, nec sublevantis nisi in cœlum, & ad populum, ut discas duo maximè tibi respicienda, nempe salutem tuam in cœlo, & salutem proximorum. 3. si solo aspectu suo Christus attrahat turbam, quid faciet præsentia in Eucharistia? 4. Christum in miraculo uti ministerio pueri, patriâ relictâ dominum secuti, & quidem pauperis, quia hordeaceos habuit panes; ut scias puerorum & humilium opera Deo gratissima.

2. *Iesus gratiis actis panes quinque & pisces*

piſces, quinque millibus in fœno diſcumbentibus diſtribuit. Conſidera fervorem tot millium hominum, quod non ſolliciti de cibo Chriſtum tam longè ſint ſecuti, & ſummam Dei providentiam nunquam in ſe confidentes deſerentis. 2. cogita, ſi filius Dei, dator omnium bonorum gratias agit Patri pro quinque panibus, multò magis nos viles creaturas debere corde, voce, & opere pro tot beneficiis quotidianis gratias continenter agere. 3. vide, quanto amore panes piſceſque frangat, & ſimplici turbæ diſtribuat, memor ſe aliquando panem cœleſtem in extrema cœna in memoriam piſcis in cruce paſſionis aſſi, diſtributurum, qui ſatiet in æternum. 4. cogita illum dignè non accipi, niſi à diſcumbente in fœno, id eſt, humiliter de ſe ſentiente, & carnem ſuam, *omnis enim caro fœnum*, ait Iſaias, mortificante & inprimente.

3. *Collegerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Conſidera, quando bona noſtra, ſive temporalia, ſive ſpiritualia, etſi pauca ſint, libenter communicamus proxi-

proximo, non perire, sed crescere, & multiplicari, uti multi magni eleëmosynarii experti sunt. 2. majorem fuisse post salutationem collectionem fragmentorum, quam panum, ut significaretur indeficientia convivii cælestis in vita æterna consecutura, ubi quisque fragmento suo, id est, speciali beatitudine ita saturabitur, ut nec esuriat, nec sitiat amplius.

DOM. V. QUADRAGESIMÆ.

De immunitate Christi à peccato.
Joan. 8.

1. DIxit *Christus Iudæis. (Quis ex vobis arguet me de peccato? Qui ex Deo est, verba Dei audit.)* Considera, cùm à Christo dicaris Christianus te conari debere, ut immunis sis à peccatis saltem mortalibus; & scire potiùs esse moriendum, quam in tale peccatum consentiendum, deinde deliberato, maximè si religiosus sis, nec consentire in venialia, imò etiam cavere imperfectiones, quæ peccata non sunt. 2. examina teipsum,

ſum, an verbum Dei, exhortationes pias, & inſpirationes divinas libenter audias, iiſque obſequaris; quia ſi ſecus fiat, non es in Dei gratia, nec in numero prædeſtinatorum.

2. *Cùm Iudæi dicerent eum eſſe Samaritanum & habere dæmonium, reſpondit. (Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum. Non quæro gloriam meam.)* Conſidera patientiam Christi nihil reſpondentis de nomine Samaritani, quia tangebat contumelia perſonam ipſius, (nam reputabant eum indignum ſua converſatione, non enim Samaritanis coutebantur Judæi, ſicut nec nos nunc Judæis & Turcis) ſed de dæmonio, quia tangebat gloriam Dei, mitiſſimè reſpondit: *Ego dæmonium non habeo.* 2. Conſidera, ſi Chriſtus propriam gloriam non quæſivit, quantò minus tu debeas. Fac ergo omnia in Dei gloriam, & tunc Deus etiam honorificabit te, unde vides quantum peccent, qui honoris ſui cupidi, minimam etiam injuriam vindicare non dubitant ſanguine ſuo.

2. *Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.* Considera hanc promissionem esse ejus, qui mentiri & fallere non potest; & quidem de morte spirituali animæ. Vide, quantum Dei beneficium sit, in æternum non solum vivere, sed fæliciſſimè vivere, talique cogitatione te obfirma, ne sermones Dei unquam sciens transgrediare.

Palmarum

DOM. VI. QUADRGES.

De ingressu Christi in Ierusalem.
Matth. 21.

1. PRæcipit primò Dominus adduci asinam & pullum. (*Solvite & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicit:, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.*) Considera primò, Christum pro suo triumpho, vilia preparare animalia, nullo ornatu, etiam necessario, instructa, ut discas Christiani hominis triumphum & gloriam veram esse in amore contemptus sui, humilitatis & paupertatis. Pauperum enim spiritu est regnum cœlorum. 2. in ipsa humilitate

tate ſimul oſtendere ſuam potentiam, tum quòd tamquam Dominus omnium, jubet beſtias ſolvi & adduci, non petita prius poteſtate à Domino earum, tum quòd movit cor abſentis, ut ſponte eas dimitteret, ut diſcas nihil potentius eſſe humilitate ad ſolutionem à peccatis, & Deum tibi conciliandum, ut faciat, quod petis.

2. *Diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit Ieſus, & poſitis veſtibus ſuper aſinam eum deſuper ſedere fecerunt* Conſidera primò, obedientiam perfectam diſcipulorum, tum quòd non diſputârint de mandato, an eſſet juſtum aliena tollere, tum quòd in re vili, ut ducenda aſina cum pullo, per plateas, paruerint. 2. ſimplicitatem & devotionem erga Chriſtum, quod ad honorandum illum tritas veſtes ſuas exuerint, uſque ſtraverint aſinam, ut ſcias, licet Chriſtus humiliet ſe, noſtrum tamen eſſe illum honorare, quantum poſſumus, & ideò tam ſplendidè ornantur omnia in templis. 3. Cogita amorem Chriſti in nos, qui tunc ſinit ſe portari ab aſina, id eſt, corpore noſtro

peccatis ſubdito, quādo abſoluti ſumus à vinculis peccatorum, & veſtibus virtutum apoſtolicarum ornati.

3. *Excepturus eum populus, cùm veniret obviam veſtimentis ſuis, & palmis arborum ſternebat viam, & canebat.* (*O ſanna filio David, Benedictus, qui venit in nomine Domini, O ſanna in altiſſimis.*) Conſidera tunc te veſtes ſternere Chriſti pedibus, quando bonis temporalibus ſuccurris pauperibus, per pedes Chriſti ſignificatis: ramos verò olivarum, cum opera quævis charitatis & miſericordiæ exerces: & palmarum, cum victoriam ex tentatione reportas. Canis autem O ſanna, quando ejus beneficia agnoſcis, laudas, & prædicas. 2. conſidera ſummum honorem hunc paulò pòſt à populo in ſummum dedecus mutatum. Hodie honorant eum ſuis veſtibus, pòſt ſpoliabunt eum propriis, & illudent veſte aliena, nunc colunt ramis arborum frondibus, & floribus, tunc cruce, ſpinis, clavis, & virgis cruciabunt: nunc clamant: *Benedictus*, tunc ridebunt eum, conſpuent, & acclamabunt, crucifige tu

tur: nunc honorificè in urbē recipiunt, tunc cum dedecore cruce onuſtum ejicient.

IN DIE PASCHÆ.

De apparitione mulieribus facta. Marc. 16.

1. Conſidera quomodo anima Chriſti, poſtquam triduo ſolata eſt SS. Patres in lymbo, in ſepulchrum ingreſſa, corpus reſumpſerit, & ſumma luce illuſtratum, fulgentibus imprimis manuum pedumque vulneribus eduxerit, ut nobis certam ſpem daret nos ſimiliter reſurrecturos, ſi hîc exuto vetere homine in novitate vitæ ambulemus, & carnem crucifigamus cum concupiſcentiis: Paſſus enim eſt pro nobis, & reſurrexit ut ſequamur veſtigia ejus.

2 *Summo mane ad monumentum profectæ ſunt, Maria Magdalena, Iacobi & Salome inter ſe dicentes: Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?*) Conſidera primò, charitatem ſummam mu-

 lierum.

ierum. Viderant Christum in cruce expirantē, sepulchro clausum reliquerant, dem milite obsessum sciebant, nec aliud quam incremētum doloris aspectu corporis futurum norânt, tamen extremum hoc officium illi deferre voluerunt, ut ungerent: *Verus enim amor*, ait Chrysologus, *nihil asperum, difficile, vel impossibile putat.* 2. Considera eas, licet dubitarent, quis revolveret tam grandem lapidem, tamen pergere, quia in Deo fidebant, ut discas etiamsi dum cœpisti vitam emendare, vel mundum relinquere, difficultas, in lapide pœnitentiæ movendo occurrat, vel timor ut non perseveres in proposito, non diffidere; fidenti enim mox aderit Angelus, qui removeat lapidem; id est, omnem difficultatem.

3. *Viderunt lapidem revolutum, & Angeli dictum audierunt* : (*Iesum quæritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, non est hic.*) Considera post Christum resuscitatum, Angelum revolvisse lapidem & sedisse super eum, ut discas postquam semel exierimus è sepulchro peccati mortalis,

talis, debere deinceps ſedere ſuper lapidem, id eſt, carnem noſtram comprimere, & ſubjugare, ne iterum nos detrudat, vel concludat in ſepulchro; Chriſtus enim ita ſurrexit. 2. Conſidera, ſepulchrum, in quo erat corpus Chriſti, deſignare altare, in quo myſterium corporis & ſanguinis Domini conficitur. Unde ſi dignè ad hoc vis accedere: vide ut exemplo trium fœminarum odorifera virtutum aromata, & ſuavis unguentum orationis tecum deferas, 3. angelica conſolatione dignos, qui cum debita præparatione, & devotè corpori Chriſti communicant, & ad loca ſacra, ubi reliquiæ Sanctorum ſunt, peregrinantur.

FERIA II. PASCHÆ.

De apparitione duobus diſcipulis facta.
Lucæ 24.

1. CHriſtus apparuit duobus diſcipulis cùm irent in Emaus & de ipſo colloquerentur mœſti, & triſtes. Conſidera primò, cur Chriſtus adjunxerit ſe illis. Id

enim fecit quod essent afflicti. De Domino, enim scriptum est, quod sit cum illis, qui afflicto sunt corde. 1. quia de re pia loquebantur, nempe de ipso, promiserat enim se in medio fore, ubi duo vel tres in nomine suo congregarentur. 2. ut ostenderet se fidelem amicum piorum, qui neminem in necessitate deserat. O quoties etiam dum pecco, Domine, non deseris me? 3. Considera eum apparuisse in habitu peregrino, ut credas tibi pia loquenti, vel agenti eum adesse, licet non agnoscas; deinde, ut discas peregrinum te esse in terra, cujus conversatio sit in cœlo. 4. eum quærere, cur sint mœsti? non quod nesciat, sed ut ipsi infirmitatem suam fateantur, & sic rectiùs sanentur: sicut medicus ab ægro petit morbi causam, ut congruam medicinam faciat.

2. *Redarguit eorum incredulitatem, & mysteria passionis & resurrectionis ipsis exposuit. (O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?)*

Con-

Conſidera hanc reprehenſionem non ex ira, ut eos pudefaceret, ſed ex magno amore profectam, ut errorem ſuum citiùs agnoſcerent: ſtulti enim erant Judæi, quod ſine ſanguine putarent ſe redimendos à Chriſto, cùm legis ſacrificia tam clarè id indicarint; ſtultior verò eſt ſervus, qui aliam viam vult ingredi, quam Dominus, *Omnes qui piè vivere volunt in Chriſto*, ait Apoſtolus: *perſecutionem patientur*. 2. Conſidera quanto cum amore Jesus medius inter iſtos duos, inceſſerit, declarans illis ſcripturas, & ſimul donans lumen eas intelligendi; & cor ad fidem accendens. O quam felix fuiſſet anima mea, ſi potuiſſet colloquium illud audire, & videre flammas ex ore Domini erumpentes.

3. *Cum Ieſus fingeret ſe longiùs ire, coëgerunt eum manere ſecum? Fracto autem pane diſparuit. Ipſi autem ſubitò in Hieruſalem reverſi nuntiaverunt Apoſtoli, quomodo vidiſſent eum, & in fractione panis agnoviſſent.* Cōſidera finxiſſe, ut probaret amorē eorum, & plus

accenderet desiderium se retinendi, atque hac charitate mererentur illuminari, intus ardebant inter colloquium, sed fictionis folle flamma prodiit exterius, dum eum cogunt; ut discas pauperes & peregrinos rogare & etiam cogere, ut officium charitatis acceptent. 2. cogita Deum, cum gratiam aliquam vis impetrare, velle non tantùm rogari, sed etiam cogi, pugnando scilicet viriliter contra difficultates, nam scriptum est, à violentis regnum cœlorum rapi. 3. perpende discipulos non esse illuminatos, dum Christum audirent, sed dum hospitio recepto, cœnam apponerent. *Non enim auditores verbi, sed factores justificantur.* Deinde illuminatos in fractione panis, ad ostendendam S. Eucharistiæ efficaciam.

FERIA III. PASCHÆ.

De apparitione discipulis congregatis facta. Luc. 24.

1. S*Tetit Iesus in medio discipulorum, & dixit: Pax vobis, nolite timere.* Considera,

ſidera, numquam Chriſtum deſerere nos, quando in Societate bonorum manemus, ſed ſtare medium, ut ducem inter milites, patrem inter filios, caput inter membra, ut mœſtos ſoletur. 2. precari pacem, etiam illis, à quibus erat offenſus fugiendo, quia Deus eſt pacis & conſolationis, pacem, non quam mundus dat, ſed quam Angelus annuntiavit hominibus bonæ voluntatis, pacem animæ cum Deo, cum proximo, & cum ſeipſo, quæ conſiſtit in tranquillitate bonæ conſcientiæ. 3 hortari, ne timeant Judæos, qui occidere poſſunt corpus, ſed eum, qui animam & corpus poteſt mittere, in gehennam.

2. *Turbatis, quod putarent ſe ſpiritum videre dixit: (Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum) & oſtendit eis.* Conſidera antegreſſo terrore Apoſtolos in Chriſti notitiam veniſſe, quia initium ſapientiæ eſt timor Domini: *Sine timore* enim, ait Sapiens, *nemo juſtificatur* Eccl. 1. vide quantùm laboret. Chriſtus, ut diſcipulos certos reddat de ſua reſurrectione: offert enim corpus ſuum, licet

licet jam impaſſibile, videndum & tangendum: offert manus perfoſſas, ut incitet ad pugnam, latus ut ad amorem ſui alliciat: pedes, ut vocet ad perſeverantiam. Cicatrices retinuit, ut indicet nunquam ſe ſalutis noſtræ depoſiturum memoriam.

3. *Deinde, cum adhuc non crederent, partem piſcis aſſi & favum mellis comedit, & reliquias dedit eis.* Conſidera humilitatem & charitatem Chriſti, jam glorioſi & regis regum, quod dignetur cibum ſumere cum pauperibus piſcatoribus, ut eos lucrifaciat, ut diſcas benevolè & humiliter etiam cum pauperibus converſari, ſi vis eos convertere. 2. conſidera myſterium, aſſus enim piſcis fuit ſacra ejus humanitas aſſata in veru crucis: favus autem mellis, ejus divinitas ſua dulcedine paſcens animas electorum. Reliquiæ autem datæ ſunt Apoſtolis, & nobis, in ſacramento Euchariſtiæ, in quo iis quotidie verè & realiter fruimur.

IN OCTAVA PASCHÆ.

Da apparitione discipulis facta præsente Thoma. Ioan. 20.

1. STans *Iesus in medio discipulorum, dixit: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Considera, sicut Christus non est missus in mundum, ad regnandum, sed ad patiendum, sic te, sive secularis, sive religiosus sis, missum ad multa patienda pro Christo, & ad magnos labores. 2. Considera Dei bonitatem, quòd quoad peccata non velit aliud judicium institui in cœlo, quam illud ipsum, quod hic à sacerdotibus Apostolorum successoribus instituitur in terra. Si ergo vis effugere severum judicium Dei futurum, ne reformides judicium hominis peccatoris & infirmi, qui compati tibi potest.

2. *Post dies octo & Thomæ dixit: Infer digitum tuum huc, & vide &c. & noli esse incredulus, sed fidelis. Et respondit*

dit Thomas : Dominus meus, & Deus meus. Considera incredibilem charitatem Christi, eumdem laborem pro solius conversione Thomæ jam impendentis, quem ante pro omnibus Apostolis, ut certi essent de resurrectione, impenderat. ostendens se bonum pastorem esse, qui relictis 99. quæsivit unam ovem in montibus errantem. Unius animæ conversio despicienda non est, cum Christus pro una paratus fuerit mori. 2. attende & sapientiam, quod Thomæ non soli, ut fecerat Petro & Magdalenæ, sed coram Apostolis apparuerit; id enim fecit, ut & Apostoli plus firmarentur in fide, & in amorem Christi magis accenderentur. 3. cogita humilitatem stupendam Christi, quod voluit manus in latus suum mitti. O quomodo arsit cor Thomæ cùm mitteret eas in eam ardentem fornacem, & ideò in genua mox lapsus eum adoravit, clamans: *Deus meus.*

3. *Dixit Iesus Thomæ: (quia vidisti me, credidisti. Beati, qui non viderunt & crediderunt.)* Considera, quanto solatio nobis

nobis esse debeat hæc sententia, quòd non minùs, beati simus nos, qui non vidimus in carne Christum, si in eum credamus, quam Apostoli qui eum in carne viderunt, & tetigerunt: & ratio est, quia ut nos credamus, major est difficultas, ac proinde & meritum, minor autem fuit Apostolis. Unde illud Gregorii, homil. 29. in Evang. *Fides non habet meritum; ubi humana ratio præbet experimentum.*

DOM. III. POST PASCHA.

De bono Pastore. Joh. 10.

1. DIxit *Iesus turbis: (Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.)* Considera omnes, qui curam habent aliorum, esse pastores, ut superiores respectu subditorum, patremfamilias domesticorum; magistros, discipulorum; confessarios; pœnitentium, concionatores, auditorum, & quemlibet respectu suarum potentiarum, & membrorum. 2. Considera, nunc tè bonum esse pastorem tui, vel tuo-

rum, cùm eos paſcis & regis verbo, exemplo, & cibo corporali & ſpirituali. Ovem verò bonam, cùm ſimplex es, humilis, innocens, obediens, utilis in omnibus aliis, & patiens in adverſis. 3. tunc animam tuam ponere pro ovibus, quando contra lupos, mundum, & dæmonem, oves tuas intellectum, voluntatem, ſenſus cohibes; ne in peccatum conſentiant, & potius vis mori, quam ut peccatum mortale per viſum v. c. vel tactum committatur.

2. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, viſo lupo dimittit oves & fugit.* Conſidera, tunc te eſſe mercenarium, quando in actionibus tuis bonis, ut concionibus, lectionibus, frequentatione templi, quæris mercedem temporalem vel gloriam, non Dei, ſed mundi, ut magnus fias ſcilicet. 2. quando lupo veniente, id eſt, tentatione carnis vel mundi orta, non reſiſtis, non caſtigas, vel mortificas carnem jejuniis, ciliciis, vigiliis, ſed fugis omnem pœnitentiam, & ſinis oves tuas vinci à malo tentationis & devorari. 3. cogita te amittere nomen paſto-

paſtoris & Domini,quia oves potius dominantur tibi quam tu illis. *Qui enim peccat, ſervus eſt peccati.* Joan. 8. ac proinde & carnis ſuæ, à qua per peccatum ſpiritus vincitur.

3. *Ego cognoſco oves meas, & cognoſcũt me meæ. Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili; quas oportet me adducere.* Conſidera bonorum paſtorum eſſe cognoſcere & diligere oves, cognoſcique & diligi ab ovibus, itaque bonum te tui paſtorem fore, ſi bene cognoveris teipſum tuarumq; virium imbecillitatem, imperfectiones & lapſus quotidianos, in eoſque per examen inquiſieris: tunc autem te agnoſci & diligi ab ovibus tuis, id eſt, potentiis animi & corporis, quando orationi & voluntati ſubjectæ erunt. 2. cogita, ſi bonus paſtor eſſe velis, & ſtudeas etiam ad ovile Eccleſiæ Catholicæ adducere hæreticos, & infideles doctrinâ, & exemplo vitæ ſanctæ.

DOM. III. POST PASCHA.

Modicum & non videbitis me,
Joan, 16.

1. *Dixit Iesus discipulis: Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* Considera Dominum hic prædicere passionem suam quam Apostoli fugerunt, & resurrectionem, post quam iterum eum viderunt: solet enim Dominus ideò tristia prædicere, ut jacula prævisa minùs feriant, & mox addere læta, ne tentationi succumbant. 2. bonis & piis primum nũciari & evenire tristia, postea autem læta & jucunda: contra verò malis & mundanis, priùs jucunda, tum tristia; peccatores enim consolationem suam quærentes in hoc mundo pòst ardebũt ignibus sempiternis, pii verò qui hîc persecutionem patiuntur, posteà gaudebunt in cœlo in æternum.

2. *Cognoscens Iesus quòd vellent interrogare quid sibi vellet*, Modicum, &c. *Amen*, inquit, *dico vobis, plorabitis, & flebitis*

flebitis vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, sicut mulieris tristitia post editum partum. Considera Domini bonitatem nos prævenientis, quando bonam habemus voluntatem aliquid petendi. 2. officium pii hominis in hac lachrymarum valle, dum Dominum non videmus esse, flere & plorare potiùs quam gaudere, idque triplici de causa 1. propter peccata, quia illis Christum fugamus & crucifigimus. 2. propter tentationes continuas à carne, mundo, dæmone. 3. ob passionem Christi, dum ea meditamur. Omnes enim hæ tristitiæ vertuntur in gaudium, quia salutem stabilem operantur teste Apostolo. 3. modicam esse tristitiam nostram, quia tempus hujus vitæ ita breve est ut umbræ, vapori, & momento comparetur in Scriptura.

3. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Considera, pro brevi & momentanea tribulatione, si patienter eam sustineas, te recepturum à Deo, non consolationem solùm & gaudium, sed etiam

regnum æternum; nam dicit Paulus: *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Corinth. 4. è contrario mundum pro brevi & momentanea consolatione, quã habet in peccato mortali excruciandum pœnis æternis, unde Job ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Abraham ad Epulonem. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Luc. 15.

DOMINICA IV. POST Pascha.

Vado ad eum qui misit me. Joan. 16.

1. D*Ixit Iesus discipulis. Expedit vobis ut ego vadam ad Patrem. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Considera Christum prænuntiare gloriosam suam ascensionem in cœlum, & Spiritus sancti, post eam, missionem; nempe in visibili forma, & pleniore abundantia, ut disceres, sicut ille post passionem

ſionem glorioſo corpore & anima aſcendit in cœlum, æterna felicitate cum ſanctis ibi fruiturus, ſic te, ſi ſanctè vixeris, & pro Chriſto multa paſſus fueris, corpore & anima aſſumendum in cœlum. 2. ut accipias magnam gratiam Spiritus ſancti debere te animum abſtrahere à lacte materno, hoc eſt, conſolationibus ſpritualibus, quas ſolet Deus initio converſionis tyroni concedere, & parare te ad deſolationum crucem ferendam, ideò enim Chriſtus diſcipulis carnalem præſentiam ſuam ſubtraxit, ut Spiritus ſancti gratiâ, quâ cum gaudio etiam dura ferrent, fruerentur.

2. *Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, juſtitiâ & judicio.* Conſidera, hoc fuiſſe ſignum adventûs Spiritus ſancti in Apoſtolos, quòd cum antè timidi eſſent, & ad vocē ancillæ cum Petro terrerentur, metu omni remoto Chriſtum prædicarint, & mundum, id eſt, malos homines audacter arguerint: Primò de peccatis, quòd converti nollent. Secundò de juſtitia, quod crederent qui-

dem, sed vitam non agerent sanctam. Tertiò de judicio, quia in nulla re faciliùs peccant homines, quam temerè judicando de aliis. Unde Christus; *Nolite judicare & non judicabimini* Cogita in te quoque fore spiritum Dei, si mundum de his argueris.

3. *Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Considera Dei bonitatem non plura nobis imponentis, quã ferre possimus, & ad captum omnium se accommodantis: quod non facit caro & mundus, plura sæpe exigens à suis, quam portare queant. 2. cogita, quamvis multum nobis profecisse sæpe videamur, tamen multa adhuc deesse. 3. quanti te faciat Christus, quod, non solùm seipsum totum, id est, corpus, animam & sanguinem, sed etiam Spiritum sanctum suum promittat, mansurum tecum in æternum, ne erres, vel labaris.

DOM. V. POST PASCHA.

Orandum esse Patrem. Joan. 16.

1. JEsus *dixit discipulis.* (*Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*) Considera, quantopere Christus exoptet colloquium hominis spirituale, quod fit per orationem, sic ut premiũ promittat cum maxima asseveratione, nempe se daturum quidquid petitur. Longè alius est mos Principum hujus sæculi, qui ad colloquium suum non solùm alios non invitant, sed neminem ad illud admittunt, nisi divites & quidem ab aliis multis rogati. Argue & tuam cæcitatem, quod pluris facias sæpe colloquium cum Principe terreno, quam cum cœlesti.

2. *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Consider, hinc colligi, quid petendum sit tibi à Deo, nempe unde haurire possis gaudium plenum & perfectum, cùm ergo gaudium perfectũ & solidum non sit in bonis hujus mundi, divitiis, honoribus, voluptatibus, aliisq; caducis rebus & temporalibus, ea utiq; petenda

petenda non ſunt : ſed tantum bona æterna, hoc eſt, ſalus noſtra, & quæ ad illa nos deducunt, ut Dei gratia, ſolidæ virtutes, humilitas, charitas, patientia, &c. aliaque excellentia dona: dedecore enim afficit magnum Principem, qui exigua dona ab eo poſtulat.

3. *In illo die in nomine meo petetis: & nūc dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis; ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Conſidera, optimam rationem orandi eſſe petere à Patre cœleſti aliquid nomine Chriſti, vel per paſſionem & merita Chriſti, quia id indicat his verbis, Patri perinde eſſe, ac ſi Chriſtus ipſe pro nobis oraret. 2. magno ſolatio nobis eſſe debere, quòd diſcipuli Chriſti tam cari ſint Patri cœleſti, ut nec opus habeant oratione Chriſti in cœlo, licet Chriſtus, ut homo, etiam nunc ibi interpellet pro nobis, ut docet non ſemel Apoſtolus *Rom.*8. & *Hebr.*8. & 9. imò *S. Ioā.* 1. *epiſt. cap.*2. vocat eum advocatum noſtrum.

IN

IN FESTO ASCENSIONIS.
Marci 16.

1. *Christus recumbentibus undecim discipulis exprobrat incredulitatem, mittit in totum orbem ad prædicandum, promittit credentes signa facturos.* Considera, clementiam Christi toties quovis tempore, loco, & occasione se videndum exhibentis, ut crederent resurrexisse; dicitur enim duodecies apparuisse variis, & nunc in mensa, ut discas quovis loco, si invocetur, nobis cum adesse. 2. nota Christum exprobrare incredulitatem, ut discas acri reprehensione dignos, qui vacillant in fide, quia fides est fundamentum totius ædificii spiritualis, quo nutante omnia vacillant. 3. expende, Apostolici spiritus & officii esse, non uno loco, sed ubiq; Evāgelium prædicare: fideliū autem esse signa facere, id est, dæmonia ejicere, linguis novis loqui, serpentes tollere, agris manus imponere, h. e. tentationes vin-

cere, ſpiritualia loqui, detractores arguere, à peccatis alios avocare.

2. *Dominus Ieſus aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Conſidera primò, quanta affabilitate in monte Oliveti jam congregatos Apoſtolos & imprimis matrem Chriſtus ſit allocutus, & benedixerit: illi autem flentes ad eius pedes prociderint, eos oſculātes. 2. quomodo elevatis manibus ſenſim à terra elevatus ſit, hilari & ſereno vultu corona regali ornatus, ſanctorum Patrum è limbo choro ſtipatus, cantantibus undique Angelis, Apoſtoliſque in genua proſtratis benedixerit, quomodo apertis cœlis mox innumera turba Angelorum obvia ei proceſſerit, & ad thronum cœleſtis Patris adduxerit. Vide, ut pater filium ſe reverenter inclinantem amanter complexus ſit, & ad dexteram ſuam collocârit, ut diſcas, tecum idem agendum, ſi conſtanter in vita pia & ſancta perſtiteris.

3. *Duo viri in veſtibus albis tunc dixêre Apoſtolis: Viri Galilæi, Hic Ieſus, qui aſſumptus à vobis in cœlum, ſic veniet, ſicut*

ſicut vidiſtis euntem in cœlum. Conſidera, quomodo Deus per Angelos, *Actorum* 1. illos ſtatim lætis miſceat triſtia, ut ſicut pii confirmantur in vita ſancta, quando cogitant de hac Chriſti aſcenſione & gloria, ita mali deterreantur à vita prava, quando audiunt eum cum eadem majeſtate non benignum, ſed terribilem rediturum ad extremum judicium.

DOMINICA POST ASCENſionem.

Cum venerit paracletus. Joan. 15. 16.

1. Dixit *Ieſus diſcipulis: (Cum venerit Paracletus Spiritus veritatis qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia initio mecum eſtis.)* Conſidera inde conſtare te, vel alium Spiritum Dei habere, ſi nempe ſit paracletus, id eſt, conſolator afflictorum, verboque & opere miſericordiæ viſcera miſeris oſtendat. 2. ſi veritatis ita amans, ut etiam mendacia jocoſa & officioſa, omneſque

fictiones horreat,non aliud corde, aliud ore loquitur omnis doli expers. 3. si exemplo Apostolorum, posito omni metu ubique veritatem fidei à SS Patribus acceptam,pro talento accepto, dum occasio tulerit,cum zelo tueatur; nec patiatur injuriosum aliquid dici in Christum,Sanctos, Ecclesiam & Christi Vicarium.

2. *Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini. Absque Sinagogis facient vos.* Considera summam solicitudinem & amorem Christi in discipulos, tam sedulò & crebrò eos moventis de futuris persecutionibus, & odio summo Judæorum in ejus secuturo, ne ideo vacillarent in fide,vel cogitarent se à Christo deceptos. Ut discas, si quando alios vel docebis vel eorum curam geres,omnem laborem impendere,ut à fide, vel à sancta vita inchoata deficiant; monere etiam proprium,piorum esse multa pati,idque Deum permittere,ut major illis cedat corona in cœlo.

3. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Deo. Considera, sicut infideles hæretici putant se rem gratissimam Deo facere, si occidant Catholicos, cùm faciant ingratissimam, ita te velle tendere in contrarium, & petere gratiam à Deo ita proficiendi, ut possis aliquando sanguinem data occasione pro fide Catholica profundere, quod constat, sacrificium Deo esse gratissimum, ut Christus hoc ipso sermone, *Ioan.*1, declarat dicens: *Majorem charitatem nemo habet, quam si animam ponat pro amicis suis.*

IN FESTO PENTECOSTES.

De missione Spiritus sancti. Act.2.

1. D*Vm complerentur* (*ait sanctus Lucas*) *dies Pentecostes, erant omnes Apostoli, B. Virgo & alii pariter in eodē loco.* Considera, quam ardentes fuerint die quinquagesimo, B. Virginis & reliquorum 120. preces, imò Christi in cœlo, qui promiserat se rogaturum pro illis: quanta ipsius Spiritus sancti, qui est ipse amor,

amor, propensio, ut totum se effunderet pleno copiæ cornu in illos, innumerabilibus gemitibus à mane usq; ad nonam horam interpellantes. 2. quomodo tandem patefactis cœli catharactis secum ingenti vento, tonitru, imbre, luce, igneque effuderit, omnesque mox incredibili gaudio gestierint, & igne interno accensi in Dei laudes eruperint. 3 cogita ideò Spiritum sanctum non potuisse diu ab illis abesse, quia pariter erant in eodem loco non solùm, sed cor unum & animam unam habebant: Spiritus sanctus enim uti est amor & unio Patris & Filii, ita non potest non amare unionem.

2. *Factus est repentè de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Considera, proprium esse Spiritus sancti non tardè, sed repentè omnia facere, repentè creat animas, vocavit Apostolos, convertit Paulum, latronem, S. Antonium. *Nescit tarda molimina*, ait Ambrosius. *Spiritus sancti gratia.* 2. vehementer cum sono agere. Post ventum magnum solet sequi tonitru, fulgur, pluvia.

via. Sic Spiritus S. movet corda ad contritionem, lachrymas, clamorem, pœnitentiam, 3. totam animam, intellectum, voluntatem, potentias cæteras replet, quando vacuæ sunt aliis terrenis desideriis. 4. requiescit super humilem & quietum, *Isai. ult.* habentem patem in conscientia sua, & quasi sedentem.

3. *Et apparuerunt dispertitæ linguæ super singulos tamquam ignis, & cœperunt loqui variis linguis.* Considera, sicut quãdo domus intus ardet; ignis erumpit per fenestras & tectum, sic, quando cor Apostolorum erat accensum Spiritu sancto, ignis erupit per capita eorum: quia Spiritus sanctus, sicut nec ignis, potest esse otiosus, ut discas non habere te Spiritum sanctum, nisi quando bonis & sanctis propositis animi, respondent opera. Bonus enim homo de thesauro cordis sui profert bona, ait Christus *Luc.* 6. Et ideò Apostoli igne illo accensi, non amplius timuerunt, sed egressi cœnaculo palam omnibus Christum annuntiârũt, ita ut putarentur ebrii.

II. ME-

II. MEDITATIO DE Evang.

Si quis diligit me. Joan. 14.

1. CHristus dixit discipulis: *Si quis diligit me sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* Considera, miram charitatem Christi, imò totius S. Trinitatis erga nos, licet peccatores & indignos; quod pro exigua dilectione nostra, vicissim velit nos diligere, ad nos quasi cœlo relicto venire, nobiscum colloqui, conversari, & manere, modò à peccato mortali, quo solo repellitur, abstineamus, 2. incredibilem cæcitatem nostram, quod tam facilè sermonem & mandata ejus, cum gravia non sint, teste S. Joanne, prævaricemur, & calce quasi S. Trinitatem ex domo cordis nostri ejiciamus, cum non solum mandata, sed etiam consilia omnia Christi præstare deberemus, ut gratiam tanto beneficio rependeremus.

2. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do*

do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Considera pacem nato Christo nuntiatam ab Angelis, nunc verò testamenti loco eam Christum relinquere discipulis, & post resurrectionem eamdem illis congregatis precatum, quæ pax est genuinus affectus charitatis Dei & proximi, ex qua tota lex pendet & Prophetæ. 2. Christum relinquere pacem, non mundi, neque carnis, sed Dei & Spiritus, quæ triplex est. Una cum Deo, quando cavemus peccata, quæ sola faciunt nos Deo inimicos. Altera nobiscum, quando caro obedit rationi & spiritui; & conscientia est quieta. Tertia cum proximo, quando injurias nobis factas ignoscimus, eique facimus, quod nobis factum vellemus, Mundi pax est contraria.

3. *Veniet Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Considera, Principem mundi, id est, diabolũ, qui est princeps omnium malorum nihil potuisse contra Christum,

quia

quia nullum in eo peccatum fuit, ut discas eumdem minus juris habere in te, quo purior à peccato fueris. 2. nota Christum loqui de mandato, quod habuit redimendi nos per passionem: tantus enim amor fuit in illo obedientiæ, ut non solùm voluerit pati pro nobis ex charitate; sed etiam optarit id sibi mandari. Unde S. Bernard. ait eum perdidisse vitam, ne perderet obedientiam. *Ad mil. templi c.13.*

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Sic Deus dilexit mundum. Joan.3.

1. Jesus dixit Nicodemo: (*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*) Considera, non vulgarem, sed ineffabilem fuisse dilectionem Patris erga nos, quod dederit nobis filium suum, primò enim hoc ipso dedit donum infinitum, & quo majus dare non potuit, quia dedit Deum, imò seipsum. 2. ita dedit ut non tantùm homo haberet Deum;

Deum;ſicut Angeli ſancti habent Deum, ſed etiam homo ſit factus Deus omnipotens; ſapientiæ & & ſcientiæ infinitæ in Chriſto 3. dedit eum mundo, id eſt, hominibus peccatoribus, ſuis inimicis. 4. dedit illis; ut pœnas quas luere debebant pro peccatis in ſe ſuſceperit, ut paupertatem, famem, ſitim flagella; mortem turpiſſimam. Quomodo autem tu tantum amorem rependes?

2. *Non miſit Deus filium ſuum ut judicet mundum; ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Conſidera, immenſam Dei clementiam & bonitatem, ut cùm omnes homines à principio mundi naſcantur in ira Dei, æterna damnatione digni, & inimici Dei: tamen ne unum quidem velit perire, & judicari, id eſt, damnari, ſed omnes cupiat ſalvari, & revera primum auctorem peccati Adamum protoplaſtum à ſalute non excluſerit.

3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim opera eorum mala.* Conſidera, quòd tam multi homines in mundo è

do è tenebris, id eſt, à peccatis infidelitatis, & aliis non emergant ad lucem, id eſt, credant in Chriſtum, vel Catholicam fidem inſpiciant, non ex Dei voluntate accidere, quaſi aliquos reprobârit, vel ſufficientia ad ſalutem auxilia non dederit, ſed ex perverſa voluntate ipſorum, quia amant magis vel hæreſim ſuam, vel priſtinum vivendi modum. 2. conſidera, hominem eſſe cauſam ſæpe impœnitentiæ, ut non reſipiſcat, quando tamdiu ſe aſſueſcit malis operibus, ut callum obduxiſſe videatur.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ego ſum oſtium. Joan. 10.

1. D*Ixit Ieſus diſcipulis: Qui non intrat per oſtium, fur eſt & latro: qui autem intrat paſtor eſt ovium.* Conſidera, oſtium eſſe Chriſtum ejuſque doctrinam & vitam, ovile eſſe Eccleſiam, religionem, vel ſodalitatem aliam piam, oves eſſe ſubditos vel diſcipulos, qui ab alio reguntur vel docentur, qui debent eſſe ſimpli-

ſimplices, obedientes, & amore ſociis conjuncti: Paſtorem eſſe ſuperiorem, Præfectum, Magiſtrum; fures & latrones, mundum, carnem & dæmonem, qui per oſtium non intrant, quia docent contraria doctrinæ & vitæ Chriſti, ut occidant animam & trahant ad æternam perditionem.

2 *Paſtori oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt. & proprias oves vocat nominatim, & educit eas, ante eas vadit, & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus, alienum autem fugiunt, quia non norunt vocem.* Conſidera, quæ ſunt proprietates boni Paſtoris, 1. ut oſtiarius, id eſt, Spiritus ſanctus ei viam aperiat, non caro, non gloria vel utilitas propria. 2. ut ſubditi ei obediant. 3. ut norit eas intrinſecus & extrinſecus, audiendo confeſſiones, ad ſe vocet, & alloquatur. 4. ut educat ad paſcua concionum, frequentationis ſacramentorum. 5. ut exemplo vitæ ſanctæ præeat. 6. ut ejus doctrinam ſubditi probent. 7. deteſtentur contrariam hæreticorum, mundi, dæmonis.

3. Ego

3. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet. Fur non venit nisi ut furetur; & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Considera, tunc te fore optimam ovem in ovili, si doctrinam, vitam, & passionem Christi sedulò expendas, & in omnibus imiteris; sive enim per eam ingrediaris in ovile, ut quiescas orationi, ac contemplationi divinarum rerum vaces cum Magdalena; sive egrediaris cum Martha ad juvandum proximum, uberrima pascua invenies, quibus reficias spiritum, 2. si autem aliunde, id est, obsequendo suggestionibus dæmonis; carnis; sociorum malorum, irrepas in ovile, spoliaberis omnibus donis & gratiis & insuper in anima perderis, quia illi sunt fures & latrones,

IN FESTO TRINITATIS.

De Nicodemo & regeneratione.
Joan. 3.

1. *Nicodemus Princeps Iudaeorum, cognitis miraculis Christi, nocte eum adiit, instrui ab eo desiderans.* Considera, bona fortunæ non esse magnifacienda, cum hunc Nicodemum nobilitas generis, & doctrinæ præstantia, (erat enim Pharisæus) impedierint quo minus palam auderet sequi Christum. 1. nota sapientiam Christi, neque ruditatem ejus (quia ex signis factis collegit Christum tantum esse prophetam) neque timiditatem statim reprehendentis, sed post detectam majorem ignorantiam, cùm dixit: *Tu es magister in Israël & hæc ignoras?*

2. *Dixit ei Iesus: (Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.) Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Considera, Christum præcipua fidei capita hic tradere

illi, ut de baptiſmo S. Trinitatis (nominat enim Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum) de pœnitentia, de Incarnatione, de ſigno Crucis & paſſione, de Aſcenſione in cælum, de vita æterna. 2. conſidera te, ſicut dum eſſes infans, non potuiſti ſalvus fieri, niſi per baptiſmum renaſcereris ex aquæ elementaris ablutione, & gratia Spiritus ſancti, ſic neque nunc poſtquam relapſus es vel in unum peccatum mortale, poſſe te venire ad regnum Dei, niſi renaſcaris & renoveris per pœnitentiam ex aqua lachrymarum, id eſt, contritionis, & abſolutionis ſacerdotis; qua confertur gratia Spiritus ſancti. Deinde niſi ſecundùm ſpiritum, & non ſecundùm carnem deinceps vitam inſtituas. *Quod enim eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt Si ſpiritu vivimus*, ait Apoſtolus, *ſpiritu & ambulemus*. Gal. 5.

. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem ſerto, ita exaltari oportet fil..m homi- ut omnis qui credit in ipſum, non pereat.* Conſidera, Chriſtum loqui de ſua crucifixione futura: nihil enim ſæpiùs vel clar.ùs præfiguratum vel prædictum à Pro-

à Prophetis fuit, quàm Christi passio, & ideò Eunuchus reginæ Candacis intellecto loco Isaiæ de passione, mox conversus est, & à Philippo baptizatus. 2. expende, cur Christus in extrema cœna Eucharistiam etiam confici voluerit in commemorationem suæ passionis, nisi ut discas nihil æquè ad conversionem peccatoris, & vitam sanctam instituendam, ad pœnitentiam, ad gratias continenter Deo agendas posse movere, ac meditationem crucifixionis Christi. Nec mirum, quia per illam omnes prophetiæ impletæ sunt, & ideò dixit, *Consummatum est.* 3. considera vocem, *oportet*, nec enim tantùm oportuit, quia prædictum fuit, sed quia ab æterno ita filius Dei decreverat, & Pater ut fieret, ex mero amore in nos, mandaverat. O incredibilem S. Trinitatis erga nos indignos amorem!

MEDITATIO II.

De mysterio S. Trinitatis.

1. CONsidera, cur Deus mysterium S. Trinitatis, & alia nonnulla, ut Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis noluerit à nobis intelligi, imò etiam rebus creatis naturales quasdam indiderit proprietates, quæ nullo ingenii humani studio capi in hac vita queant. Nimirum, ne si omnia caperemus, animo plus æquo extolleremur: & exemplo Luciferi, cum suis, nimiùm de scientia elati, in barathrum rueremus, ut essemus humiles, & ignorantiam confiteremur, ut cognosceremus nos ipsos, ut captivando intellectum plus subjiceremur Deo, soli illi tribuendo scientiæ omniumque rerum gloriam, illaq; subjectione, credendo illi, plus mereremur sicut meruit Abraham: qui quo minus scire studuit, quid præciperetur, vel cur, hoc gratior Deo effectus est

2. Considera, quid credendum sit de S. Trinitatis mysterio, nempe tres esse

esse in divinis personas re inter se distinctas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, unam verò numero naturam Deitatis, ac similiter unam omnipotentiam, æternitatem, immutabilitatem, immensitatem, majestatem & gloriam, intellectum, voluntatem, sapientiam, bonitatem, & cætera, quæ in Symbolo Athanasii habentur. Quare tota Trinitas potest dici, Unus Deus in natura, omnipotentia, &c. Trinus in personis. Unde discis, quanti facienda sit bonorum societas, nam Deus cum natura unus sit, tamen societatem habuit plurium. 2. societatem eò perfectiorem esse, quò major inter socios est unio. Unde in prima societate Christianorum post acceptum Spiritum sanctum tanta erat unio, ut omnium esset cor unum & anima una. At in Trinitate non est solum intellectus, voluntas, potentia, sapientia, bonitas, sed etiam natura una.

3. Considera, omnes homines creatos esse ad imaginem & similitudinem Dei, & S. Trinitatis, quia in omni-

una est anima spiritualis, & tres spirituales potentiæ, intellectus, voluntas, & memoria; imò in omnibus creaturis vestigium relucet SS. Trinitatis. In omnibus enim est aliqua natura, vis vel potentia, ac operatio. Et quod eo plus est & mirabilius S. Trinitas existit in omnibus creaturis etiam vilissimis secundum essentiam, præsentiam & potentiam, & nisi esset, omnes in nihilum reciderent. *In Deo enim vivimus, movemur & sumus*, ut dicit Apostolus: Quod certè non facit, nisi quia intimo amore omnes creaturas, quatenus bonum aliquod in illis est, prosequitur. Cur ergo vicissim non amabimus, non complectemur creatorem & SS. Trinitatem.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Joan. 6.

1. D*Ixit Iesus turbis: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Considera ineffabilem filii Dei amorem

amorem erga hominem, primò factus est homo, ut in unam hypostasin se illi uniret. Deinde ut singulis hominibus esset arctissimè conjunctus, excogitavit carnem suam dare nobis in cibum, & sanguinem in potum, quid autem conjunctius tibi potest esse cibo, cùm in substantiam tuam mutetur? 2. nobilitatem hujus cibi, nec enim in Eucharistia datur nobis panis de furno, nec panis Angelorum manna, sed verè caro Christi, imò totus Christus cum carne, sanguine, anima, divinitate, & immortalis, ut nunc est in cælo. 3. delitias ejus, nam si manna mutabat saporem juxta cujusque voluntatem, quid erit in hoc, cujus manna fuit umbra? In Christo fuêre omnes thesauri sapientiæ, ergo & delitiarum.

2. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Considera, eximium sacræ communionis fructum, nempe, ut sicut palmes viti & membra corporis capiti, sic homo adhæreat Christo, & ab eo, sicut membra à capite, vitam, nutri-

nutrimentum, motum, & alia auxilia accipiat; imò ut sit velut spongia missa in magnũ vas aquæ, ut enim illa intus & extra abundat aqua: ita qui Christi sanguinem bibit, intus à Deo repletur, & foris à Deo protegitur, quia in Deo manet, & Deus in ipso. Ac talis homo meritò nihil cogitare deberet nisi Deum, sicut qui in medio mari est, nihil undique nisi mare.

3. *Non sicut manducaverunt patres vestri mãna, & mortui sunt. Qui manducat hũc panem, vivet in æternum.* Considera hic modum, quo ad dignam communionem parare te debeas nempe, ut neque cum nausea, neque cum murmure, neque ex consuetudine, neque coactus ad illam accedas, hæc enim in veteribus sumentibus manna arguuntur, sed magno desiderio & fame imbibendi Spiritum Christi. Quo enim majori cum fame & siti accesseris, hoc melius sapiet cibus, cibus autem, quò magis sapit, eò magis nutrit. 2. Considera, nullam aliam causam ariditatis tuæ & parvi profectus in virtute esse, quàm

quòd

quod non accedas cum hac ſancta fame; qui enim dignè accedit, vivet in æternum, id eſt, ſemper proficiet, & melior evadet.

DOM I. POST TRINIT.

De divite & Lazaro. Luc. 16.

1. *Dixit Ieſus turbis. Dives ſplendidè vivens, & nihil mẽdico cõferens mortuus eſt, & ſepultus in inferno.* Conſidera diviti nullũ nomen dari, quia impiorum nomina delentur de libro vitæ: & nulla eorum poſt mortem etiam in mũdo remanet memoria. 2. tribus vitiis eum deditum fuiſſe ſuperbiæ, quia byſſo indutus: intemperantiæ, quia ſplendidè epulabatur quotidie; & avaritiæ, quia nec micas dedit pauperibus, ut diſcas cavere pretioſas veſtes in quocumque ſtatu, lautitiam in cibo, & crebram ebrietatem, deinde tenacitatem in dando aliquid egenis, vel aliis operibus miſericordiæ præſtandis, ne periculum incurras damnationis. 3. fuiſſe ſepultum in inferno, ut intelligas,

Infernum esse locum sub terra profundissimum, plenum tenebrarum & horroris, ex quo nulla sit redemptio, vel reditus.

2. *Mendicus nomine Lazarus, ulceribus plenus ne micam quidem à divite exorans, post mortem ab Angelis delatus est in sinum Abrahæ.* Cosidera, nomen piorum mendicorum, quos mundus non agnoscit apud Deum in perpetua vigere memoria, sicut nunc viget Lazari in Ecclesia per 1500. annos. 2. considera, Lazarum hunc non ob miserabilem hanc inopiam & miseriā salvatum, sed ob patientiam in ea tolerandam, unde disce amare potius paupertatē, quàm divitias, & paupertatem quidem voluntariā, quia pauperum spirituChristus ipse dicit esse regnū celorum. Item vitilitatem vestitûs, vulgares cibos, jejunia, aliasq; afflictiones carnis, sanitatem non pluris facere, quā ægritudinē, quia ulcera plus profuere saluti Lazari, quàm sanitas diviti.

3 *Diviti ex inferno imploranti opem Abraham respondit: Fili, recordare quia rece-*

recepisti bona in vita tua, & Lazarus mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Considera, sicut nullum malum bonum irremuneratum manet apud Deum, sic nullum malum manere impunitum, sive in hac vita, sive in futura, Deus enim est justus judex, reddens unicuique secundùm opera sua, ut sæpe Scriptura loquitur. Quo sensu B. Paulus dicit, quæ homo hic seminat, alibi messurum. 2. neminem posse simul hic lætari, & alibi, ut clare hic testatur Abraham: nam dives hîc lætatus, alibi cruciatur: contrà Lazarus hîc cruciatus, alibi consolatione verâ fruitur. Unde & Dominus dixit: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis.* Luc. 6.

DOMIN. II. POST TRINIT.

De cœna magna. Luc. 14.

1. *Dixit Iesus discipulis: Homo quidam ad cœnam magnam per servũ invitavit multos.* Considera, hominem illum

illum esse Christum Deum & hominem, cœnam verò gloriam cælestem: ut enim cœna datur iis, qui die laborant: sic gloria illa dabitur illis, qui strenuè in hac vita usque ad mortem pro nomine Christi sudarunt. Unde sicut operarii post laborem anhelant ad cœnam, ita nos ad illam anhelare debere. 2. dici magnam. primò ob omnium rerum copiam, delitias, & satietatem ibi futuram. 2. ob convivarum multitudinem, & varietatem, id est, omnes Angelos, & Sanctos, Prophetas, Apostolos, Martyres. 3. ob duratione̅ perpetuam in omni securitate. 4. ob societatis incunditate̅: erunt enim omnes co̅junctissimi, lætissimique, animâ, & corpore splendidissimi.

2. *Et cœperunt simul omnes se excusare.* Considera triplex hominu̅ genus se excusare. Primi sunt eme̅tes villas, id est, qui magni, potentes, docti videri volunt. Secundi ementes juga boum quinque, qui plus æquò opibus co̅gerendis, vel eruditione comparanda se occupant. Tertii, ducentes uxorem, qui nimi-

nimiùm dediti sunt carnis voluptatibus, ebrietati, ludis, suo judicio & propriæ voluntati. 2. considera fælices esse religiosos, qui per tria vota hæc impedimenta tria facilè removere queunt, primum per obedientiam, secundum per paupertatem, tertium per castitatem.

3 *Tunc iratus paterfamilias, jussit servum ex plateis, viis, & sepibus quoscumque pauperes, debiles, cœcos, & claudos convocare, imò cogere, ut impleretur domus tota.* Considera, sæpe valdè periculosum esse inspirationi divinæ, quâ aliquando invitamur ad vitam piam & sanctam, non satisfacere, sed se excusare, quia verendum est, ne alius accipiat coronam nostram, nobis exclusis. 1. considera regni cælestis convivio aptos esse *pauperes*, qui vel nihil proprium habent ut religiosi, vel divitias contemnunt, victu & amictu contenti, deinde *debiles*, qui suis viribus non fidunt, sed gratiæ Dei. Tum *cœcos*, qui simpliciter credunt, quod Ecclesia, & suo judicio non innituntur. Et *claudos* qui

nihil boni, se posse facere putāt nisi juventur baculo divini auxilii ac denique *qui cogi se sinunt*, id est, ex alterius arbitrio & sub obedientia vivunt; qui malunt subesse, quàm præesse.

NOTA.

Meditationem hanc paucis mutatis posse accommodari ad S. Eucharistiam, quæ cœna est, quia vesperi in cœna à Christo instituta, deinde in fine diei, id est, vitæ Christi. Magna est, tum quia loco cibi & potus Caro Christi & Sanguis, imò totus Christus Deus & homo manducandus proponitur, omne delectamentum in se habens; tum quia nemo fidelis ab ea excluditur, & usque in finem mundi ubique celebranda est. Excusant autem se ab hac cœnâ superbiæ, avaritiæ, & luxuriæ dediti, id est omnes, propter hæc & similia peccata indigni. Admittuntur autem humiles, qui peccata sua confitentur, & vitæ emendationem divina auxiliante gratiâ proponunt.

DOM-

DOM. II. POST TRINIT.

De ove perdita. Luc. 15.

1. *PHarisæi & Scribæ murmurabant contra Iesum, quod reciperet peccatores & mãducaret cũ illu.* Considera summã charitatẽ Christi, quod nullũ peccatorem, quantumvis maxima injuriâ ab eo affectus sit, contemnat: deinde ad se per pœnitentiam benigne recipiat: receptum etiam ad mensam suam admittat, & cibo corporis & sanguinis sui, velut carissimum ac cui intimè deinceps velit adhærere, reficiat. 2. considera malitiam Pharisæorum, qui bonitate Dei, & aliorum bono exemplo facti sunt pejores: ut discas ingenium mundi esse, murmurare & detrahere piis, si quid boni agant, eosque irrisionibus, aliisque modis impedire.

2. *Quidam ove una ex centum perdita imponit eam inventam humeris; & alios ad gratulandum sibi invitat. Idem facit mulier de drachma una ex decem perdita & inventa* Considera, 99.

oves esse novem choros Angelorum, quia superant numerum hominum: ovem perditam autem esse hominem, quam Christus inventam, quando incarnatus est, imposuit humeris, portans iniquitatem omnium nostrûm, & in cruce expians. Adde tantam fuisse ejus charitatem, ut pro te solo perdito paratus fuerit pati, nam Paulus sic loquitur de eo: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Gal* 2: Considera mulierem illam esse B. Mariam, quæ accensa fidei magnæ lucerna, everrit totam domum animæ suæ, sic ut nullas habuerit peccati sordes; crebrisque precibus pulsans Dei fores, tandem invenit drachmam perditam, id est, gratiam concipiendi Christum, qui hominem ad imaginem & similitudinem Dei formatum & signatum, liberaret à pulvere peccati. Unde Archangelus dixit: *Invenisti gratiam apud Deum*, Luc. 2.

3. *Mulier inventâ drachmâ ad congratulandum convocat amicas & vicinas. Dico autem vobis, inquit Jesus, quod ita gaudium erit coram Angelis Dei super uno*

uno peccatore pœnitentiam agente. Considera B. V. Mariam mox post conceptum Christum per montana cucurrisse ad cognatam Elizabeth, illamque ei congratulatam de benedicto fructu ventris, & inventâ drachmâ. 2. cogita si Christus & mater ejus volunt, ut sibi congratulemur, quando aliquis ad fidem, vel bonam vitam convertitur, si Angeli gaudent, qui tamen non sunt ejusdem naturæ nobiscum, quantò magis nos debemus gaudere cum sit noster frater, ejusdem nobiscum naturæ. 3. Cōsidera, ex hac parabola sequi nullum prorsus posse desperare. Si enim gaudent omnes Angeli in cælo, si gaudet Deus, ita ut cupiat sibi etiam ab alio congratulari de conversione peccatoris, tamquam de invento thesauro perdito; quâ de causâ poterit quis vel cogitare de desperatione?

DOM. IV. POST TRINIT.

Eſtote miſericordes. Luc. 16.

1. *Dixit Ieſus diſcipulis. Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt. Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini.* Cōſidera, hîc monita valdè ſalutaria præſcribi pro dilectione proximi. Primum eſt, ut in miſericordia exercenda erga proximum imitemur patrē cæleſtem, qui omnibus ad ſe clamātibus aures præbet, gratiam largitur, ignoſcit, malos & ingratos prævenit, convertit & ſalvos facit: ut ſæpè abundet gratia, ubi abundavit delictum: Alterum eſt, non judicare illum, id eſt, curiosè in mores ejus inquirere, facta ejus, cum dubia ſunt in malam partem non interpretari, non malè ſuſpicari, ſi ſuperior non ſis: ne & tu judiceris à Deo omnium conſcio. Tertium, nec condemnare, id eſt, illum æterna vel temporali pœna dignum dicere, ſicut Phariſæi damnabant adulteram, quam Chriſtus abſolvit. *Luc. 7.*

2. *Di-*

2. *Dimittite & dimittetur vobis. Date & dabitur vobis, mensuram bonam, &c. eadem enim mensura remetietur vobis.* Considera 4. monitum de dilectione, quod est ignoscere contra nos delinquenti. Si enim dimiserimus hominibus peccata eorum, inquit alibi, dimittet & nobis pater cælestis delicta nostra. Quintum est dare libenter eleëmosynam aliis. Diligere enim debemus proximum non verbo, sed opere & veritate, ait B. Joannes. Et vicissim à Deo, dabitur nobis, nempe omne bonum corporale & spirituale, *mensura conferta*, id est, bona fortunæ, *coagitata*, id est, gratiæ, *superfluens*, id est, bona gloriæ. Merces enim vitæ æternæ longè excedet bonorum nostrorum operum valorem.

3. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?* Considera hoc ad perfectionem secundi moniti pertinere, ut non occupes te unquam in inquirendis, notandis, vel arguendis aliorum vitiis & lapsibus, sed per examẽ quotidianũ conscientiæ severè inquiras & animad-

vertas in proprios, qui sunt aliquando trabes, id est, mortales; quia non de alienis, sed de propriis reddemus rationem in die judicii.

DOM. IV. POST. TRINIT.

Christus docet ex navi Petri. Luc. 5.

1. T*urba irruente Christus ascendit in navim Petri, & in ea pusillum à terra reducta sedens docuit turbam.* Considera, quanto fervore turba hæc accurrerit ad audiendum verbum Dei, nos autē non ad audiendas pias exhortationes, sed ad audiendas nugas, & nova hujus sæculi pari fervore sæpè feramur 2. Christum docere è navi Petri, ut ostendat Romanam Ecclesiam variis tempestatibus in mari hujus mundi agitandam, ut virtus ejus magis elucescat, & te idem passurum, si in ea persistas. 3. navim reductam fuisse à terra, quia doctrina concionatoris & vita non debet esse terrena, sed cælestis.

2. *Vt cessavit loqui, dixit Simoni: Duc in altum, laxate retia vestra in capturam.*

Et

Et respondit: Tota nocte nihil cepimus, in verbo autem tuo laxaborete, rumpebatur autem rete ex copia piscium. Considera Christum in concione movere corda, sed nostrum est cooperari illi, verbo & exemplo. Ducere nempe in altum, aspirare ad cælestia & in nullo sibi parcere ad animas lucrandas. Laxare retia, id est, divinas scripturas breves verbis, sed laxas mysteriis si explicentur. 2. nullum fructum ex concionibus etiam magno labore factis capi, si fiant nocte, id est, in statu peccati, ad vanam gloriam, frigidè, citra voluntatem Dei superiorum. Si autem fiant in gratia & ad gloriam Dei, & superiorum nutu, maximus est proventus.

3. *Petro ex stupore ingenua lapso, & clamanti: Exi à me Domine, quia peccator sum, dixit: Noli timere, ex hoc homines eris capiens, & relictis omnibus eum secutus est.* Considera processum Petri in sua conversione, primò commodat ex charitate Christo navem, & recipit piscibus plenam. 2. procidit ex humilitate ingenua, & constituitur piscator hominum.

 minum.

minum.3.cupit exire à se Christum & eò propriùs illum Christus accedit, nam relictis retibus secutus est eum, ut numquam ab illo discederet, sic ex parvis initiis pervenitur ad summa. 2.quales debeant esse piscatores hominum, nempe humiles, & qui prius se sinant capi à Christo quam alios capiant Deinde, qui Christi vitam & mores sequantur contemptis hujus mundi retibus, id est, opibus, honoribus & voluptatibus.

DOM. VI. POST. TRINIT.

De justitia Pharisæorum. Matth.5.

1. D*Ixit Iesus discipulis: Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Considera, quãta fuerit justitia Pharisæorum, crebrò jejunabant, orabant in templo & plateis, decimas facultatum suarum dabant, gratias Deo pro beneficiis agebant, legem in fimbriis vestium gestabant? vide an major tua sit? 2. considera, quàm magna sit Evangelicæ legis perfectio quæ legem

legem Mosaicam quo ad moralia non tollit, sed perficit, prohibet nõ enim tantũ externa opera mala, sed etiam internas cordis cogitationes, & afflictiones pravas, quia fontes sunt malorum.

2 *Antiquis dictum est, non occides, Ego autem dico, irascentem fratri reum esse judicio, qui verò dixerit, racà concilio; qui fatuè, reum gehennæ.* Considera in nova lege, eadem pœna digna censeri peccata interna & externa, nam non solùm qui occidit, sed etiam qui irascitur in corde ira ad occisionem tendente, & multò magis qui verbo probroso iram eandem declarat, mortaliter peccat; licet alius alio gravius peccet & ideo primus judicii, secundus concilii, tertius gehennæ reus dicitur. Si quis autem ex passione irascatur, vel asperius verbum effutiat, peccatum veniale est. 2 Considera, ista peccata apud homines quidem levia censeri, sed non apud Deum. *Nõ enim viæ meæ*, inquit ipse apud Prophetam, *sunt sicut viæ vestræ, & cogitationes meæ, sicut cogitationes vestræ.* Isaiæ 5.

3. *Si offers munus tuum ad altare, vade & prius reconciliare fratri à te offenso, & tunc offer.* Considera charitatis fraternæ præceptum præponi cultui divino. Quod si fieri debeat in sacrificio legis veteris, multò magis debet fieri in sacrificio Missæ, & communione Eucharistiæ, quæ est sacramentum unionis. *Vnum enim corpus sumus*, ait Paulus, *qui de uno pane participamus*. 1.Cor.10. 2. nota, quòd bona opera nostra, quæ tamen sunt Dei dona, Deus dignetur accipere loco muneris, dum tamen nihil prosint divinæ ejus majestati.

DOM. VII. POST TRINIT.

De septem panibus.Marc. 8.

1. *IEsus ait convocatis discipulis: Misereor super turbâ, quia ecce jam triduo sustinent me, & si dimisero jejunos. deficient in via.* Considera, Christum consilio discipulorum uti, ut discas, sive superior sis, sive non, non spernere consilia subditorum, & simplicium, cum constet Deum respicere humiles, & sapien-

tiam

tiam dare parvulis 2. nota, non doctos, & potentes, sed humilem turbam sequi Christum, & quidem tanto desiderio proficiendi, ut triduo eum secuta sit non cogitans de cibo, ut discas libenter laborare in instructione populi simplicis & puerorum, & magis anhelare ad cibum spiritualem animæ, quàm corporalem, quia si ille desit, verè deficiemus in via spirituali.

2. *Christus septem panibus, paucisque pisciculis benedictis, quatuor millia hominum pavit in solitudine.* Considera nos hujus mundi viam ad æternam patriam securos transire non posse, nisi à Christo reficiamur septem Spiritus sancti donis. Mundus enim hic desertum est, quia cogimur eum deserere, non habentes hic manentem civitatem, imò solitudo est, in quo nihil veri boni est, sed tantùm umbra, & vanitas vanitatum. Pauci pisciculi, sunt exempla paucorum Sanctorum. 2. Considera Christum per manus Apostolorum panes distribuisse, ut scias Deum dona sua nobis per medios superiores communicare,

nicare, & ideò ad eorum voluntatem & manus nobis, maximè si religiosi sumus, respiciendum est.

3. *Saturati sunt omnes, & sustulerunt, quod superrat de fragmentis, septem sportas.* Considera liberalitatem Christi, qui ita pascit liberaliter pios, ut semper satiet spiritualiter. 2. debere nos reliquias mensæ colligere, ne pereant, sed aliis quoque distribuantur, hoc est, dona spiritualia nobis à Deo collata, etiam aliis communicare. 3. si quid largiamur corporale vel spirituale aliis, non fieri nos pauperiores, sed ditiores, sic ut pro septem panibus plura panum millia accipiamus.

DOM. VIII. POST TRINIT.

De falsis prophetis. Matth. 7.

1. *Iesus dixit discipulis: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt in vestibus ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Considera, bonitatem & sapientiam Dei, qui tantum malum, id est, falsos Doctores tot animarum perversores

res non permitteret, nisi inde majus bonum colligeret: ut discas ex quovis malo, commodum spirituale colligere. 2. per falsos Prophetas non tantùm intelligi hæreticos, & hypocritas, sed omnes qui carnalia & suavia obtrudunt sub specie virtutis, ut est caro nostra, mundus & diabolus: caro enim prædicit, te non diu victurum, si durè ipsam tractes, sed falsò, quia sancti qui jejunia maxima coluêre, diutissimè vixêre 3. intrinsecus illos esse lupos rapaces, qui etiamsi extrinsecus ostendant vestem ovilem, id est, promittant incolumitatem corporis, tamen quærunt intus occidere animam.

2. *A fructus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor mala bonos fructus facere, & ideò excidetur, & in ignem mittetur.* Considera, sicut quales hæretici hujus temporis sint, opera ostendunt, utpote quæ prorsus sunt carnalia, (cùm ipsi refugiant omnia quæ carni & sanguini sunt molesta) sic etiam quales prophetæ sint caro & mundus, ostendunt effectus; reddunt enim conscientiam

tiam inquietam, fervorem pietatis tollunt, agunt tentationes carnales, creant inconstantiam in vocatione, &c. 2. expende hominem comparari arbori, quia ſicut illa in terra plantata fructum cum ramis producit ſurſum, ſic homo, licet in terra ſit, converſationem debet habere in cælis, & fructus producere cæleſtes, alioquin excidendus & in flammas æternas conjiciendus.

2. *Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum, ſed qui facit voluntatem Patris, qui in cælis eſt.* Conſidera neminem ad vitam æternam venturum, niſi fidem, vel vocationem, quam profitetur opere compleat. Deus enim voluntatem ſuam declaravit, immediatè quidem in divinis, mediatè verò in humanis Eccleſiæ, & cujuſque ſacræ religionis præceptis, & ſtatutis. 2. Deum non tam ad externas cæremonias & opera, jejunia, cilicia, cantum in Eccleſia, quam ad cor purum reſpicere. *Hæc enim eſt voluntas Dei*, ait Apoſtolus, *ſanctificatio veſtra*. 1. Theſſal. 4.

DOM.

DOM. IX. POST TRINI-tatem.

De villico iniquitatis. Luc. 16.

1. *Dixit Iesus discipulis: Dives quidam vocat villicum qui dissiparat bona illius, jubetque reddere rationem villicationis.* Considera divitem illum esse Deũ, cujus est *orbis terræ & plenitudo ejus:* villicum esse quemque nostrum, quia cuique villam animæ, corporis, fortunarum, ingenii, doctrinæ, bonorumque aliorum naturalium & supernaturalium colendam dedit, quam si in Dei gloriam & laudem, nostram & aliorum salutem non coluimus, reddemus rationem in die judicii, quia omnia ista nostra non sunt; sed Dei. 2. tum vocari nos à Domino, cum concionibus, morbis, bonis exemplis, internis inspirationibus monemur strictam aliquando reddendam rationem de villâ malè administratâ, & donis Dei malè expensis.

2. *Ait villicus intra se: Quid faciam? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, debitores mihi faciam amicos*

cos detrahendo aliquid de summa debitorum. Considera, hæc villicum, vel peccatorem dicere, postquam interiùs commotus est ad pœnitentiam, post mortem enim cum reddenda ratio est, non erit fodiendi vel mendicandi locus, quia nemo ampliùs poterit, vel bonis operibus, vel precibus tunc quidquam mereri. 2. debitores esse pauperes, & omnes illos, quibus possumus pro talento nobis concredito, sive opum, sive doctrinæ & eloquentiæ, sive alio prodesse: hos enim facimus nobis amicos, cùm illis liberaliter quidquid possumus vel ex facultatibus nostris, vel ex doctrina, vel alio auxilio impertimur, quia impetramus remissionem peccatorum, & amici facti meremur vitam æternam.

3. *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Considera, divitias dici Mammonā iniquitatis, non quod natura sua malæ sint, cùm omnes creaturæ Dei bonæ sint, sed quia, Apostolo teste, *qui divites fieri volunt, facilè incidunt in ten-*

tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum. 1. *Timoth.* 6. quia pauperum piorum est regnum cœlorum. Matth 5. 2. non debere per eleëmosynam, vel unam magnam, (quam faciunt qui semel omnia dant pauperibus ingrediendo religionem) vel plures minores, à pauperibus emere regnum cœlorum. Unde colligis, quanti faciat Deus paupertatem spiritus, & opera misericordiæ.

DOM. IX. POST TRINItatem.

De fletu Christi super Hierusalem. Lucæ 19.

1. *IEsus videns civitatem Hierusalem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses & tu.* Considera Dominum inter summos honores hoc die (Palmarum) à populo sibi delatos lachrymari de Hierosolymę excidio post multos annos futuro, ut præbeat nobis exemplum ne rebus prosperè fluentibus obliviscamur afflictio-

ctionum proximi, hoc enim facit societas in uno corpore, ut si unum membrum patiatur, compatiantur cætera. 2. eum flevisse non ob ruinam materialem urbis, sed ob peccata, quæ causam ruinæ dederunt: ut nos quoque discamus deflere non temporalia damna; sed peccata nostra. Et rectè, quia lachrymis temporalia damna non possumus resarcire, possumus autem damnum spirituale, ut eluto peccato, gratiam Dei recuperemus. 3. Considera omnia mala nostra oriri ex defectu cognitionis, nam dæmon velat oculos peccatoris, ne gravitatem peccati cognoscat, ita ea ignorata in suum exitium ruit.

2. *Venient dies, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt undiq;.* Considera id quidem ad literam intelligi de obsidione arctissima Hierosolymæ, mysticè autem de morte peccatoris. Dæmones enim moriturum tanto numero cingunt, ut spes vix sit evadendi. Coangustant objectis, peccatis præteritis, & futuris pœnis. Prosternunt quoque in terram, hoc est, in desperationem

tionem adducunt, nec relinquunt lapidem super lapidem, id est, bonis omnibus quæ umquam fecit, privant. Causa est, quia non cognovit *tempus visitationis suæ*, quod non est aliud quam tempus hujus vitæ, in qua visitamur, incitamur admonitionibus, exemplis, & legibus ad officium virtutis.

3. *Christus ingressus templum ejecit ementes & vendentes, dicēs: (Domus mea, domus orationis vocabitur.)* Considera Dominum ardentibus oculis severè ementes & vendentes objurgantem, tum etiam irruentem in mensas & evertentem, adjuvantibus discipulis; ut discas magno zelo uti, quando divinę majestatis gloria vindicanda est. 2. Si domus illa veteris legis, erat Dei domus & orationis, in qua arca lignea servabatur; quantò magis domus Dei & orationis erit domus nostra, in qua ipse Christus Deus & homo in Eucharistia est præsens; ac proinde in templis semper cum magna reverentia est versandum, & orationi, non fabulis vacandum.

DOM.

DOM. XI. POST TRINI-tatem.

De Pharisæo, & Publicano. Luc. 18.

1. IEsus dixit discipulis: *Duo homines ascenderunt in templum ut orarent. Unus erat Pharisæus sic orans: Deus gratias ago, quòd non sim sicut cæteri hominum, jejuno bis in sabbatho, decimas do.* Considera, quam sit terribilis in cõsiliis suis Deus. Quis enim nostrûm non præferat hodie Pharisæũ qui tam multa bona fecit, & de iis Deo gratias agit, Publicano, qui multa mala fecerat, & nihil boni? & tamen hic justificatus est præ illo. 2. nota, in quo peccarit Pharisæus. Primò, quia censuit se justum quod solus Deus scit. 2. quia se laudavit: *Laudet te alienus,* ait Sapiens, *& non os tuum,* *Proverb.* 27. 3. quia cæteros censuit injustos contra illud: *Nolite judicare.* 4. quia cæteris se prætulit, cum Apostolus doceat, quod in humilitate omnes superiores debeamus arbitrari.

3. *Alter Publicanus stans à longè, nec ocu-*

oculos audebat ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Considera, quas Deus veræ humilitatis conditiones in isto notârit, primò, quod non ausus fuerit oculos ad cælum levare, reputans se esse nihil, & quid est homo, licet justus respectu Dei, nisi pulvis & cinis? 2. quia confessus est se nihil boni fecisse, nec habere, nec habiturum, nisi ex mera Dei gratia, dicens: *Deus esto mihi propitius.* 3. quia non modo nulli se prætulit, sed indignum etiam censuit, ut propè alios staret. 4. quia se accusavit, ut peccatorem. *Justus enim sui accusator est*, ait sapiens: *Proverb.* 18. 5. quia & intus suam indignitatem agnovit percutiens pectus.

3. *Amen dico vobis. descendit hic justificatus ab illo, quia omnis, qui se exaltat humiliabitur, &c.* Considera, quantum malum sit superbia respectu cæterorum vitiorum, ut nempe simul & semel omnia bona opera destruat; ut nihil sint, nec prosint, cætera enim vitia singulas tantum virtutes tollunt, ut ira patien-

patientiam, avaritia liberalitatem. Contra humilitas, etsi nulla bona, imò multa mala conjuncta habeat, omne bonum sibi conciliat. 2. Considera, quam humiles deinceps esse nos conveniat, animo, verbo & opere; & propter arcanum Dei judicium semper pavidos, numquam de bonis operibus gloriantes, sed omnium minimos judicantes.

DOM. XII. POST TRINItatem.

De surdo & muto, Marci 7.

1. QVidam adducunt Christo surdum & mutum, precantes, ut imponat illi manum. Considera surdum spiritualiter esse qui aures claudit concionibus, monitionibus, & inspirationibus Dei & conscientiæ: Mutum; qui os claudit ad agendas Deo gratias, ad confitenda sacerdoti peccata, ad colloquia pia, ad juvandum proximum. 2. si sanari velimus ab utroque malo, non debere solum nos ipsos Dominum orare, sed etiam sanctis uti intercessoribus, ut multiplicatis oratoribus facilius impetretur venia.

3. Chri-

2. *Christus eum de turba seorsum duxit digito in aures inseruit, exspuens tetigit linguam, suspiciens in cœlum ingemuit, & ait, Epheta ac sanatus est.* Considera, quibus ritibus usus sit Dominus, ut discas quomodo & tu à peccatis curari debeas, primò enim opus est, ut pravam societatem, & occasiones peccandi deseras. 2. ut gratiam Spiritus sancti, qui per digitum in S. Scriptura designatur, implores. 3. ut sapientiam, ea tantum loquendi obtineas, quæ ad ædificationem sunt, ut enim saliva ex capite defluit, sic sapientia ex intellectu. 4. ut doleas de peccatis, & de cœlo expectes indulgentiam. 5. ut peccatum per confessionem publicam vel privatam aperias, & opera Dei prædices: sic enim desines esse surdus & mutus.

3. *Et præcepit illis, ne cui dicerent, illi autem tantò plus prædicabant, dicentes: Bene omnia fecit.* Considera, primò à Christo hic nos discere, quantum studiũ, ad conservandam humilitatem, conferre debeamus, nempe ex parte nostra bonorum operum, quæ facimus laudem &

vanam gloriam fugiendo. Secundò à turba, quòd grati esse debeamus pro beneficiis à Deo acceptis, & zelum habere in tuenda Dei gloria, alteriusque honore ac famâ bonâ, nos ipsos potiùs aliis postponendo. 2. Considera, & tecum omnia benefecisse hactenus Dominum, ideoque ab eo laudando & benedicendo nunquam cessa.

DOM. XIII. POST TRINItatem.

De Samaritano & Levita. Luc 10.

1. D*Ixit Iesus discipulis: Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, multi enim Reges & Prophetæ ea voluerunt videre, & non viderunt.* Considera, sicut beatiores Prophetis erant Apostoli, quod non solùm oculis mentis vel fidei viderent Christum, sed etiam corporis: ita te quoque multis millibus fidelium Christi beatiorem esse, qui occasionem non habent tam multa bona videndi & audiendi (ut qui inter Turcas, vel hæreticos vivunt) sicut tu habes; & ideo pro tanto bene-

Iesu præceptor, miserere nostri. Considera per Leprosos decem, designari omnes peccatores vel transgressores præceptorum Decalogi, vel certè qui incurabiles quasdam retinent imperfectiones. Ut enim leprosi suo fœtido anhelitu alios corrumpunt: ita imperfecti & leves sua cōversatione aliis obsunt. 2. ut in leprosis multa minuta & fœda erumpunt ulcera, & semper sitiunt, ita in imperfectis, novi semper defectus oriuntur, & nullis voluptatibus vel recreationibus satiantur. 2. Considera, ut tales mundentur, debere stare à longè, id est, valdè se humiliare, & indignitatem ac fœditatem suam agnoscere. 2. toto corde auxilium Dei invocare.

2. *Christus jussit, ut ostenderent se sacerdotibus, & dum irent, mundati sunt.* Considera Christum mittere leprosos ad Sacerdotes antequam eos curasset, ut discas morbos animi non tantùm confiteri Deo, sed etiam sacerdoti. Curati verò sunt in via, dum irent, ut discas quanta sit virtus fidei & obedientiæ, & ideò libenter inspirationi divinæ parere.

 3. *Unus*

3. *Vnus videns se mundatum rediit, & voce magna supplex Christo gratias egit, & hic erat Samaritanus & alienigena.* Considera leprosum hunc; quia gratus fuit, majora dona meruisse, nempe sanitatem animæ, Christus siquidem ei dixit: Vade, fides tua te salvum fecit: cæteri novem, quia ingrati, animâ & corpore perierunt. 2. Considera unum tantùm ex decem salvari, & veram esse sententiam Christi: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 2. Et salvari quidem alienigenam præ aliis, ut scias Deum non esse acceptorem personarum, sed omnibus gratiam suam impertiri, qui eam non respuunt.

DOM. XIV. POST TRINItatem.

De duobus Dominis. Matth. 6.

1. JEsus dixit discipulis: *Nemo potest duobus Dominis servire, non potestis Deo servire & Mammonæ.* Cõsidera hic per duos dominos, intelligi duos cõ

tra

trarios, Deum & dæmonem, qui dicitur Mammon, id est, Deus divitiarum. Hi enim contraria suadent. Deus vult cœlestia appeti, carnem domari, superflua nostra dari pauperibus; dæmon verò vult appeti temporalia, carnem delitiis nutriri, aliena rapi. Si ergo vis Deo servire, necesse est ut cœlestia quæras, non carnis illecebras, non opes, honores, voluptates, quas Deus vult contemni.

2. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, qui manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.* Considera hic Christum quatuor vel quinq; argumentis probare, nos debere solicitudinem de rebus ad vitam sustentandā necessariis rejicere in solum Deum omnium bonorum auctorem; juxta illud: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Ps. 49 Unde discis, quāta vanitas sit mundanorū, qui à nunc ad vesperā nulli rei, nisi victui curando student, ac si Deus non esset in cœlo solicitus de nobis suis filiis. Et contrà, quanta felicitas religiosorum, qui victu & amictu

parco contenti, Deo se totos consecrarunt.

3 *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Considera, tum primò quærere nos regnum Dei, cùm operam damus, ut simus in Dei gratia, & mandata ejus observemus; per hæc enim pervenitur ad regnum Dei. Deinde, cùm quidquid cogitamus, loquimur & facimus, ad Dei gloriam, & salutem animæ nostræ facimus. 2. Considera, ubi id fecerimus, nobis etiam in amictu necessaria, (modò solicitudinem aliquam moderatam non negligamus) minimè defutura, nam anxiam tantùm & immoderatam solicitudinem rerum temporalium damnat Dominus.

DOM. XVI. POST TRINItatem.

De filio viduæ Naim. Luc. 7.

1. *Cum Iesus appropinquaret portæ civitatis Naim, ecce defunctus efferebatur filius viduæ.* Considera horam mortis omnibus etiam juvenibus & sanis

nis esse incertam, & ideò vigilare debere. 2. te tantùm in vita mundo gratũ fore, post mortem autem foras statim exportandũ, & ideò non mundum, sed sanctam vitam, operaq; bona amplecti debere cum Christo: quia illa te post mortem non deserent. 3. defunctum spiritualiter significare peccatorem ob peccatum mortale defunctum Deo, eumque efferri à 4. bajulis; quorum duo antecedunt, nempe consuetudo peccandi, & prava societas; duo sequuntur, spes scilicet vitæ longioris, & præsumptio de misericordia Dei.

2. *Dominus viduæ dixit, noli flere, & portatoribus stantibus tetigit loculum dicens: Adolescens, surge. Et resedit, locutus est, & matri redditus.* Considera, in hoc exemplo quibus modis peccator, vel aliquis multis imperfectionibus obrutus resipiscat. Primò, Deus calamitate vel fletu illius ad misericordiam movetur. 2. per gratiam & desiderium pœnitentiæ tangit ejus cor. 3. per contritionem ex peccato surgit. 4. loquitur, accusando se in confessione. 5. verbis Christi & sacer-

dotis

dotis absolventis vitæ gratiæ restituitur. 6. peccatores stant, id est, deserunt omnia quæ in peccato eum fovebant. 7. matri Ecclesiæ restituitur.

3. *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, quia propheta magnus surrexit in nobis.* Considera, sicut inter miracula corporalia nullum majus est excitatione mortui, ita inter spiritualia nullum esse majus conversione peccatoris, & ideò sicut homines illi Naimitæ hoc facto profecerunt in reverentia & religione erga Deum, eumque laudârunt & glorificârunt, sic Angeli in cœlo gaudent super peccatore pœnitentiam agente.

DOM. XVII. POST TRInitatem.

De Hydropico. Luc. 14.

1. *CVm introisset Iesus in domum Pharisæi sabbatho manducare panem, ipsi observabant eum.* Cõsidera, benignitatem Christi non refugientis consortiũ hominum improborum, qui ad calum-

niandum eum obſervabant, ut ſuo colloquio poſſit eos ab errore & peccatis deducere: unde diſce, nõ eſſe ſemper eorum conventũ fugiendum, ſed laborandum, ut noſtro exemplo, verboq; meliores fiant, & ſi puſillanimis ſis, ora Deum, ut audeas ex zelo coram talibus aliquid boni dicere. 2. nomine panis indicari ſobria debere eſſe cõvivia. Certè ſcriptura panem & aquam appellat initiũ vitæ hominis, & experientia docet 100. annis vixiſſe, qui ſobriè penè ſolo pane contẽti vixêre. Quod ſi tibi non liceat per ſuperiores ſic vivere, ſaltem paucis cõtentus vive, & reſpue ferculorum copiam.

2. *Hydropicum ibi præſentem ſanat, & probat ſanari poſſe ſabbatho, ſicut aſinum in foveam lapſum licet extrahere.* Conſidera rurſus Chriſti charitatẽ, quod quavis data occaſione, etiam tempore prandii ſanet hydropicum, etſi ſciret Phariſæis illud diſplicere. 2. quod argumentis conatur probare, ſe poſſe illis benefacere. 3. quod occultè conatur eorum hydropiſin, id eſt, inflationem & faſtum mentis ſanare, & ideò de humilitate

militate exemplum ſubjungit. Conſidera ſecundò Phariſæos nihil reſpondere potuiſſe, quid ergo reſpondebunt in die judicii, quando ſtrictiſſimè omnia inquirentur?

3. *Cùm vocatus fueris ad nuptias, recumbe noviſſimo loco. Quia omnis qui ſe exaltat; humiliabitur.* Conſidera, Christiani hominis eſſe, non ſolùm civiles mores ſervare, ſed etiam alios, quamvis prandii tempore, docere; etſi hæc regula quòd humilis exaltandus ſit, fallax ſit in mundo, ubi humiliantes ſe ſæpe manent inglorii & contempti, infallibilis tamen eſt in conſpectu Dei, quia *Deus*, ait Beatus Petrus, *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 3. Conſidera neminem dignius intereſſe convivio cœleſti S. Euchariſtiæ, quam qui humilis eſt, dicens cum Publicano, *Domine propitius eſto mihi peccatori.*

DOM. XVIII. POST TRInitatem.

De mandato magno in lege. Matth.21.

1. *Legis Doctori roganti quod est mandatum magnum in lege, respondit Iesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, anima, mente, hoc est maximum & primum mandatum.* Considera, tunc ex toto corde diligi Deum, quando omnes cogitationes in eum reflectimus: totâ animâ, cum affectiones omnes in eum convertimus: totâ mente, cùm omnes quoque sensus facimus ei servire, denique cum nihil diligimus, nisi propter ipsum. 2. Considera, cùm aliquem diligis, te libenter cum eo colloqui, ejus domum adire, secreta patefacere, cum eo comedere, & munere donare. Sic fac cum Deo. Libenter in oratione & meditatione cum eo colloquere, templum, quæ est ejus domus, crebrò accede, peccata tua ejus vicario confitere, sæpe communica, & teipsum, quo munus ei

gratius dare non potes, omniaque opera bona offer ad ejus gloriam, & vicissim majora recipies.

3. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Considera proximum non esse tantùm, amicum, vel Christianum, sed omnes homines tam notos, quam ignotos, amicos quam inimicos, fideles quam infideles; omnes enim ad imaginem Dei creati sunt, & unius parentis nostri Adæ filii. Pro quibus omnibus orare debemus, offensas condonare, bona temporalia & spiritualia precari: quia pro omnibus, etiam crucifixoribus suis Christus mortuus est. Expende, quam longè absis à perfectione hujus dilectionis. 2. Considera, tam necessariam esse istam dilectionem, ut sine illa nec Deus rectè diligatur. *Qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum quem non videt*, inquit B. Joannes, *quomodo potest diligere?* Joan. 4.

3. *In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Considera, id à Christo dici, non quod alia præcepta & documenta non sint, sed quod omnium

quæ

quæ præcipiuntur, consuluntur, prohibentur, promittuntur & docentur in prophetis, totaque Scriptura finis sit dilectio Dei & proximi, ut si illa à quibuscumque tandem operibus etiam optimis absit, nihil prosint ad salutem. Qui finis, quò facilior est, & naturæ humanæ convenientior, (amanti enim nihil difficile) eò studiosius eum propositum, habere debemus. Quid faciliùs, & jucundius quam diligere?

DOM. XI & POST TRINITATEM.

De Paralytico, Matth. 9.

1. *Christus paralytico in lecto jacenti ob fidem deportantium eum, dixit: (Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.)* Considera, Christum non rogatum primò ei remittere peccata, ut discas priùs in te aliisque sanitatem animæ quærere quã corporis. Deinde peccata sæpe esse causam morborum. 2. Considera bonum esse te versari in societate multorum piorum, ut si non tuâ

fide & operibus, illorum ſaltem pietate & precibus ſanitatem ſpiritualem impetres, maximè ſi paralyticus ſis, id eſt, multis imperfectionibus obnoxius.

2. *Ieſus videns cogitationes blaſphemas Scribarum, ait: Quid eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambula:* Conſidera, exemplo Chriſti nos doceri, ut quoties pravè menti obrepit cogitatio, debere reprehenſione noſtri ipſam mox repelli; dicendo: Ut quid cogitas malum in corde tuo? 2. ſervum Dei contra maledicos, & detractores non aliis armis uti, quam boni operis exemplo, ut hic Chriſtus fecit ſanans paralyticum; ut oſtenderet ſe poſſe remittere peccata; quod Scribæ putabant blaſphemum.

3. *Tunc ait paralytico. Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Conſidera per paralyticum intelligi ſpiritualiter peccatorem, operibus meritoriis deſtitutum, vel otio turpi in ſua vocatione marcentem. Is primò Deo confidens à vitiis vel imperfectionibus antiquis debet ſurgere, per bonum propoſitum

positum vitæ emendandæ. 2.tollere lectum, id est, corpus suum cogere servire justitiæ, quod priùs servivit iniquitati, castigareque illud jejuniis, disciplinis, &c. 3. vadere in domum suam, id est, bonorum operum exercitio de virtute in virtutem proficere, donec perveniat ad domum, id est, ad patriam cœlestem.

DOM. XIX. POST TRInitatem.

De veste nuptiali. Matth 22.

1. D*Ixit Iesus discipulis parabolam: Rex ad nuptias filii sui invitavit multos, sed quidam se excusarunt, alii verò invitatores occiderunt.* Considera, Deum fecisse nuptias filio suo, quando carnem humanam ex B. Virgine assumpsit, ad quas, & tu es invitatus. Hic qui intersunt, id est, Christum per fidem vivam recipiunt, ii fiunt filii amici & domestici Dei, heredes regni, fratres & socii individui, donorum Spiritus sancti & omnium charismatum cælestium participes.

cipes. *Qui enim adhæret Deo*, ait Apostolus: *unus Spiritus est cum eo*, 1. *Cor*. 6. Considera duo genera hominum se excusasse, visentes villam, & negotiatores, id est, homines superbos & avaros, qui aucupandis honoribus, vel cumulandis hujus sæculi opibus sunt addicti.

2. *Rex verò iratus perdidit homicidas. & ex viis publicis alios, tam bonos, quam malos, invitari jussit, donec impletæ essent nuptiæ discumbentium*. Considera quis sit exitus eorum, qui ad has nuptias venire negligunt, vel etiam invitatores suos reipsa occidunt, vel saltem molestè ferunt: ut sunt omnes concionatores, qui ad pœnitentiam, & sacramenta alia homines invitant, post breves enim hujus sæculi voluptates, æterna eos manet damnatio & perditio. Mali in mundo rident & vexant pios, crebro cœlestes has nuptias per sacram communionem frequentantes, sed posteà ipsi vexabuntur à dæmonum exercitu in inferno. 2. Considera, in locum illorum, alios invitari ex publicis viis, id est, pauperes spiritu

ſpiritu & humiles, qui locum ſuperborum & locupletum ſuppleant, quia ad has nuptias nulli aditus datur, niſi veram colat humilitatem, & fidei conjunctam retineat charitatem.

3. *Rex videns hominem non veſtitum veſte nuptiali, ait: Amice, quomodo huc intraſti, at ille obmutuit. Tunc Rex dixit miniſtris: Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Cōſidera, eum qui veſte nuptiali caruit, licet interfuerit nuptiis, damnari. Sunt enim aliquando hypocritæ, qui videntur foris pii, cum aliis orant, confitentur, communicant, ſed ſine veſte nuptiali, id eſt, non ſincerè & cum pura intentione Deo placendi, vitamque emendandi, ſed fictè, ut tantum placeant hominibus, vel ut nequitia eorum non pateſiat. Ut diſcas talem ſemper intus eſſe in conſcientia, qualem exterius verbis & operibus eſſe oſtendit, tunc enim eris non tantum inter multos vocatos, ſed etiam inter paucos electos.

DOM. XXI. POST TRInitatem.

De Reguli filio. Joan. 4.

1. R*Egulus rogat Iesum ut descendat, sanetq́; filium suum incipientem mori.* Considera vanitatem omnium quæ in mundo sunt; quid enim nobilitas, & opes profuêre Regulo, ut à morte liberaret filium? 2. Dei sapientiam tam variis mirisque modis homines pertrahentem ad salutem: occasione enim hujus letalis morbi factum est, ut & Regulus quæreret Christum, & tota ejus familia converteretur. Ut meritò morbi inter dona Dei sæpe sint reponendi, & optandi potiùs, quam horrendi.

Dixit Iesus ad eum, nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Considera Christum duriusculè alloqui Regulum, tum quod fides ejus esset imperfecta; credebat enim ab eo quidem filium sanari posse, sed præsente: & ideò secundò petiit, ut descenderet: tum divites qui in hoc mundo suas habeant consolationes, & sæpe tantas, ut non nisi incre- patio-

pationibus excitari queant ad curandam salutem. 2. expende, num aliquid tuæ quoque fidei desit; si enim verè crederes Dei promissionibus de vita æterna, & comminationibus futuri judicii, purgatorii & inferni, longè ardentior esses in exercitatione pietatis, omniumque bonorum operum.

3. *Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit, Credensq; Regulus sermoni ibat, & postquam ex obviis servis cognovit filium revaluisse eâdem horâ, credidit ipse & domus ejus tota.* Considera, te esse illum Regulum; quia regendas habes potentias animi tui internas & externas, omniaque membra, ut subsint Deo, & rationi. Filius tuus est anima tua, quæ dum lapsa est in peccatum mortale, aut lapsui proxima est, mox clamare debes ad Dominum, & si firmiter credideris, quod solo nutu te juvare queat, non solùm anima à peccato liberabitur, sed etiam gratiam consequeris alios convertendi.

DOM. XXII. POST TRINItatem.

De Rege rationem ponente cum servo. Matth. 28.

1. R*Ex cuidam servo suo, decem millia talenta remisit, eo quod prociderit in terram dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Considera, Regem esse Christum, servum esse quemvis hominem, qui à Deo creatus est, Christi sanguine redemptus, & in vineam vitæ præsentis conductus, ut Christo serviat. Hic autem decem millia talenta debet, quando decem præcepta transgreditur, quia nullo modo homo satisfacere potest, vel pro unius præcepti transgressione, sed eget merâ Christi regis misericordiâ, quam consequetur, si ex parte sua humiliarit se, pœnitentiam egerit, & proposuerit emendationem. 2. cogita, quoties per relapsum homo debitum illud decem millium talentorum renovârit, & tamen ex ineffabili misericordia Dei, non dimidiam, sed integram

tegram veniam impetrârit, quoad culpæ offensam, & aliquando etiam quoad pœnam, dum fuit contritio vel indulgentia plenaria pœnitentiæ conjuncta.

2. *Ille servus abiens, conservo suo debitum 100. denariorum, licet hic procidens rogasset pro patientia, non dimisit, sed in carcerem misit. Quo cognito Rex iratus tradidit servum suum tortoribus, donec universum debitum redderet.* Considera, crudelitatem servi, nolentis dimittere debitum; cùm hoc, nempe decem coronatorum, nullum fuerit respectu prioris, quod erat 120. vasorum auri, ut discas, te quoque crudelem fore, si injuriam non remittas proximo, cùm hæc nulla sit, respectu injuriæ per peccatum Deo factæ. 2. Considera, quid movere te debeat, ut libenter injuriam illatam remittas proximo. Primò, quia Deus præcepit diligi proximum. 2. Dei longanimitas in tolerandis impiis & inimicis donec se emendent, idque in annos multos. 3. quia efficeris hoc actu filius Dei. *Diligite*, inquit Christus, *inimicos vestros, & eri-*

tis filii altissimi. Matth 5. 3. perpende, ingratitudine iram Dei provocari, & pœnas peccatorum augeri.

3. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Considera, quanti faciat Deus dilectionem proximi, quoad condonationem injuriæ, ut suam scilicet dilectionem & misericordiam ei neget, ac prætereain æternas flammas eum detrudat. 2. non sufficere illi, ut ore tantùm fiat remissio, sed ex corde, ut nullam aversionem sentiat in animo, nec recordetur amplius injuriæ. Nam etiam in veteri lege scriptum est: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum* Levit. 19.

DOM. XXIII. POST TRINItatem.

De numismate census, Matth. 22.

1. *PHarisæorum discipuli cum Herodianis missi, ut Christum caperent in sermone, aiunt: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, nec respicis*

respicis personam hominum. Considera, quod sit ingenium improborum hominum; nempe alios malos sibi adsciscere. 2. quod per se nequeunt, id per alios moliri. 3. consilia inire contra bonos. 4. fictè agere. 5. adulari & laudare. 2. Considera, piorum & Christi imitatorum esse, ut sint Magistri, id est, auctores bonorum operum aliis verbo, & exemplo, deinde veraces, non ficti, qui scilicet promissa præstent. 3. viam Dei docentes in veritate, non tractando nugas, sed pia colloquia usurpando, solidas virtutes proponendo & exercendo. 4. neminem timentes, nisi solùm Deum, ac omnibus liberè veritatem prædicantes, laudando bonos, increpando malos.

2. *Petentibus an census dandus esset Cæsari, respondit Iesus: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Et obtulerunt denarium signatum imagine Cæsaris.* Considera, Dominum adulatoribus non adblandiri, quia solent non laudari, sed suam quærere utilitatem; ut discas non diligere favores humanos. 2. fictos & fraudulentos

non posse diu latere. 3. rectè nos facere, quando ex ipsorum verbis eos redarguimus; nam quia dixerant Christum non esse acceptorem personarum, illis non pepercit, sed hypocritas vocavit.

2. Considera, contra tentationes dæmonis, carnis & mundi quæ sit imago impressa animæ nostræ, nempe Dei, ad cujus imaginem creatus es & in Baptismo reformatus adjuncto signo crucis, cum superscriptione, *Declina à malo, & fac bonum*, quod in Baptismo promisisti. Et si religionem ingressus es, cum inscriptione, *Serva paupertatem, castitatem, & obedientiam*, quia vovisti.

3. *Tunc ait illis*: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Considera, nos per libertatem à peccato & dæmone, quam habemus per Christum non eximi ab obedientia superiorum, tam secularium, quam spiritualium, tum quia illi vigilant pro nobis in temporalibus & spiritualibus, tum quia Christus, licet verè Dominus & superior omnium, eximi noluit: jussit enim didrach-

didrachma pro se & Petro dari, ne scandalizaret. 2. hîc Cæsarem anteponi Deo, quia Deo obedire nequit, qui rebellis est Imperatori, vel superiori suo immediato; sicut neque Deum diligere potest, qui proximum odit.

DOM. XXI[illegible] POST TRINItatem.

De principis filia, & Hæmorroissa. Matth. 9.

1. *PRinceps Synagogæ cùm adorato Christo petiisset manum imponi filiæ defunctæ, ad domum ejus secutus est, & ejecta turba cum tibicinibus, manum apprehendens, eam excitavit.* Considera tria fecisse principem illum, primò se publicè ad pedes Christi abjecit. 2. impensè eum rogavit, pro filia. 3. credidit tactu manuum posse sanari: sic si quid exorare velis à Deo, primò valde humilia te coram Deo. *Oratio enim humiliantis se penetrat nubes.* Eccli. 35. 2. ora non tepidè, sed cum affectu. 3. cum fiducia te impetraturum nihil hæsitans, ut docet

docet B. Jacobus. 2. Confidera, Christum omissâ concione mox surrexisse, ut promptè operam, cùm exigitur, proximo accommodemus, etiam in temporalibus. Magdalena enim & Martha sunt sorores. 3. Considera per ejectam turbam moneri nos, si velimus à pravâ vitâ resurgere, malam societatem deserendam & desideria inutilia.

2. *Mulier sanguinis fluxum diu passa, retrò tetigit fimbriam vestis Christi, dicens intra se. Si tetigero salva ero.* Considera ex multis Christum secutis hanc mulierem tantùm fuisse sanatam, quia non pari fide & devotione cum hac secuti sunt. Nos ergo, qui toties adimus altare Domini sanctum, videamus, ne ut debitâ devotione adeamus, ne tangendo Christum nullum referamus fructum. 2. hanc mulierem non sanatam cùm proposuit tangere vestem Christi, sed cùm tetigit, ut discas, non satis esse propositum facere vitæ emendandæ, sed re ipsa emendandam. 3. eam fimbriam, id est, extremam tantùm partem vestis Christi attigisse. Fimbria illa est Christi passio

passio respectu totius vitæ, quam si solam humiliter meditando & imitando tangamus, valebit ad omnes infirmitates nostras curandas.

3. *At Iesus conversus, dixit: Confide filia; fides tua te salvam fecit.* Considera, Christum sanitatem restitutam non suæ virtuti, sed fidei mulieris tribuere, ut doceret nos in bonis operibus nostris non quærere laudes nostras, sed solùm Dei gloriam. 2. hâc amabili loquendi formulâ eum declarare voluisse, quam benignè, non ut judex severus, sed ut clemens Pater peccatorem humilem & compunctum recipiat. Deinde, ut novum solatium illi afferret, intelligeretq; ipsa se etiam spiritualiter in anima sanatam: ideò enim vocat filiam.

DOM. XXIV. POST TRINItatem.

De abominatione desolationis. Matth. 24.

1. D*Ixit Iesus discipulis: Cùm videritis abominationem in loco sancto, tunc* *qui*

qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendant : & qui in agro, non revertantur tollere tunicam suam. Considera, nos hîc doceri, quid agere debeamus, quando est talis desolatio, hoc est, cùm sacra negliguntur, imagines dejiciunrur, Missa aboletur, Catholici expelluntur, ut nunc fit toto ferè Oriente, & magnâ parte Europæ. Primò enim qui in Judæa sunt, id est, constanter manent in confessione fidei Catholicæ, debent fugere ad montes, id est, contemplari cœlestia, & in bonis cœlestibus spem suam figere. 2. manere in tecto, id est, omnia terrena calcare, & contemnere, nec solliciti esse de temporalibus. 3. in agro manere, id est, in agro, & vineâ Domini excolendâ persistere, & aliquos saltem ad fidem convertere.

2. *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbatho. Erit tunc tribulatio magna, sed breviabuntur dies illi.* Considera, quam periculosè multi hoc tempore fideles, ut inter Turcas, vel

vel hæreticos versentur, maximè qui infantulos nutriunt, id est, in fide non sunt fortes, ut pro Christo ferant ludibria & verbera; quotidè enim videmus, quàm multi eam ob rem leviter deficiant. 2. orandum esse sæpè Deum, ne in isto frigore exercitiorum pietatis, jejuniorum, aliarumque pœnitentiarum, vel in Sabbatho, id est, negligenti frequentatione concionum, & officiorum divinorum in templis multi fugiant. & à vita sancta desistant. 3. Considera, magnam quidem persecutionem hactenus passam Ecclesiam Catholicam, sed sperandum non diu duraturam propter electorum preces & opera bona.

3. *Si quis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic in deserto, vel penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit adventus filii hominis.* Considera, hinc manifestum signum dari Ecclesiæ hæreticæ, si in aliquo angulo orbis esse dicatur, ut in Germaniæ parte, vel Angliæ, sordes enim sunt in angulis.

lis. Catholica Ecclesia autem toto orbe spargi debere, & sicut lumen, ab Oriente in Occidentem tendere, unde & nostro seculo, in utraque India Orientali & Occidentali viget, ubi nullus est hæreticus. 2. Considera, adventum Christi ad judicium, subitò futurum, & ideo conveniens esse, ut omnes vigilemus (nihil enim illo est incertius) & in Ecclesiâ Catholicâ, sanctaque vitâ perseveremus.

DOM. XXVI. POST TRINITATEM.

De extremo die judicii. Matth. 25.

1. *Dixit Jesus discipulis: Cùm venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, cōgregabūtur ante eū omnes gētes, & separabit eos, sicut Pastor segregat oves ab hædis.* Considera in extremo die judicii, prævio signo triūphali crucis, tubis clangentibus à cælis proditurum inter Angelorum exercitus filium Dei medium incredibili majestate fulgentem: tùm ad magnam vocem: *surgite mortui, venite ad judiciū,* re-

resurrectionem omnium secuturam, Angelosque separaturos bonos quorũ splẽdida erunt corpora, à malis, quorum erunt obscura & tetra; his ad sinistram: illis ad dexteram locatis.

2. Considera quanto pudore tum afficiendi sint mali; cùm omnia illorum scelera occultè licet & cogitatione tantum cõmissa, omnibus patefient. Contrà verò, quãto cum gaudio & securitate judici se sistent, qui peccata sua confessi sunt.

2. *Tunc dicet Rex stantibus ad dexteram: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esurivi enim, &c. Quod uni ex minimis fecistis.* Considera bonitatem & amorẽ judicis erga salvandos; primò enim jubet eos *possidere regnum*, velut illud, quod ratione hæreditatis, filiis debetur. 2. dicit illud iis ante mũdum conditum, id est, ab æterno præparatum. 3. pro minimis operibus, ut visitatione infirmorũ & vinctorum. 4. quod sibi reputet factũ, quod pauperrimis & vilissimis factum est. 5. quod mini-

minimos iſtos vocat fratres ſuos 6. Conſidera, judicem tantùm facere mentionem operum miſericordiæ, non quod alia quædam præſtantiora non ſint, ſed quod homines illa magnifaciant, & Deus maximè illis moveatur, ad miſericordiam aliis præſtandam.

3. *Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus. Eſurivi enim & non dediſti mihi manducare,* &c. Conſidera, quomodo judex poſt electos tam copioſa mercede remuneratos, terribili vultu in ſiniſtram converſo, hæc dicturus ſit, quantuſque terror, & confuſio omnium conſecutura, clamantium ad montes: *Cadite ſuper nos à facie ſedentis in throno.* Apoc. 6. acriùs certè vox illa eos cruciabit, quàm ipſe infernus, Quid enim infelicius excogitari poteſt, quam divelli à Chriſto unico ſummo bono, & in æternum ardere tartareis flammis. 2. Conſidera, cur dicat flammas paratas diabolo & Angelis ejus? nempè, quia hominibus paraverat regnum æternum, pro illis

paſſus

passus & mortuus, solisque Angelis malis, nunquam convertendis ignem æternum. 3. Considera, ex verbis illis, *Esurivi & non dedistis*. &c Matth. 3. colligi reprobos solum condemnandos ob patrata mala opera, sed etiam ob omissa bona, quæ poterant & debebant facere, juxta illud Christi: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

DOM. I. ADVENT. DOMIN.

~~*De ingressu Christi in Ierusalem.*~~
~~Matth. 21.~~

V~~Ide Meditationem Dominicæ Palmarum.~~

DOM. II. ADVENTVS.

De signis judicii extremi.
Luc 21.

I. D*Ixit Iesus discipulis. Erunt signa in sole, lunâ & stellis, arescentibus hominibus præ timore, &c.* Considera superiore Dominica propositum esse adven-

adventum Christi humilem & iucundum . nunc verò alterum in fine mundi futurum gloriosum & terribilem ad judicium , ut tam amore , quàm timore stimulemur ad bonum; & ut discamus, non posse nos venire ad gloriosum Christi adventum , ut cum illo conregnemus nisi in hoc mundo prius nos humiliemus ;& cum eo compatiamur. 2. Considera , ideò hic astrorum cælestium mutationem dici præmittendam judicio , imò dissolutionem orbis totius: ut omnes clariùs intelligerent , quam horribile id sit futurum : Multi enim cogitatione hac territi à peccatis abstinent , ut Hieronymus ; qui dicebat, auribus suis semper insonare vocem, Surgite mortui , venite ad judicium.

2. *His fieri incipientibus , respicite & levate capita vestra , quoniam appropinquat redemptio vestra.* Considera primò , quod boni tunc monentur sperare & gaudere, quando maximæ sunt afflictiones , quia illorum est , per multas tribulationes intrare in regnum Dei, 2. quò impij magis dolent de futuris immінen-

minentibus malis, eò piis magis esse gaudendum de impendentibus bonis : & ideò judicii dies piis nōn erit horribilis, sed jucundissimus, pro quo certamine coronabuntur. 3. Considera quod tunc incredibile gaudium piis afferet redemptio ipsorum, hoc est, liberatio corporis à morbis, inordinariis passionibus, omniquecorruptione, deinde ab omni tentatione dæmonis & mundi, metuque damnationis. 4. Illud gaudium venturum de cælo, ut scias nullum solidum gaudium esse expectandum in terra.

3. *Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt fructum, scitis quoniam propè est æstas. Et vos cùm hæc fient, scitote quia propè est regnum Dei.* Considera Dominum præcedentia signa conferre cum arboribus pullulantibus, ut discas tantò pulchriores fore creaturas post judicium, quantò arbores in æstate florentes sunt aridis in hyeme venustiores, 2. notatum nos esse regno cælorum proximos cùm instar arborum bo-

narum floremus & fructibus abundamus.

DOMIN. III. ADVENTUS.

De S. Ioanne Baptista in vinculis. Matth.11.

1. *IOannes in vinculis auditis Christi operibus, mittens duos de discipulis ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Considera Joannem, licet vinctum non de sua liberatione, sed discipulorum salute folicitum, ut rectè in fide & vitâ sanctâ instituantur, ut discas in afflictionibus nihil de consuetis precibus aliisque officiis pietatis detrahere, 2. Joannem non misisse, quòd ipse dubitaret de Christo, an esset Messias, sed ut ignorantiæ missorum consuleret, & per conspecta miracula eos ad Christum traheret, sciens se brevi moriturum: ut discas, cùm per te non potes, vel audes monere vel docere, debere saltem per alium.

2. *Iesus respondit: Nuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vident, &c. pauperes evangelizantur, & beatus est, qui*

qui non fuerit ſcandalizatus in me. Conſidera, Chriſtum non fateri palam, ſe eſſe Meſſiam venturum, ſed tantùm ſe opera facere quæ in Scriptura tribuuntur Meſſiæ, ut diſcamus neminem facilè ſe debere commendare; ſed id tantùm dicere ad Dei gloriam, quod ſatis eſt ad ſalutem alterius promovendam. 2. diſcere quemvis ſuperiorem, & magiſtrum, ut prius facto præſtent, quod volunt ſubditis mandare per verba. Chriſtus enim hîc maluit factis, quàm verbis reſpondere. 3. nota, Chriſtum occultè corripere diſcipulos Joannis, cùm ait: *Beatus qui non ſcandalizatur in me,* nam ob zelum in magiſtrum, nondum credebant in Chriſtum, ut numquam palam occultos peccatores confundamus, ſicut & aliàs Chriſtus cum Juda fecit, quem rectè arguit.

3. *Illis abeuntibus, Ieſus dixit ad turbas: Quid exiſtis videre, Arundinem vento agitatam, mollibus veſtitum? Prophetam? imò pluſquam Prophetam.* Conſidera Chriſtum non laudaſſe Joannem coram diſcipulis, tum ut notam adula-

toris effugeret; tum ut ne ex laudibus occasionem raperent, licet sine causa, eum Christo præferendi, ut discas coram hæreticis & improbis, prudenter & parcè de laudibus Sanctorum loqui, ne calumniandi ansam arripiant. 2. Considera, hîc austeritatem vestitus laudari & eremitarum, aliorumque religiosorum duram vitam probari: contra verò improbari, molles & pretiosas vestes. 3. constantiam austeritati & paupertati conjungi, quia nulli constantiores sunt in fide & veritate tuenda contra mundum, ejusque principes, quàm qui mundum ejusque opes & pompam serio contempserunt. 4. turbis & simplicibus hominibus sæpè vitas quoque aliorum Sanctorum privatim & publicè recensendas.

DOM. IV. ADVENTUS.

De Iudæorum legatione ad Ioannem.
Joan. I.

I. M*Iserunt Iudæi Sacerdotes & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum,*

eum, tu quis es? Confidera, cur tanti nominis fuerit S. Joannes, nempè quia ejus nativitas fuit admiranda, quia à puero in eremum seceffit, ibique duram vitam, soli Deo vacans usque ad virilem ætatem egit, quia pœnitentiam prædicabat, veritatis & justitiæ amantiffimus, ut discas tales virtutes imitari, si ad perfectionem Christianæ vel religiofæ vitæ aspiras. 2. Confidera vitæ fanctitatem non folum apud Deum, fed etiam apud improbos & hæreticos fufpici, & in honore haberi, erant enim ifti legati ex Pharifæis, ut paulò inferiùs dicitur, qui erant inter Judæos quafi hæretici.

2. *Et confeffus eft, quia non fum ego Chriftus, nec Elias, nec Propheta, Ego fum vox clamantis in deferto. Dirigite viam Domini, ficut dixit Ifaias.* Confidera fummam humilitatem Joannis: nam cum potuiffet fi voluiffet reputari Chriftus, noluit tamen id fieri, imò noluit haberi Elias & Propheta, cum verè poffet, nam Chriftus *Matth.* 11. vocavit eum Eliam. *Ioan.* 1. plus quàm Prophetam, ut difcas humilis effe, nec de iis quæ

verè habes, ut nobilitate generis, doctrinâ, & sanctitate te jactare, sed hæc omnia celare, quamdiu sine mendacio fieri potest. Secundò, considera cum importunitate missorum coactum indicare, licet valde obscurè, se esse eum, de quo locutus erat Isaias. Sed quantus erat ille? *Vox*, inquit, *clamantis in deserto*, nova humilitas. Quid enim vanius vel fragilius voce, quæ statim maximè in deserto loco prolata, evanescit? Verè autem erat vox, quia toto corporis habitu, totaque vitæ conversatione nihil aliud quàm clamabat, & invitabat homines ad pœnitentiam, & dirigebat viam ad Christum. Hinc discimus non ore tantùm, sed vitæ piæ exemplo etiam prædicari veritatem.

3. *Quid ergo baptizas*, *instant illi*, *si non es Christus*, *nec Propheta? Respondet: Ego baptizo in aqua*, *medius autem vestrum stetit*, *quem vos nescitis*, *cujus ego non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere.* Considera, S. Joannem perstare in humilitate, secundùm illud Eccles. 3. *quantò magnus es*, *humilia te in omni-*

omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Sciens inter virtutes, ut alicubi August. docet illam esse primam, mediam, & ultimam, ac ideò maximè imitandam. 2. Considera, sicut Joannes humili responsione, insidiosas istorum quæstiones evasit, & Christi gloriam defendit, sic sola humilitate laqueos omnes dæmones te posse evadere, ut docuit S. Antonius. 3. etiamsi non cogitamus vel nesciamus, tamen in medio nostrum stare Jesum observantem quid agamus.

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

De Christi Nativitate. Luc. 2.

1. *Beata Maria cum Ioseph sponso suo è Nazareth proficiscitur Bethleem, (descendit autem & Ioseph à Galilæa in Bethleem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.)* Considera utriusque obedientiam & humilitatem. Maria enim existens mater regis regum, non dedignatur cum tanto periculo (sciebat enim se proximā partui) obedi-

re regi terreno & gentili, deinde patientiam in ferendis itineris longis laboribus, & quàm pia inter ſe miſceant colloquia. 2. Conſidera eos in Bethleem, id eſt, domum panis ex Galilæa, id eſt, volubilitate, profectos, ut inſcriberentur in catalogum familiæ David, diſcas tibi deſertis tranſitoriis & volubilibus hujus mundi delitiis, ſæpè adeundam menſam panis vivi, qui deſcendit de cælo, quo nomen tuum inſcribatur catalogo Sanctorum in cælo.

2. *Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret, & non erat ei locus in diverſorio.* Conſidera quomodo B. Joſeph, cùm ſub veſperam Bethleem intraſſet, obeat domos, ut locum quietis inveniat quanto angore percellatur, dum non invenit, cum ab omnibus repellitur. Vide B. Virginem per cæcas tenebras errantem partim, partim præ defatigatione in ſaxo aliquo ſedentem & dolenter expectantem, ſi quis fortè miſereatur. 2. Conſidera quomodo poſt plateas omnes anguloſque decurſos cogantur in ſemirutum ſtabulum, vel ſpeluncam

luncam obſcuram, in quâ noctu à pauperibus locari ſolent beſtiæ, divertere. 3. expende, B. Virginem ſimul atque ſtabulum intravit, mox advertiſſe hunc eſſe Paradiſum ſecundo Adam præparatum, hoc regnum eſſe palatium Chriſto naſcituro erectum, hîc eſſe thronum regium, ex quo verus Salomon veram ſapientiam in humilitate & inopia fundatam docere debuit.

3. *Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præſepio.* Conſidera, B. Virginem cùm magnam partem noctis orationibus & ſanctis ſuſpiriis conſumpſiſſet, tandem ſtupore ſapientiæ Dei & gaudio incredibili abreptam ex puriſſimis viſceribus, ſine ullo dolore, ſalvis virginitatis clauſtris infantulum Jeſum genuiſſe: 2. Conſidera, conſpecto infantulo, quanta lux mox oborta ſit in ſtabulo, quam ſuavis Angelorum concentus auditus, quanta lætitia ſecuta B. Virginem & Joſeph, quomodo certatim in oſcula puelluli irruerint, quam ſuavibus viciſſim ocellulis puer eos aſpe-

xerit. Quàm promptè B. Virgo materna officia mox exhibuerit panniculis pauperculis eum involvendo, pectori astringendo, purissimo lacte nutriendo. 3. Considera, non in pulvino molli, non in cunis, sed in vili, duro, & frigido præsepi infantem collocatum. Hæcque omnia nō alia de causa à Deo facta, quā ut confunderet sapientiam hujus sæculi, doceretque non esse vera bona quæ mundus admiratur, sed paupertatis amorem, perpessionem afflictionum & omnium rerum despicientiam.

II. PARS MEDITAT.

De Pastoribus. Ibid.

1. *Pastoribus revelatur Christi nativitas per Angelum.* (*Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, &c.*) Considera Angelum Domini acceptâ licentiâ à puerulo Jesu, non ad reges vel sapientes, sed ad simplices & vigilantes super gregem pastores mitti, qui suâ humilitate & vigilantiâ id meruerunt: *Cum simplicibus enim*

enim, ait Sapiens, *est sermocinatio ejus*. Et: *Qui manè vigilaverit ad me inveniet me*. 2. Considera, Christum summum pastorem priùs sua luce illustrare superiores & pastores aliorum, quàm subitos ut subditi libentiùs sinant se eorum nutu dirigi maximè noctu, id est in majoribus fidei & morum difficultatibus. 3. perpende quod dicit, *Natus est vobis Salvator*, puer enim natus est nobis, ait Isaias, & filius datus est nobis. Quo dono quod potest esse præstantius?

2. *Et hoc vobis signum, invenietis infantem pannis involutum & positum in præsepio*. Considera quod signum Angelus det, ut Christus inveniatur in corde nostro, nimirum ut sicuti infantes, simus expertes peccati & doli. 2. si necessario tantum amictu & victu contenti simus. 3. si duritiem lecti, & alias austeritates non refugiamus. 2. Considera quanto gaudio pastores perfusi fuerint hoc nuntio, quàm citò desertis ovibus in Bethleē se cōtulerint, quam humiliter Christum natum adorarint, quàm piè manus pedesque ejus osculati, quæ munuscula

paſtoritia obtulerint, quantum puerulus ſimplicium hominum cõſuetudine quo potuit modo illis arridens, oblectatus fuerit. O felices Paſtores, quibus fas fuit videre, quod tot Reges & Prophetæ optarunt videre, & non viderunt!

3. *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cõſidera, quid glorioſius eſſe potuerit, quam in loco tam vili & abjecto triumphum agere cælites, aurem ſuaviſſimo concentu complere. Sed ſi expendas, quantæ dignitatis perſona ſit infantulus iſte pauperculus, nempè filius altiſſimi, facilè intelliges eum dignum omni veneratione & gloria. Si verò cogites cauſam hujus abjectionis, nempè peccata noſtra, non miraberis hanc humilitatem. Per hanc enim, & aliam longè majorem ſecutam, uſque ad mortem crucis, reconciliati ſumus Deo, & pax æterna donata omnibus hominibus bonæ voluntatis, hoc eſt, qui voluntatem ſuam parati ſunt cõformare divinæ, ejuſ-

ejusque præceptis obedire. 2. Considera quanto cum gaudio Angeli reverterint in cælum, totamque Jerusalem cælestem novo nuntio exhilarârint: ac denique quomodo anima B. Virginis his omnibus notatis & auditis tantùm non lætitiâ liquefacta fuerit.

DOM. INFRA OCTAVAM Nativitatis.

Erant Ioseph & Maria mirantes. Luc. 2.

1. Erant Ioseph & Maria mater Iesu, mirantes super his quæ dicebantur de illo. Considera miratos fuisse parentes tam mira dicta & facta circa puerum, cum in puero nihil viderent singulare, quod non omnibus infantibus commune esset; ad te docendum, quòd etsi corporeis oculis nihil videas eorum quæ credis esse, tamen fidem adhibendam Ecclesiæ, hoc est, tot SS. Patribus testificantibus, quid sit credendum. 2. Considera, mores Christi infantis, & ad eos tuos quoque compone, quia infans

factus, non fuisset nisi aliquid in ejus infantia imitatione dignum foret. Et dictum Christi est: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et B. Petri: *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.*

2. *Simeon dixit ad Mariam. Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur, & tuam animam transibit gladius:* Considera, Simeonem hîc inter summa gaudia vaticinari de afflictionibus futuris cum Christo tum matri, ut intelligamus in hoc mundo non esse pura gaudia, sed multas tribulationes expectandas, si velint esse veri discipuli Christi 2. hoc nuntio &excitatam fuisse B. Virginem ad multa cum filio suo perferenda, & participem gloriæ illius factam; quæ erat pati & mori ex obedientia Patris. Tam nobiles enim sunt afflictiones pro Christo toleratæ ut Christus, sicut eam maximè dilexit, ita etiam voluerit eam præ omnibus hominibus affligi, ac gladium crucis transire animam ejus. Unde & martyr martyrum à sanctis vocatur.

3. Puer

3. *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapiẽtia, & gratia Dei erat cum illo.* Considera, in puero Jesu quatuor hic laudari: primò quòd plenus esset sapientiâ rerum omnium divinarum & humanarũ, & ideò Doctore nõ egebat. 2. quòd plenus esset gratia apud Deum & homines, quippe ab omni macula peccati immunis. & omnibus virtutibus donísque cœlestibus ornatus. 3. quod quotidie cresceret, ut corpore, ita variis sapientiæ effectibus prodendis. 4. quod majores semper vires spiritales accipere videretur. Ut discas & tu quotidie in his virtutibus progressum, facere quia in virtute non progredi, est regredi & deficere.

MEDITATIONES DE FESTIS SANCTORUM

Toto anno secundum ordinem mensium Kalendarii occurrentibus.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. Virg.

De Purificatione B. Virginis & pueri IESV præsentatione
Luc. 2.

D*Etulerunt parentes puerum in templum, ut præsentarent eum Deo, tamquam primogenitum, offerentes pro eo consuetum munus par turturum, aut duos pullos columbarum.* Considera pueri Jesu humilitatem semper crescere, natus ei... ut pauper, circumcisus quasi peccat...
nu...

nunc offertur ut servus quinque siclis redimendus. 2. parentum paupertatem, qui, quoniam agnum emere & offerre non poterant, offerunt par columbarum. Sed sine mysterio id factum non est, quia umbræ & typo præferri debuit veritas, puer enim erat unus agnus, qui tollit peccata mundi, & se ipsum tunc Deo offerebat pro salute nostra, paratus suo tempore pati. 3. expende quid duo pulli significent: nempe nos qui Deo nos sæpe offerremus, debere esse simplices, omnis doli expertes, charitate magnâ præditos, (sunt enim columbæ sociales) & fœcundos in bonis operibus.

2. *Simeon veniens eâdem horâ in templum, accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine.* Considera, quanta reverentia puerum in medio templi à B. Virgine exceperit, quam devotè manantibus præ gaudio lachrymis, illum sit osculatus, & pectori suo applicuerit. quot laudes de eo dixerit, quòd eo viso paratus fuerit mori. Qui enim

Chriſtum diligit, facilè vitam hanc & omnia temporalia contemnit. 2. ob quas virtutes meruerit videre & recipere. 1. quia erat in eo Spiritus ſanctus, cui parens venit in templum, ſecundò quia juſtus, id eſt, ab omni peccato liber, & omni virtute ornatus, tertiò, quia timoratus timore filiali, præſentem enim quaſi Deum ſemper cernens timebat peccare, quartò, expectans conſolationem Iſraël, id eſt, adventum Chriſti. Non poteſt enim Deus iis deeſſe, à quibus avidè expectatur. Has virtutes & tu ſequere, ſi quandò cum fructu vis Chriſtum non in ulnis, ſed ore & corde recipere in S. Euchariſtia.

3. *Anna* (*superveniens confitebatur Domino & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael*) Conſidera, Deum nullam habere acceptionem perſonarum, ſexus, ætatis, conditionis, ſed tantùm virtutis, ſecundò, ideò ſenes duos hic in exemplum proponi, ut diſcas in virtutum ſtudio perſeverandum uſque in finem vitæ, quo dignus ſis recipere Chriſtum, & in æternum retinere,

nere, tertiò, vide ob quas virtutes meruerit videre Christum, Primò, quia annis ferè octoginta castè vixerat. Secundò, quia non discedebat de templo. Tertiò, orabat die ac nocte. Quartò, jejuniis, aliisque pœnitentiis affligebat corpus suum. Quintò, omnibus laudes Christi annuntiabat.

IN FESTO S. MATTHIÆ Apostoli. Matth. 11.

I. JEsus dixit: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis.* Considera, Jesum exultasse spiritu, cum hæc verba proferret, ut refert B. Lucas, id est, ingenti spirituali gaudio æterno Patri, quia homo erat, egisse gratias, quod fidei Christianæ mysteria, non hujus sæculi sapientibus, qui omnia ratione & intelligentia metiuntur, neque prudentibus, qui non quærunt nisi quæ sua sunt, id est, opes, honores, & voluptates carnis patefacere, sed tan-

tùm parvulis, id eſt, humiliter de ſe ſentientibus & judicium ſuum Deo ſubjicientibus, uti erat Beata Virgo, quæ licet eſſet mater Dei, tamen ſe vocabat ancillam: uti S. Matthias, cæterique Apoſtoli, qui gloriabantur ſe non aliud ſcire, quam Jeſum & hunc crucifixum. 3. Conſidera, primariam quidem hujus rei cauſam non eſſe aliam, quam divinam voluntatem: ſubjunxit enim hîc Chriſtus: *Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te*, tamen quia illa voluntas non poteſt non eſſe ſapientiſſima, & rationi maximè congruens, poteſt & illa addi cauſa, quoniam homo ſicut & Lucifer angelus per faſtum & ſuperbiam ſalute exciderat, debuiſſe contrario antidoto humilitatis ſaluti reſtitui.

2. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Conſidera Domini bonitatem neminem omninò à gratia & ſalute excludentis, ſi parvulus in oculis ſuis & humilis eſſe velit. Vult enim omnes homines, ait B. Paulus, ſalvos fieri, & ad agnitionem

nem veritatis venire. 2. Confidera, imitari maximè eos, qui laborem ſuſtinent & difficultatem, in ſuperandis tentationibus dæmonis, mundi & carnis: & onerati ſunt vel pondere gravium ſcelerum, vel magnarum multarumque imperfectionum, omnes enim paratus eſt reficere, vel liberando eos à dictis laboribus & oneribus, vel communicando gratiam, ut tribulationes fortiter ferant. 3. Confidera nos quoque debere cooperari Chriſto, nempe venire, non corporeo motu ſed ſpirituali, utpote per mentis converſionem, deſiderium Deo placendi, dolorem de peccatis, propoſitiônem emendandæ vitæ, & imitationem virtutum, humilitatis & manſuetudinis, nam ſubdit:

3. *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuave eſt, & onus leve.* Confidera, non ſatis eſſe, ut credamus in Chriſtū, & onere peccatorum liberi ſimus, ſed opus eſſe, non tam opus, quàm jugū doctrinæ Evangelicæ,

 & di-

& divinorum præceptorũ, ac si religiosus sis, etiam consiliorũ in humeros nostros suscipere, quod non grave est, sed leve, non amarũ, sed suave, sicut aviculis suave leveque est jugum alarum, quia earum ope volant Unde S. Joannes disertè dicit *mandata ejus gravia non sunt*, & rex David: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua?* Considera, levia & suavia reddi omnibus, qui verè Deum diligunt & in ejus gratia sunt. Amanti enim nihil difficile. 2. qui spiritum sequuntur non carnem. Spiritus autem promptus est, caro autem infirma. 3. qui cogitant quanta merces parata sit in cælis. 4. qui oculos in Christi vitam & passionẽ conjiciunt, 5. qui cum Christo humiles sunt, & mites corde.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. V. Mariæ.

Angelus nuntiat B. Virg. ipsam concepturam filium. Luc. 1.

1. ANgelus Gabriel. B. Virginem in Nazareth salutans, diviniq; Verbi cõ-

ceptio

ceptionem ei nuntians, dixit: Ave gratia plena, &c. Ecce concipies in utero & paries filium. Considera Angelum B. Virginem non in publico, sed domi in cubiculo reclusam, & in rerum divinarum meditatione suspensam invenisse, ut discas, si Angelicâ consideratione frui velis, continere te domi, & orationi vacare. 2. Considera, quanto splendore Angelus compleverit virgineum cubile, quantâ submissione & reverentiâ eam salutarit, dicens: *Ave gratia plena*, nec mirum, quia alios sanctos tantùm Deus ornarat quibusdam donis gratiæ, hanc autem complevit omnibus Si autem gratiâ plena erat ante Christi conceptionem, quantum gratiæ post conceptionem accesserit 3. Considera, vocari plenam gratiâ apud Deum, ut nos ad eam tamquam patronam, advocatam, & mediatricem perfugium haberemus, ut sicut per eam Christum habuimus, ita sciremus & cætera dona per ejus incercessionem deinceps obtenturos.

2. *Maria turbata est hoc sermone, & cogi-*

cogitabat qualis esset cogitatio, addens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Considera eam turbari, quoniam proprium est castarum virginum ad præsentiam virorum turbari. Deinde quia tanta laude se indignam putabat. Sancti enim & humiles, quò plus laudantur, hoc magis pudefiunt. Solent enim inquirere non in virtutes suas, sed in defectus, ut eos emendent. Turbata est, sed non perturbata: nam cauta & pudens expendere cœpit qualis esset salutatio, antequam responderet. 2. Considera zelũ castitatis beatæ Virginis, licet enim firmiter crederet perfici debere, quidquid Deus per Angelum promisisset, nempe se parituram, tamen modi ignara percunctabatur, quomodo (cùm voto se obstrinxisset, de servanda virginitate) parere posset, nec ante mater Dei esse consensisset, quàm inviolatam fore virginitatem suã cognovit.

3. *Cùm Angelus dixit, Spiritus sanctus superveniet in te, &c. Maria respondit. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm*

dum verbum tuum. Conſidera, præſentem cum Angelo quaſi aſſiſtere S. Trinitatem, & expectare dilectæ filiæ ſuæ reſponſum, obſervareque humilia verba ex ejus ore egreſſura, ipſâ verò poſt ſermonem Angeli poſitis humi, genibus, manibus verò oculiſque in cælum ſublatis humiliter & cum lachrymis reſpondiſſe: *Ecce Ancilla Domini, &c.* ut diſcas quàm primum ad divinum ſervitium vocaris, & rè ſedulò diſcuſſa, advertis vocationem eſſe à Deo, non diu cunctari. 5. Conſidera, B. Virginem paucis his verbis magnas virtutes nobis imitandas expreſſiſſe, primò obedientiam promptam in re ardua, dum ait *Ecce.* 2. humilitatem, dum ſciens ſe electam in Dei matrem, vocat *Ancillam.* 3. charitatem ardentem & zelum pro ſalute aliorum, dum ait *fiat mihi.* 4. fidem, cum ait, *ſecundum verbum tuum*, firmiſſimè enim credebat, promiſſum Angeli complendum. Et verè prolatis his verbis illico concepit in utero Deum & hominem.

IN

IN FESTO SS. PHILIPPI & Jacobi Minoris Apostolorum. Joan. 14.

1. JEsus dixit discipulis: *Non turbetur cor vestrum Creditis in Deum, & in me credite.* Considera, hominē in fide vera, & cultu pietatis constantem nullam habere causam tristitię vel perturbationis: *Hæc enim est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*, ait B. Joannes. Et ideò B. Philippi, & S. Jacobi aliorumque Apostolorum in summis tribulationibus, adeò non sunt animi turbati, ut etiam gauderent, quòd illis digni facti essent. Imò S. Jacobus ex pinnaculo templi dejectus pro suis interfectoribus orabat.

2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis: Vado parare vobis locum.* Considera Christum his verbis Apostolos, & nos animare ad multa pro ipso preferenda, q. d Estote bono animo, nihil frustra pro me patiemini, siquidem tam varia in

cælo

cælo parabo vobis præmia, quàm fuerint vestra merita, quia ibi quisque recipiet secundum sua opera. Unde teste B. Paulo: Sicut Sol claritate à Luna & aliis stellis differt, sic & sancti differunt inter se, 2. Considera, si velis ad locum beatitudinis ante cōstitutionem mundi, imò ab æterno tibi, aliisque electis paratum venire, necesse esse, ut illum cum Christo tibi præpares. Christus eum præparavit sua passione, ascensione & missione Spiritus sancti, tu verò similiter bonis operibus & passione. *Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.*

Considera virtutes Apostolicas Jacobi fratris Domini, imitatione dignas. Vinum & siceram ab infantia non bibit, carnibus & piscibus abstinuit, linteâ tantùm veste usus, non oleo unctus, non balneo usus, ita sæpe in genua procumbens, ut callum obduxerint ad modum cameli, tam sanctus ut fimbriam vestis populus conaretur attingere, ut solus intraret sancta sanctorum nonagenari-

narius pro Christo lapidatus, & fullonis fuste enectus.

IN FESTO INVENTIOnis S. Crucis.

VIde Meditationem in Evangelium I. Dominicæ S. Trinitatis.

IN FESTO S. JOANNIS Baptistæ.

De S. Ioannis nativit. Luc. 1.

1. *ELizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Vicini autē & cognati congratulabātur ei.* Considerā nullum sanctorum esse post Christum & B. Virg. in quem æquè oculos conjicere debeamus, ac in S. Joannem Baptistam, cujus laus non solùm est crebra apud S. Lucam & Evangelistas, verùm etiam apud sanctitatis omnis auctorem Christum, nunc illum præferentem inconstanti populo, nunc Patribus & Prophetis, nunc omnium mulierum filiis, nunc inter Angelos ponen-

nentem ut dubitare non debeas laude dignissima, quæ de ejus virtutibus scribuntur. 2. Congratulati sunt B. Elizabeth amici & cognati, quòd tandem ejus voto satisfactum esset ut sterilis pareret filium, secundùm Angeli prædictionem, & quidem prædictionem tam magnificam; Dixerat enim eum fore magnum coram Domino, non coram mundò, replendum Spiritu sancto ex utero, vinum & siceram non biturum, filios Israel conversurum, &c. ut discas grātulari proficienti in virtute non autem proficienti in opibus & vanitate sæculi.

2. *Die octavo circumcisus est puer, & cùm cognati vellent eum vocari Zachariam, mater & pater Zacharias ex instinctu Angeli, vocari jussere Ioannem.* Considera Joannem fuisse circumcisum non quòd opus haberet (erat enim in utero sanctificatus) sed ut exēplo Christi obsequeretur legi, nulliq; offendiculum præberet. Considera 2. non esse illi impositum nomen parentū, sed Joannis id est, gratiæ Dei, ipse præcursor erat futu-

futurus auctoris legis & gratiæ, & digito eumdem demonstraturus. *Lex enim & Prophetæ usq; ad Ioannem.* 3. illud in circũcisione impositum ut intelligamus signum esse gratiæ Dei in nobis habitãtis, si à corde nostro omnes carnales cupiditates rescindamus, eò quòd in uno corde non possit simul versari Christus & mundus.

3. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum in corde dicentium, quis puer iste erit? Et Zacharias repletus est Spiritu sancto prophetans, Benedictus Deus Israel, &c.* Considera populum propter miranda, quæ acciderunt in nativitate B. Joannis mente sciscitari, qualis tandem futurus sit. Sed Angelus id aperuit, fore, scilicet magnum coram Deo, severam vitam acturum, magno zelo improbos reprehensurum, & ad pœnitentiam adducturum, alios etiam pertracturum ad vitam perfectam: ut scias has virtutes esse imitatione dignissimas. 2. Zachariam patrem S. Joannis post linguam solutam, mox erupisse in laudes Dei, ut discere-

mus,

mus, cùm gratiâ aliquâ ſpiritali vel temporali donati ſumus ſtatim nos debere ſuæ divinæ majeſtati ore opereque gratos exhibere: ſic enim gratiam acceptam conſervabimus, augebimuſque.

MEDITATIO II.

De vita & virtutibus in Evangelio expreſſis.

1. CONſidera, cùm Chriſtus clarè dixerit Matthæi 11 *Inter natos mulierum non ſurrexiſſe majorem Ioanne Baptiſta*, ob quaſnam virtutes tantùm præconium meruerit, & invenies præcipuè tres, humilitatem ſcilicet, vitæ ſeveritatem, & charitatem in Deum & proximum, propter hæc enim tria pii etiam apud vulgus hominum ſanctitatis opinionem conciliare ſolent: Primò ergo expende in quo declarârit humilitatem: declaravit autem primò in eo, quòd cùm multi etiã Phariſæi & Sadducæi baptiſmi ab eo ſuſcipiendi cauſa confluerẽt, palam

Iam fassus sit post se venturum alium, cujus non esset dignus corrigiam calceamentorũ solvere: cogitarant enim multi in corde suo, fortè ipsum esse Messiam, deinde, cum Christus ipse advenisset, humiliter restitit, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* 2. cum Judæi ad eum misissent legatos, Sacerdotes & Levitas, rogatum, an esset Messias, aut Elias Propheta, negavit se esse: cùm tamen sine mendacio potuisset se Eliam & Prophetam vocare, nam Christus ita eum vocavit. Cum verò fidem urgerent, quis ergo esset, respondit, se esse *vocem clamantis in deserto*, quâ nihil fragilius. 3. cùm ejus discipuli rursum jactarent, respondit: *Christum oportet crescere, me autem minui. Qui de cœlo venit, super omnes est. Qui de terra est, de terra loquitur.* Ecce ex humilitate vocat sua dicta terrena, Christi cœlestia. 4. humilitatem etiam vili victu & amictu, cum tamen nobili stirpe esset oriundus; declaravit.

2. Considera vitæ austeritatem. Primò in habitatione, quia à prima pueritia

in

in ſolitudine vixit uſq; ad annum ætatis trigeſimum. 2. in victu, quia cibus ejus fuit locuſtę & mel ſylveſtre, potus aqua. Vinum enim & ſiceram non bibit, teſte Angelo. 3. in veſtitu, qui fuit ex pilis camelorum, cum zona pellicea. Adjunge duritiem lecti nempe terræ, continuas quaſi vigilias, preces, meditationes rerum divinarum noctu diuque. Unde SS. Patres eum vocant Principem, & Patriarcham Eremitarum & omnium Monachorum, nam egreſſus è ſolitudine diſcipulos, quos collegit, docuit jejunare, cum tamen Chriſtus id non exigeret à ſuis diſcipulis.

3. Conſidera charitatem & zelum, quòd omnes hortaretur ad pœnitentiam, confeſſionem peccatorum, baptiſmum & fructus pœnitentiæ dignos, id eſt, ad bona opera. 2. quòd milites, publicanos, mulieres & alios quoſvis homines inſtitueret quomodo vivere deberent. 3. quòd diſcipulos collegerit, ut eos poſtea mitteret ad Chriſtum, uti miſit Andream Apoſtolum. 4. quòd ubique non tam ſui, quam Chriſti honoris ratio-

rationem habuerit, & illi teſtimonium præbuerit. 5. quòd liberè Sadducæos & Phariſæos hypocritas arguerit, & progeniem viperarum vocarit, & ignem inferni veram non agentibus pœnitentiam, minatus ſit. 6. quòd Herodem regem reprehenderit, & pro veritate ſanguinem fuderit.

IN FESTO APOSTOLORUM Petri & Pauli.

De remuneratione confeſſionis Petri. Matth. 16.

1. *CHriſtus quærit ex diſcipulis, quem dicant homines filium hominis? Reſpondent, alii Ioannem Baptiſtam, alii Eliam.* Conſidera humilitatem Chriſti, quòd dum ſcit Petrum confeſſurum ſe eſſe Filium Dei vivi, vocat ſe Filium hominis: ut diſcamus ſemper ſubmiſsè de nobis ſentire & loqui: ſi quam autem mereamur laudem, illam ab aliis potiùs enuntiandam, juxta illud: *Laudet te alienus & non os tuum.* 2. Conſidera, ideò

varias fuisse opiniones de Christo in turba hominum, quia inter se erant divisi, & nullum certum caput vel Doctorem sequebantur. Apostoli verò quia ducem & caput habebant Petrum in opinione de Christo consensêre, ut discas si errare nolis, libenter subjicere judicium tuum Ecclesiæ, summo Pontifici, superiori.

2. *Vos autem quem me dicitis esse? Respondens Simon dixit, Tu es Christus Filius Dei vivi. Tunc Iesus, Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi.* Considera, quod Dominus in quæstione positâ discrimen faciat inter homines, & discipulos, quasi non homines essent, inquit, Hieronymus, sed Dii quidam, ut ostendat, honorificè loquendum de ministris Ecclesiæ, deinde plura exigi ab his, & religiosis qui majora dona à Deo acceperunt, quam à plebeis, juxta illud: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* 2. Considera, dum Christus laudans Petrum ob professionem fidei vocat beatum, simul occasionem præbere non efferrendi se

quia

quia addit: non carnem & sanguinem, sed Patrem cœlestem id ei revelasse: ut discas moderatè semper cùm opus est, homines laudare, ne locus sit vanæ gloriæ.

3. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Et dabo tibi claves regni cœlorum &c.* Considera Christum hic Simonis nomen mutare in Petri, & cum nomine novo facere prius petram, ac deinde fundare super eum Ecclesiam, ut utraque re moneretur constantiæ in confessione fidei factà tuendæ & conservandæ, ac ut sine trepidatione primatum, licet rem arduam, in se susciperet, sciens, nec inferni portas contra petram prævalituras. Quo discas cum arduum aliquod officium tibi à superiore imponitur, non defutura præsidia divinitus, quibus illud sustineas cum fructu, 2. Cõsideres, summum Christi amorem in nos & Ecclesiam, quod Apostolis, eorumque duci & capiti imprimis, tam admirandam reliquerit potestatem in terris, ut scilicet in potestate eorum es-

ſet aperire & claudere cœlum, ac quòd proprium eſt Dei ſolius remittere & ligare peccata. Et quod amplius eſt, eamdem poteſtatem datam eſſe voluerit etiam in ſimpliciſſimis ſacerdotibus, licet malis: Quid hoc cogitari poteſt mirabilius?

MEDITATIO II.

De S. Petri vita.

1. Conſidera, cùm S. Petrus Princeps Apoſtolorum fuerit, cur à Chriſto illi principatus fuerit delatus, nec dubium, quin ob eximias virtutes, quas deprehendes imprimis tres, fidém, humilitatem & ardentem charitatem. Fidem oſtendit excellentem in eo quod Chriſto rogante diſcipulos, quid de ſe ſentirent, ipſe ſolus mox dixerit *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ob quam profeſſionem ei promiſſum eſt, quòd caput Eccleſiæ eſſet futurus: Deinde Chriſto ambulante ſuper aquas & ipſe inſiliit in aquas fidens potentiæ Chriſti, & ſuper

eâs ambulavit, In quem locum scribēs Hieronymus. In omnibus locis, inquit, ardentissimæ fidei invenitur Petrus. Adhæc cum tota nocte laborans nihil cœpisset piscium, *In verbo tuo*, inquit ad Jesum, *laxabo rete*, & tot capti sunt, ut ruptum sit rete. Post resurrectionem verò, cum eo stante in littore, Joannes diceret, *Dominus est*. Petrus tunicâ succinctus abjecit se in mare.

2. Considera ejus humilitatem Nam apud Lucam conspectu miraculo capturæ piscium, in genua procidens se Christi præsentiâ indignum censuit, & dixit: *Exi à me, quia homo peccator sum*. In lotione etiam pedum horrore concussus, *Domine*, inquit, *tu mihi lavas pedes?* Post ascensionem Christi, scilicet jam pastor summus, & passus est se mitti ab aliis Apostolis in Samariam: & apud Simonem coriarium hospitatus est, & palam à Beato Paulo reprehendi sustinuit, memor, scilicet dicti Christi: *Qui major est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut ministrator*. Denique crucifigendus ex humilitate capite

in

in terram verſo petiit affigi, ne æquaretur Chriſto.

3. Conſidera, ſummum ejus amorem in Chriſtum & zelum, nam Joanni 12. cùm Chriſtus tertiò ab eo rogaſſet: *Diligis me plus his?* reſpondit, *Domine tu ſcis, quia amo te.* Declarat autem ſæpius, ut cùm relictis retibus ſecutus eſſet Chriſtum. 2. cùm, Chriſto narrante ſe occidendum, eum increpavit, & dixit: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* 3. cùm nocte quâ captus eſt Chriſtus; dixit: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego non ſcandalizabor in te,* cùm pro defenſione Chriſti Malcho reſecuit aurem, cùm captum uſque in atrium principis ſacerdotum ſecutus eſt, cùm poſt negatum Chriſtum flevit amarè. Clemens Romanus ſcribit eum quoties gallum cantantem audiret in genua procidiſſe, & fleviſſe. 4. cùm Chriſto dicente *non habebis partem mecum*, ſi non lavero pedes tuos, obtulit, & manus & caput. 5. cùm expiſcatus eſt ex Joanne, quis traditurus eſſet Chriſtum: Nam ſi ſciviſſet, ait Chry-

ſoſtomus, dentibus diſcerpſiſſet. 6. cùm ex zelo poſt acceptum Spiritum ſanctum primus prædicavit Chriſtum, & initio 3. millia, poſt 5. millia convertit, Ananiam & Saphiram, quia promiſſa non ſervarant, extinxit, claudum ſanavit, Cornelium, gentilem baptizavit cum tota domo. 7. cùm paſſus eſt pro Chriſto, *Majorem enim charitatem nemo habet, quam qui animam dat pro amicis ſuis.*

MEDITATIO III.

De S. Paulo Apoſtolo.

1. CONſidera, quænam præcipuè virtutes emicuerint in ſancto Paulo Apoſtolo, quòd poſt B. Petrum tanti fiat in Eccleſia, & invenies ternas maximè eminuiſſe: Humilitatem, Amorem erga ſalutem proximi, & deſiderium ardens patiendi pro Chriſto cum fortitudine ſingulari conjunctum. Humilitatem oſtendit ſtatim in converſione ſuâ, cùm de cœlo vocatus dixit: *Domine, quid me*

vis facere? divinæ voluntati se subjiciẽs, & Ananiæ institutioni. 2. cùm ad Corinthios scripsit: *Non judicavi me scire aliquid, nisi Iesum, & hunc crucifixum.* Et: *Novissimè omnium Christus tamquam abortivo visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. Gratia autem Dei sum id quod sum.* Et: *Nihil minùs fui ab iis, qui supra modum sunt Apostoli, etsi nihil sum.* Et ad Timoth. *Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* 3. cùm vocat se, *servum & vinctum Iesu Christi.* 4. cùm, licet à Deo doctus, post annos aliquot prædicatione venit Hierosolymam ad Apostolos, ut conferret cum illis Evangelium, ne fortè in vanum curreret.

Considera flagrantem amorem erga salutem proximi, quem ostendit ita scribens Romanis: *Veritatem dico in Christo. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Et ad Corinthios, *Cùm liber essem ex omnibus, me servum fieri, ut plures lucrifacerem:*

rem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Et: *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris licet plus vos diligens, minus diligar.* Unde cum nullam mercedem ab aliis ob prædicationem recipere vellet, sed propriis manibus nocte laboraret, ita scripsit: *Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Deinde ex carcere scribit Philemoni pro Onesimo servo furace, ut eum recipiat in gratiam: *Tu*, inquiens, *illum ut mea viscera suscipe.*]

Considera amorem ejus in Christum, & ardens desiderium pro eo patiendi, quod declarat, ita scribens Romanis: *Quis nos separabit à charitate Christi. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Et Galatis: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est*

&

& ego mundo. Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto, Chriſto confixus ſum Cruci Et Corinthiis. *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, &c.* Et tandem pro Chriſto paſſus eſt.

IN FESTO VISITATIONIS B. Virg. Mariæ.

De Maria cognatam ſuam viſitante. Luc. 1.

1. EXſurgens Maria, abit in montana cum feſtinatione, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth. Conſidera ardentem Beatę Virginis charitatem, poſtquam Chriſtum in utero concepit, quòd cùm ſola inter domunculæ ſuæ ſecretum vivere conſueviſſet, nunc eam nec ætas tenella, nec virginalis verecundia, nec montium aſperitas retardârit, quo minus inviſeret cognatam Eliſabeth. 2. profundam humilitatem, quòd cùm eſſet facta mater Dei,

 ac

ac ideò dignissima quæ visitaretur, non verita est se demittere, instar ancillæ, ad visitandum Elisabeth longè se inferiorem. 3. diligentiam in itinere perficiendo, & fervorem, qui enim magnâ festinatione & pedes in comitatu aliquot pauperum virginum, imò Angelorum multorum, cum summâ modestiâ & alacritate per aspera montium concurrit. *Nescit tarda molimina*, ait sanctus Ambrosius: *Spiritus sancti gratia.*

2. *Vt audivit Maria salutationem Elizabeth exultavit infans in utero ejus, & repleta Spiritu sancto exclamavit: Benedicta tu inter mulieres: Vnde hoc mihi, ut mater Domini veniat ad me?* Considera quam beati sint, qui visitantur à Maria, nam ejus præsentiâ & sanctus Joannes in utero existens repletus est Spiritu sancto & ipsa Elizabeth, ac Joannes quidem rationis usu divinitus in eo accelerato, præ gaudio exultavit, tentans ex utero egredi, ut Christum cum matre videret. 2. Considera, quomodo sancta Elizabeth ruat in amplexus

Beatæ

Beatæ Virginis dicens: Benedicta sis arbor, benedictus & fructus ex tali arbore productus. Unde ergo merui, ut tu Dei mater venires ad me, cùm ego potius, utpote serva & ancilla tua, debebam, venire ad te. Sed humilitas tua voluit, prævenire me, sicut postea est præventurus filius tuus filium meum, cùm petet ab eo baptizari. 3. Considera, si Elizabeth ob adventum Beatæ Virginis exclamat: Unde hoc mihi? quid nos dicere debeamus, qui sumus pleni peccatis, cùm toties domum animæ nostræ ingreditur Filius Dei in S. Eucharistia.

3. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, & mansit cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.* Primò Considera, quanto hoc laudum præconio MARIA rubore suffusa fuerit, quomodo se contra dejecerit, & cùm ignem cordi inclusum ampliùs coercere non posset, oculis in cœlum sublatis, gloriam omnem in Deum transtulerit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, à quo omnia bona sunt mihi hactenus collata.

Infan-

Infantulus quoque Joannes ob meam præsentiam exultat, at spiritus meus exultat in Deo salutari meo. 2. Considera, quantis lætitiis incesserint duæ illæ beatæ matres, quibus laudibus, quam gratiarum actione, Deum pro suæ conceptionis beneficio sint prosecutę, quantâ charitate & studio Beata Virgo omnia servilia ancillarum officia per totos tres menses ibi exhibuerit, quomodo se mutuo humilitate & charitate prævenerint; ac denique quanta cum consolatione B. Virgo tandem domum, ut concursum hominum in nativitate Joannis futurum fugeret, revenerit. O anima mea, utinam comitari potuisses Mariam per illos montes! utinam licuisset videre suaves illos sanctarum matrum amplexus, inaudire mutua salutationis officiosæ verba! non dubito quin cum sacra virgine accinuisses sacrum canticum *Magnificat?* Nunc autem, quia corpore non potes, spiritu saltem te misce tantis gaudiis, abjice te ad pedes nunc hujus nunc illius, & in uterum B. Mariæ adora sponsum

ſponſum: in utero verò B.Elizabethæ ſponſi amicum.

IN FESTO B. MARIÆ MAGdalenæ.

De converſione ejus. Luc. 7.

1. *CHriſto invitato & accubante in Phariſæi domo, ingreſſa eſt mulier quæ fuerat in civitate peccatrix, deferens alabaſtrinum vas unguẽto plenum.* Conſidera bonum Jeſum ex ſumma benignitate, & ardenti animas juvandi zelo nunc invitatum adire convivia, nunc ſe ultrò invitare uti fecit bono Zachæo, nec aliam ob cauſam, quam ad convertendos peccatores. Et quāvis Phariſæi criminati illum eſſent, quòd pranderet cum peccatoribus, nunc tamen & Phariſæum adire, ut ejus redargueret ſuperbiam. 2. Conſidera diſcumbente Jeſu Mariam Magdalenam peccatricem omni abjecto pudore irruere in locum convivii, omnia gemitibus complere & jucunda turbare colloquia, quod grave quidem fuit Phariſæo, ſed

ſed non Chriſto: ferebat enim in vaſe ſui cordis unguentum odoriferum, humilitatis & contritionis valdè Deo gratum, quia cor contritum & humiliatum, ait David, Deus non deſpicies.

2. *Beati verò, cœpit pedes ejus rigare lachrymis, & capillis ſuis abſtergere, deoſculari & ungere.* Conſidera ejus humilitatem retrò ſtantis, quia non audebat ſe in conſpectum Chriſti dare, ſed nec mutire; quia crebri ſingultus vocem intercludebant. Silentium certè non ad cœlum ſolùm pertingens, ſed & cor Dei penetrans. 2. nota quomodo tacta dolore cordis diſtracto capitis ornatu ruat ad pedes licet ex viri ſordibus plenos, quanto imbre lachrymarum perfundat, quam extergat capillis ſedulò, quoties oſcula cum ſuſpiriis imprimat, quantâ copiâ unguenti tingat. 3. Conſidera, quam patienter Chriſtus toleret omnia, quanta cum voluptate aſpiciat, quam efficaciter radiis ſuæ gratiæ illuſtret ejus animam, & lavet, quantum convivarum ſilentium, quam Angeli gaudeant ibi præſentes,

ſentes, ſuper peccatrice pœnitentiam agente.

3. *Criminatam eam à Phariſæo defendit Chriſtus, & ait ad ipſum. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: & ad ipſam (fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.)* Conſidera bonitatem JESU, quod cum Phariſæus injuriam fecerit & Chriſto, judicans eum non eſſe Prophetam, & mulieri, vocans peccatricem, Chriſtus neglectâ ſuâ injuriâ, patrocinium ſuſcipiat famæ mulieris concipitque eum, ſe plus à muliere ob officia amoris præſtita diligi, quam ab ipſo, qui nec caput ſuum unxiſſet, quod tamen hoſpitibus fieri non ſolebat. 2. Cogita quantam lætitiam, pacem & tranquillitatem animi ſenſerit Magdalena, auditis verbis Chriſti: *Remittuntur tibi peccata tua, &, fides tua te ſalvam fecit.* Tantâ enim conſolatione cor ejus colliqueſcere cœpit, ut ſtatim ſe è conſpectu Chriſti proripuerit. 3. Conſidera in hoc convivio tria fuiſſe

convivia. Primo Pharisæus pavit Christum, ut discas & tu eum pascere sanctis desideriis & piis operibus. Secundo, Magdalena pavit eumdem corde contrito, ut tu quoque dicas, *Cor mundum crea in me Deus*, Tertio, Christus pavit Magdalenam pane gratiæ & amoris divini, ut deinceps sorderent illi mundi illecebræ: quo & tu quoque talem panem de cœlo postules.

IN FESTO S. JACOBI Apostoli.

De petitione matris filiorum Zebedæi. Matth. 20.

1. M*Ater filiorum Zebedæi, cum à Christo petiisset, ut unus filiorum ad dexteram ejus, alter ad sinistram sederet, Respondit. Nescitis quid petatis.* Considera cæcitatem discipulorum Christi, qui cùm omnibus relictis illi adhæsissent, & eo ipso puncto temporis de passione suâ loquentem audissent, jam per matrem petitionem pro-

proponunt ambitionis & proprii amoris plenam; ut ſcias ne in religionis quidem ſtatu te à talibus cogitationibus & tentationibus fore ſecurum, ſi carnem & ſanguinem conſulas & non alios ſpiritu Chriſti præditos. 2. Conſidera quam benigne & ſapienter Chriſtus eis reſpondeat, *Neſcitis*: Benigne, quia texit turpem lapſum pallio ignorantiæ, vere, quia pompam externam tantùm temporalis regni præ oculis habebant & non advertebant; quot curæ, pericula, & labores ſub eo deliteſcerent: deinde quia eorum petitio cum Chriſti doctrinâ & exemplis è Diametro pugnabat. Vere neſcit quid petat, qui extra Deum aliquid quærit: quia deſerto fonte claro accedit ad turbidos rivulos, relictis æternis quærit fluxa. Deum amare illique per obſervationem mandatorum & conſiliorum ſervire vere regnare eſt.

2. *Chriſto rogante poſſentne ſecum calicem bibere, Reſpondere: Poſſumus. Tum Chriſtus, Bibetis quidem, ſed ſeſſionem*

petitam dare non eſt meum, ſed Patris. Et audientes decem, indignati ſunt. Conſidera, quanta ſit vis affectuum humanorum, ut quando ſe offert ſpes alicujus dignitatis, non expenſa virium imbecillitate, contemptis omnibus impendentibus periculis ad eam homo, adſpiret, & dicat, poſſum, cùm non poſſit. 2. Conſidera quam prudenter, ne cauſam mœroris daret aliis diſcipulis, petitionem eorum, nec probet, nec renuat, ſed ita reſpondit ut ſperare potuerint ſe ſeſſione illa non temporali, ſed ſpirituali potituros. 3. Conſidera ideo reliquos decem indignatos, quia utique res odioſa eſt, velle anteponi & imperare aliis, indeque diſce tutius eſſe verſari in loco humili, in quo nullus eſt invidiæ locus.

2. *Dixit Chriſtus diſcipulis: Principes gentium dominantur eorum. Qui autem inter vos vult fieri major; ſit veſter miniſter: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare & dare animam ſuam.* Conſidera munus eorum

rum, qui ad dignitatem prælati, & superiores, vel magiſtri vocati ſunt, eſſe, ut ipſi non tam dominentur, quam ſerviant ſubditis, eorum bonum anteponendo proprio: ac ideo majores eſſe, quo plus ſe ſubmittunt, & majores labores & affectiones pro ſalute ſubditorum uſque ad mortem ſuſtinent. 2. Conſidera, quomodo Chriſtus totâ vitâ ſuâ miniſteriis & ſe dimiſerit, ac animam ſuam poſuerit pro tuâ ſalute, & invenis exemplar perfectiſſimum, quod imiteris, ſi velis eſſe ejus diſcipulus. 3. Conſidera, quam longe diſcedant à ſpiritu Chriſti, qui non alia de cauſa ad Prælaturas & dignitates aſpirant, niſi ut aliis imperent, magnas opes congerant, & laute vivant.

(***)

IN FESTO S. LAURENTII Martyris.

De grano frumenti. Joan. 12.

I. JEsus dixit discipulis: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Considera, licet nomine hujus grani primario designetur Christus, granum purgatissimum ab omni peccati paleâ, quod mortuum in terra crucis salutis æternæ fructum peperit, secundario tamen designari ab Ecclesia mysticum ejus membrum Sanctum Laurentium, qui sicut granum, concussione flagelli persecutionis, purgatus est ab omnibus terrenis affectionibus, ut discas non spernere tribulationes, quia purgant sæpe nos a multis peccatis. 2. Considera, mortuum fuisse in terra, tum quia carnem suam in hac vitâ prorsus spiritui subdidit, & mortificavit, contemptis omnibus mun-

di

di deliriis, tum quia constanter per atrocissima licet tormenta, pro Christo mortem oppetiit. 3. multum fructum attulisse, tum quia sua passione maximam gloriam in cœlo, & in terra obtinuit, tum quia suo exemplo & constantia plurimos ad Christi fidem convertit, & ut similia paterentur, auctor fuit.

2. *Qui amat animam suam, perdet eam, qui vero odit in vitam æternam custodit eam.* Considera, eum amare animam, qui amat hujus mundi commoda, opes, honores, voluptates præ Christo: odisse autem, qui contemnit; uti fecit Sanctus Laurentius, qui desertis omnibus opibus, desertâ Hispaniâ licet juvenis servivit Xisto Papæ Romæ. 2. Xisto ad supplicium rapto, exclamavit. *Quo progrederis sine filio pater*, cui respondit: *Majora tibi debentur certamina. Post triduum sacerdotem sequeris Levita.* 3. Omnes facultates Ecclesiæ distribuit in pauperes, Christianis ante passionem suam latentibus in cryptis pedes abluit, cœcum

 sanavit,

ſanavit, multos convertit & baptizavit, craticulæ affixus tortores irriſit, tyranno dixit: *Aſſatum eſt ſatis, verſa & manduca*, quia ſegnior erat ignis, inquit Beatus Leo, qui foris uſſit, quam qui intus accendit. Flammis corporeis ſuperari charitatis Chriſti flamma non potuit.

3. *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur, ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum pater meus.* Conſidera, illum miniſtrare Chriſto, qui ejus mandatis & monitis tamquam obediens famulus obedit. 2. qui ejus vices ſi ſacerdos vel ſuperior ſit, ſedulo obit. 3. qui pauperibus & afflictis, operibus miſericordiæ, vel corporalibus, vel ſpiritualibus ſubvenit. Teſtatus eſt enim ſibi fieri, quod vel minimo in ejus nomine fiet: quæ ſi nos quoque faciamus, vere Chriſtum velut ducem & magiſtrum noſtrum ſequimur. Perfectiſſime autem ſequutus eſt Sanctus Laurentius, qui tam fidelis fuit miniſter, ut etiam ſanguinem pro eo profuderit,

fuderit, & exemplum ejus in passione secutus sit. 2. Considera, quantum præmium in cœlo sancto Laurentio & omnibus qui aliquid pro Christo patiuntur, aut Christi membris per charitatem serio ministrant, paratum sit, quantus honor & gloria, sine dubio major quam mens nostra excogitare queat.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. Virginis MARIÆ.

De Christo recepto in domum Marthæ. Luc. 10.

I. M*Artha excepit Christum in domum suam, cujus soror Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius* Considera, Mariæ Magdalenæ non tribui domum, quia qui contemplativæ vitæ se dedicant in religione, debent aspernari omnes hujus mundi possessiones & curas, solique Christo adhærere. 2. Christum in eam recipi domum ubi Maria conjuncta est Marthæ, ut significe-

nificetur perfectiorem vitam eos profiteri, qui non solum vitam contemplativam in meditando orandoque sequuntur, sed etiam activam juvando proximum animâ vel corpore, concionibus, lectionibus, confessionibus, visitatione infirmorum & vinctorum. 3. Considera, quo quis humilior est, & ad Christi pedes se abjicit libentius, hoc magis cœlestis doctrinæ ejus reddi.

2. *Marthæ conquerenti, se solam in ministerio relinqui, dixit Dominus: Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* Considera Marthæ ministerium & sollicitudinem, licet duplici nomine sancta fuerit, tum quia erat virtus charitatis & hospitalitatis, tum quia erat sollicitudo de ipso sancto sanctorum pascendo, tamen reprehensiunculâ non caruisse, quia nimia erat, & mentem inquietam reddebat; ut discas, si sæcularis sis, ita rei domesticæ curandæ invigilare, ne turbes mentem, & negligas officia pietatis: si vero religiosus, ita circa profectum in

litte

literis sollicitus sis, vel aliam rem, ut ne tuam salutem negligas. 2. Considera, Marthæ spiritalem aliquam invidentiolam obrepsisse, quasi moleste ferret sororem solam divino Christi frui colloquio, vel etiam sinistrum judicium, quasi otiosa esset, præstaretque eam secum laborare, quam Christum molestare: ut discant omnes pietatis studiosi utrumque vitium cavere: facile enim solent peccare sæculares, ut putent clericos & monachos esse homines otiosos. Et religiosi, qui laborant in proximis juvandis; ut putent contemplativos, quales sunt eremitæ, Benedictini, & Carthusiani, parum esse Ecclesiæ utiles.

3. *Porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Considera unum simpliciter nobis omnibus esse necessarium, ut primum quæramus regnum Dei, id est, salutem animæ nostræ, uti quæsivit Magdalena: cætera enim omnia non absolute, sed secundum quid sunt necessaria, ut victus, amictus, eruditio, &c. quatenus promovent ad salutem

Quid enim prodest homini, ait Christus *si universum mundum lucretur; animæ vero suæ detrimentum patiatur?* 2. Considera, bonam quidem partem cum Martha eligere sæculares, qui ita domesticas res curant, ut Christo servire suo tempore non negligant? Cleros autem meliorem, quorum cura præcipua est divina peragere officia: Religiosos optimam, qui omnium rerum temporalium abjectione divinis precibus & contemplationibus pro sua aliorumque salute promovenda, vacant.

MEDITATIO II.

De dormitione & Assumptione Beatæ Virginis.

1. CONsidera quanto gaudio Beata Virgo exultârit cognitâ horâ dormitionis, vixerat enim in terra, velut in longo exilio. 2. quomodo ante mortem miraculosè Apostoli adfuerint, quanto honore eam affecerint, quam arden-

dentes preces cum ea fuderint, quantum utrimque ex mutuo conſpectu gaudium exortum. 3. quantâ pace & vultus ſerenitate inter Angelicos concentus & Apoſtolorum gemitus anima evolarit, quantâ cum gloriâ filii ſui brachiis in fo- ribus cœli excepta, & ad thronum Patris cœleſtis.

2. Conſidera, quanta cum gloria & ſplendore, juſſu Patris cœleſtis comitantibus Angelis, paulo poſt de cœlo delapſa ſit, ut omnium laborum ſocium corpus ſuum aſſumeret. 2. cogita quantus mox Beatæ Virginis ſplendor, venuſtas, gloria apparuerit: ſi enim alii juſti ſplendebunt ſicut Sol, quantum ſplendebit omnium juſtorum Princeps mater Dei, quæ nullo unquam peccato animam obſcuravit. 5. Perpende, quam mirabili Angelorum aliorumque ſanctorum comitatu in cœlum evecta ſit, qui concentus Angelorum, quæ laudes animarum ſanctarum, quam glorioſus in cœlum ingreſſus fuerit.

3. Conſidera, quantum gaudium fue-

fuerit Chrifto videre & complecti charissimam suam matrem, quam amanter manu apprehensam in lucem cœli inaccessam introduxerit, quomodo supra omnes thronos Angelorum & Sanctorum evexerit, & sanctissimæ Trinitati præsentarit. 2. Quomodo benigne recipiat eam Pater cœlestis ut filiam, Filius ut matrem, Spiritus sanctus ut sponsam, quomodo in splendidissima sede ad dexteram filii eam omnes tres collocent, & pretiosissimam coronam duodecim stellis, quasi margaritis fulgentem ejus capiti iidem tres simul imponant, tota cœlesti curia faustis acclamationibus, hymnisque suavissimis applaudente.

IN FESTO S. BARtholomæi.

De oratione Christi in monte. Lucæ 6.

I. *CHristus exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.*

Et

Et die facto elegit ex discipulis duodecim quos & Apostolos denominavit. Considera admirabilem devotionem, & profundam reverentiam, quâ cum multis lachrymis nunc genibus flexis, nunc pronus Deo Patri pro nostra salute & Apostolis eligendis supplicarit: ut discas multo magis tibi pro eadem salute tua esse ferventer supplicandum, nec magnum aliquod opus aggrediendum, nisi rem Deo prius commendaris; & maxime si quis tua opera in Prælatum & ministrum Ecclesiæ, ubi respectus humani facile hominem fallunt, sit eligendus. 2. Considera duodecim electos à Christo vocatos Apostolos, id est, nuntios, quæ vox est humilitatis, & obedientiæ, ut velut Dei legati humiliter & prompte quæ à Christo didicissent, annuntiarint.

2 *Cum autem de monte descendisset, multos sanavit à languoribus suis, & qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et quærebat turba eum tangere quia virtus de illo exibat.* Considera Christum post electos Apostolos statim descen-

descendisse de monte,ut discas ea, quæ in monte contemplationis & rerum divinarum meditatione in cubiculo didicisti, & facere proposuisti in opus convertere. 2. ut operam tuam strenue communices omnibus; qui morbo aliquo corporali spiritualive laborant, ac piis moribus rationeque vivendi tota tam bonum exemplum præbeas, ut tua consuetudine oblectentur, & intelligant virtutem à te exire. i. sibi tuam doctrinam & conversationem ad salutem animæ prodesse.

3. Considera Sanctum Bartholomæum duabus maximè virtutibus nunc commemoratis excelluisse, nam primo centies interdiu, & centies noctu scribitur flexis genibus Deum orare solitum. Deinde in citeriore India, Licaonia & Armenia Evangelium prædicavit, virtutes suas omnibus, donec sanguinem pro Christo profunderet, probavit.

IN FESTO NATIVITATIS B. Virginis MARIÆ.

De Genealogia Christi. Matth. 1.

1. *Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob.* Considera quanta fuerit Beatæ Virginis nobilitas, majores enim ejus fuerunt, & splendore generis inde à Patriarcha Abraham & veræ sapientiæ ac religionis opinione, & sanctitate ac virtutum præstantia in toto mundo illustrissimi. Quibus Deus visibiliter legem dedit, & familiariter locutus est, & in omnibus rebus semper auxilio fuit. 2. Considera Beatam Virginem suis virtutibus progenitoribus majorem conciliasse splendorem, quam ab illis acceperit, unde sicut pretiosa gemma annulo aureo inserta, auget ejus splendorem, sic naturæ gratiæque dotes totam ejus stirpem clariorem reddiderunt.

2. *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ,*

ria, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus. Considera Evangelistam post tot Patriarchas, Prophetas, & Reges nominatos (ut indicaret omnium virtutum & perfectionum summam) nominasse Mariam Virginem Dei matrem, quâ nihil sublimius dici potuit. Quid enim sanctius illa esse potuit vel debuit, ex quâ prodiit Sanctus sanctorum JESUS, conditor & Salvator mundi?

2. Considera eam non solum esse natam matrem JESU, sed etiam nostram; nam postquam Jesus ex illa natus, nascendo fuit factus noster frater, illa pariter facta est nostra mater, mater, inquam, gratiæ, quia nobis per filium suum esse spirituale gratiæ comparavit, mater misericordiæ, quia materno pietatis affectu conatur nobis in omnibus ærumnis, & maxime in hora mortis adesse.

3. Considera, quantam lætitiam ejus ortus attulerit toti mundo. Et primo Angelis dum vident natam illam quæ eorum ruinas sit restauratura. 2. hominibus tunc limbi carcere inclusis, dum in-

intelligant aliquando finem fore ſuæ captivitatis. 3. ejus parentibus Joachim & Annæ quod filiam edidiſſent; quæ futura erat mater Dei. 4. omnibus peccatoribus, non ſolum quia ipſa prima fuit, quæ naſceretur immunis ab omni peccato etiam originali, ſed quia patrona & advocata futura erat omnium peccatorum. 5. toti Eccleſiæ ſanctæ, quia ſponſi ejus parens nata eſt, regina mundi, feneſtra cœli, porta Paradiſi, ſcala ad cœlum pertingens, ſtella matutina: ſtella illa, de quâ dixit Propheta: *Orietur ſtella ex Iacob.* Exultemus ergo & dicamus cum Eccleſia: *Nativitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiavit univerſo mundo, ex te enim ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter, qui ſolvens maledictionem & confundens mortem, donavit nobis vitam ſempiternam.*

IN EXALTAT. S. CRUCIS.

De crucifixione Christi. Joan. 12.

1. D*Ixit Iesus turbis: Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicitur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Conſidera ſummam ſapientiam & potentiam Dei, quod ea re, quâ nihil erat contemptius & infirmius in mundo, nempe patibulo crucis, omnem potentiam diaboli principis mundi, id eſt, peccatorum fregerit, & mundum totum à peccato & faucibus inferni & diaboli vindicaverit, id eſt, judicando liberaverit: ut diſcas humilitate, & contemptu ſui omnes tentationes dæmonis & mundi frangi. 2. Conſidera tantum eſſe beneficium nobis præſtitum per exaltationem Chriſti in crucem & mortem, tantamque charitatem demonſtratam, ut non modo allici, ſed etiam trahi quodammodo, licet inviti; in ejus amorem debeamus.

Et

Et tanta eſt vis paſſionis, ſi ſerio perpendatur, ut non tam moveat, quam impellat hominem peccatorem ad converſionem, & pœnitentiam, ac mortem etiam, dum opus eſt, ut accidit martyribus, libenti animo perferendam.

2. *Reſpondit turba, audivimus ex lege, quia Chriſtus, manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis?* Conſidera turbam, id eſt, homines mundi, mundanarumque rerum, ut opum, honorum voluptatum, & vitæ carnalis amantes non intelligere, quæ ſunt ſpiritus Dei, paupertatem, & contemptum ſui, paſſiones, mortem & ideo non potuerunt capere hæc in Chriſtum convenire: at qui Chriſti ſunt diſcipuli illi ſciunt per paupertatem, opprobria & multas tribulationes, perveniri ad veras opes, honorem, vitam ipſamque æternitatem. Si enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert. Sic Heraclius Imperator hoc die, non cum gemmis & auro ſplendidus eſſet, ſed cum vili habitu, nu-

nudisque pedibus indutus esset, meruit crucem ipsam Christi à Persis recuperatam, in montem Calvariæ, referre.

2. *Adhuc modicum lumen vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Considera modicum lumen in iis esse, qui nunc cum Apostolo Paulo dicere possunt: *Non judicavi me scire aliud quam Iesum & hunc crucifixum*, sicut modicum erat in dictâ turba quomodo enim sequetur Christum clamantem: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Ideo solere nos frontem, totumque corpus sæpe insignire cruce, ut hoc lumen in omni actione nostra præferatur, alioqui enim facile nos tenebræ, & tenebrarum Princeps suis tentationum laqueis esset comprehensurus.

IN FESTO S. MATTHÆI Apoſtoli.

De ejus vocatione ad Chriſtum. Matthæi 9.

1. *JEſus videns Matthæum ſedentem in telonio,* ait: *Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum.* Conſidera potentiam & clementiam eximiam Dei, quod hominem immerſum peccatis, & hujus mundi curis, (ut ſunt telonarii) dignetur extrahere tam ſubito ex peccatorum luto, & ad ſummam vitæ Apoſtolicæ perfectionem vocare ab uno extremo ad alterum: ut diſcas nullum eſſe peccatum vel imperfectionem, nullum etiam peccati ſtatum, ex quo Deus, ſi eum vocantem ſequi velis, non poſſit velitque te extrahere. 2. Conſidera promptam obedientiam Matthæi, omnibus opibus negotiiſque poſthabitis Chriſtum inſequentis. Cogita, quoties te Chriſtus vocet, ut eum ſequare, ut in hac illave virtute te exerceat, hoc vel illud bonum

num opus facias, & tamen sanctam ejus inspirationem respuis, vel si a-mittas, tamen exequi differs. Ora ergo Deum, ut semel perfecte omnibus cupiditatibus pravis renunties, & Christo soli aurem præbeas.

2. *Discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores discumbebant cum Christo, & rogabant discipulos, cur cum peccatoribus manducaret eorum Magister?* Considera tantas fuisse Christi virtutes cum summa humanitate conjunctas, ut etiam mali homines sponte se ei adjungerent. Instrue & tu ita vitam, ut non solum scandalo nulli sis, sed etiam modestiâ, pietate & comitate ad tuum colloquium alios allicias, & conversatione tua meliores reddas. 2. disce non curare oblocutiones, sicut nec Christus curavit, nam detractor sibi soli nocet, sicut qui candelam emungit, digitos suos tantum urit, & aliis prodest. 3. disce eos qui cum Matthæo sequuntur Christum, & deserunt mundum, lautum apponere convivium Christo, qui nulla re magis dele-

delectatur, quam perfecto sui & mundi contemptu.

3. *Euntes discite; Quid est? misericordiam volo & non sacrificium. Non enim volo vocare justos, sed peccatores.* Considera rursum ineffabilem Christi clementiam & charitatem, quod ei quasi gloriæ suæ oblito potius cordi sit erga peccatores misericordia, quàm fuerint omnia sacrificia in honorem ejus oblata, imo non propter justos, quos tamen imprimis complecti deberet, sed propter peccatores de cælo descenderit, humanam naturam assumpserit & contumeliosissimam mortem oppetierit. Considera, quàm charitas & passio Christi efficax fuerit in conversione peccatoris Matthæi, ut & ipse Christi discipulus insignis, Apostolus & Evangelista factus sit, & postquam in Æthiopia longè lateq; fidem Christi propagasset, vicissim pro Christo tempore sacrificii incruenti in ara peracti sanguinem profuderit.

IN FESTO MICHAELIS Archangeli,

De imitandis parvulis. Matth. 18.

1. R*Ogantibus discipulis, quis esset major in regno Cælorum, Christus statuit parvulum in medio illorum dicens: Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Considera quam congruenter in hoc festo præsens legatur Evangelium , quia sicut superbus Lucifer ob usurpatum divinum honorem ex paradiso præceps ruit in profundum inferni , sic humilis S. Michael cum toto bonorum Angelorum exercitu ; subjiciendo se creatori suo ad summam beatorum gloriam est evectus , unde æternum decretum Dei est, neminem venturum ad Angelorum gloriam , nisi eandem cum illis humilitatis viam calcaverit. 2. Considera , si Angeli, licet beati , non dedignantur se ad ministerium hominum demittere , velut parvuli , (*Omnes enim*, teste Apostolo,

ſtolo, *ſunt adminiſtratorii ſpiritus*) & ſocietatem nobiſcum inire, ut reſtaurent ſuas ruinas, quantò magis homo homini ſe debet ſubmittere, fraternè unicuique ſervire.

2. *Quicumque humiliaverit ſe ſicut parvulus ille, hic eſt major in regno cælorum.* Conſidera bonitatem Domini, tam facile medium præſcribentis, ut ſimus in regno cælorum majores, ut ſcribit Sanctus Bernardus ſerm. 2. de Quadrageſima. *Nihil eſt facilius volenti, quam humiliare ſeipſum.* 2. nota parvulorum proprium eſſe, ut ſint malitiæ dolique expertes, corpore menteque puri, non vindicare injurias, omnibus credere, ſubmittere ſe majoribus, eoſq; revereri, id imitare, & humiliaveris te ſicut parvulus.

3. *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis, quia Angeli eorum in cælo ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Conſidera, quàm grave peccatum ſit, parvi facere puſillos, maloque exemplo offendiculũ illis præbere; ſi enim eare offẽditur Angelus eorũ cuſtos,

qui ſemper verſatur in conſpectu Dei, verendum eſt, ne non advocatum tuum, ut ſolet, ſed accuſatorem agat.

2. Conſidera, Angelos etſi continenter in nobis cuſtodiendis & miniſtrandis ſint occupati, non ideò abſtinere ab aſſidua divinæ faciei contemplatione; ut diſcas licet aliquando litterariis vel aliis occupationibus ad ſalutem proximi ſpectantibus ſis diſtentus; non debere tamen oblivíſci orationis, & contemplationis rerum cœleſtium.

IN FESTO SIMONIS ET Judæ Apoſtolorum.

De dilectione mutua & perſecutione. Joan. 19.

1. *Dixit Ieſus diſcipulis: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret.* Conſidera, cur Chriſtus tam ſedulò mandet

&

& commendet diſcipulis ſuis dilectionem mutuam; quia videlicet inquit B. Gregorius, omnia alia præcepta in ſola charitate ſolidantur. Ut enim multi rami ex una radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis. 2. conſidera magno ſolatio eſſe debere pietatis ſtudioſis, ſi ob pietatem videant, ſe multis malis hominibus exoſos, quia in ea reducem & anteſignanum habent Chriſtum Salvatorem ſuum, & conditorem, quis autem miles tam vecors ſit, qui non velit ſimilis eſſe ſuo Imperatori? deinde ponere etiam in lucro, quia ſi patienter odium iſtud ferant, certum argumentum habent, ſe nihil habere cum mundo commune, quia mundus nihil ſuum, id eſt, nullam cupiditatem opum, honorum & voluptatum invenit in illis.

2. *Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur, ſi ſermonem meum ſervarunt, & veſtrum ſervabunt.* Conſidera multis modis

te esse servum Christi. 1. quia homo es, & ad imaginem Dei creatus. 2. quia Christianus, quia te pretioso sanguine suo ex servitute peccati & dæmonis redemit. 3. quia sponte te abjurata pompâ Sathanæ in baptismo ei consecrasti. 4. quia totum te, si religionem es ingressus, in holocaustum ei & superioribus obtulisti, ac ideò plusquam alii obligatus es eum imitari etiam in patiendo. 2. cõsidera ideò Christum præmonere de persecutionibus suos discipulos, ut intelligant tunc veros discipulos & servos Christi se futuros, si Chistũ maximè in passione imitẽtur. *Omnes qui piè vivere volũt*, ut docet Apostolus, *persecutionem patientur*, à mundo scilicet, dæmone, & carne.

3. *Si non venissem & locutus eis non fuissem peccatum non haberent: similiter si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, nunc autem excusationem non habent.* Considera, cum Christus per sua beneficia spiritualia, toties nos visitarit, ut quod Christianis parentibus

orti

orti à Catholicis præceptoribus instituti simus, & quotidie tot divinas inspirationes, conciones & exhortationes, sanctissimaque exempla Sanctorum miraculis illustrium, vel sanctitate conspicuorum, habeamus & videamus, inexcusabiles nos fore in die judicii si de fide Catholica aliquando dubitemus, aut vitam Christiano homine dignam non instituamus. 2. considera, cùm Judæi, quibus locutus est Christus, & coram quibus miracula fecit, ideò inexcusabiles sint, quia pertinaces in sua sententia manserunt, & putarunt Messiam non posse esse tam pauperem & abjectum, ut ille erat, quantum à pertinacia, & proprio judicio abhorrere debeat, maximè cum periclitatur fides vel charitas.

* * *

IN FESTO OMNIUM Sanctorum.

De octo Beatitudinibus, Matth. 5.

1. JEsus in monte sedens, elevatis oculis in discipulos, ait: Beati paureres spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Considera Christum ideo in monte istas beatitudines docuisse, ut indicaret eas capi non posse, nisi ab iis, qui perfectionis majoris desiderio desertis vitæ sæcularis vallibus, sectantur JESUM per juga virtutum. 2. considera eum ut bonum architectum perfectionis Christianæ altissimum ponere fundamentum, nempe paupertatem spiritus, in qua duæ principales virtutes cõtinentur, contemptus opum &illecebrarum hujus sæculi, & contemptus sui, vel paupertas voluntaria, & vera humilitas. 3. cogita paupertatis voluntariæ præmium esse regnum cælorum, quia meritò cælestia debentur illis, qui contemnunt terrena, & certè qui ob Christum bonis terre-

terrenis se exuunt, ut religiosi, etiam i hac vita incipiunt possessores esse cæle stium delitiarum.

2. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Considera, rectè paupertat addi mansuetudinem, quia proprium est pauperum pati injurias & opprobria & ideò homini pio mansuetudo necessaria est, qua mala omnia sustineat, & vincat in bono malum. 2. consi dera, si pauperibus spiritu, id est, humilibus promissum est cælum, & mitibus possessio terræ, superbis & iracũdis quid aliud superest, nisi infernus.

3. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Considera, non esse beatos, qui lugent rerum temporalium jacturam, sed qui lugent pro suis vel aliorum peccatis. 2. ob diuturnum hujus vitæ exilium. 3 ob pericula varia salutis 4. ob dilationem gloriæ, hi enim & in hac vita, & in futura solidam consolationem percipiunt. 4. Considera, si qui in hoc mundo tristes sunt, gaudent in altero, quem exitum habituri sint, qui risu & recreationibus per omnem

vitam dediti sunt. *Extrema gaudii*, ait Sapiens, *luctus occupat.*

II. PARS.

4. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Considera, postquam peccata nostra luximus, proximum esse, ut magno desiderio aspiremus ad divinorum præceptorum observationem, & virtutum omnium studium, neque enim satis est declinare à malo, sed opus est quoque facere bonum. 2. Considera non satis esse nos velle justitiam, sed esurire & sitire illam, id est, acri cupiditate, & magno fervore promovere illam in se & aliis, *ut qui justus est justificetur adhuc.* Sic enim futurum est, ut Deus vicissim nos esurientes impleat omnibus bonis & donis, non in hac vita solum, sed etiam in cælesti.

5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Considera, misericordia cum nomen habeat à corde, tum verè nos esse misericordes, cùm

ex animo compatimur miseriis proximi. 2. misericordiam Christianam latè patere: est enim exercenda non in in corporalibus tantum, sed etiam spiritualibus bonis communicandis, nec tantum erga amicos, sed etiam inimicos & persecutores, hæc enim facit nos similes Deo, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. 3. misericordes vicissim à Deo misericordiam consecuturos, quia in die judicii illis dicet Dominus: *Venite benedicti Patris mei: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.*

6. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Considera, quàm benè munditia cordis jungatur misericordiæ, si enim pura intentione non des eleëmosynam, vel in peccàto mortali existens amittis misericordiæ meritum. *Si enim in pauperes*, ait Paulus, *distribuero omnes facultates, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. 2. Considera, Deū aliis virtutibus, alia promittere præmia suiipsius, nec enim aliud est, videre Deum, quàm

frui illo, & illum possidere. Nec mirum cùm enim sit ipsissima puritas, libenter se communicat mentibus verè puris, id est, à peccatis & pravis cupiditatibus sæculi, quales inprimis sunt eorum, qui castitatem DEO voverunt.

III. PARS.

7. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Considera, puritati cordis rectè subjungi pacem, quia quando cor purgatum est à sordibus peccati, mox experitur in se *pacem*, quæ juxta Apostolum, *exsuperat omnem sensum.* Phil. 4. & præsentis gratiæ manifestum est signum. 2. Considera, pacem esse animorum & voluntatum conjunctionem. Pacifici ergo erunt qui hanc conjunctionem procurant cum DEO, cum proximo, cum conscientia sua. 3. cum passionibus, cum quibus non est vera pax, nisi subigantur. 4. hos filios Dei dici, quia similes sunt Christo, qui est Deus pacis. 5. quia Dei officio

officio funguntur, & Christi. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum*, id est, hominem cum Deo univit, & nihil aliud quàm concordiam, dilectionemque mutuam discipulis commendavit.

8. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Considera, meritò hanc beatitudinem omnium esse ultimam, quia est omnium virtutum, omnisque perfectionis fastigium, & velut gemma, & crux aurea appensa catenæ aureæ ex multis annulis conflatæ, pati enim pro Christo est donum supra omne donum, quod Deus non impertit nisi suis carissimis. Unde Beatus Jacobus scripsit, *patientiam* opus perfectum habere. 2. Considera idcircò sanctos homines, non aliis virtutibus & donis quæ possunt hominem inflare, sed in contumeliis & persecutionibus perpessis gloriari. *Absit*, inquit Apostolus, *mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi.*

2. *Beati estis cùm maledixerint vobis homines , & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me : gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Considera nihil pijs majorem lætitiam afferre, quàm dum multa & gravia patiuntur pro Christo , tum quia sciunt se fieri Christo simillimos, tum quia copiosissima remuneratio illis in cælo parata est. Unde de Apostolis dicitur in Actis: *Ibant gaudentes à conspectu Concilii, quia digni habiti erant in nomine Iesu contumeliam pati.*

MEDITATIO II.

De Festo omnium Sanctorum.

1. CONsidera quantâ gloriâ fruantur Sancti in cælo , quorum festum hodie agitur, quæ solet distingui in præmium accidentale, & essentiale. Accidentale consistit in possessione omnium bonorum, quæ non sunt Deus , ut nihil desit, quod oblectare queat. Quidquid

enim

enim homo optare poteſt, illic pleniſſimè habebitur. Primò quoad cibum & potum plena ſatietas. 2. veſtitus lumine glorioſo refulgens. 3. palatia & gemmis & margaritis conſtructa. 4. ſummus honor & gloria. 5. perfecta omnium rerum cognitio. 6. cives & ſocii nobiles, divites & noſtri amantiſſimi. 7. plena victoria dæmonis, mundi & carnis, nullum incommodū, nulla triſtitia. 8. occupationes jucundiſſimæ, colloquia continua cum Deo, Dei Matre, omnibuſq; Sanctis, divinas laudes & hymnos cum miranda vocum harmonia concinere, mundum cum Chriſto adminiſtrare, imò regnare. Et hæc quidem erunt omnibus ſanctis communia, præter quæ quædam peculiaria gaudia & triumphi cedunt Martyribus, Virginibus, & iis qui alios ſalutis viam docuerunt, juxta cujuſque meritum.

2. Conſidera prædicta omnia nihil eſſe, ſi conferantur cum præmio eſſentiali, quod conſiſtit in immediata viſione Dei. Ex viſione enim multa in anima fiunt. 1. plena Dei poſſeſſio, ut omnia

ſint plena Deo etiam in corpore. 2. ſimilitudo Dei, ut potius ſancti dicantur Dii, quàm homines: ſicut carbo ignitus vocatur ignis. 3. perfecta viſio eorum quæ in Deo ſunt, ut ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis, charitatis, omnipotentiæ, pulchritudinis, licet non poſſint comprehendi. 4. ſumma dilectio Dei, & intima adhæſio. 5 ineffabile gaudium & ſpiritulis delectatio. 6. plena ſatietas, & ornatus in omnibus animæ potentiis, & corporis membris.

3. Conſidera, cùm ſancti ad tantam evecti ſint gloriam, quanta veneratione ſint à nobis colendi, & invocandi, utpote non de ſua, ſed noſtra tantum ſalute ſoliciti. 2. quantum in nobis deſiderium excitare debeamus, ut aliquando ad illos perveniamus, & tantis bonis fruamur. Sed quia ad tanta præmia non pervenitur, niſi per magnos labores, jam nunc ſtatue veſtigiis Chriſti & Sanctorum inſiſtere, licet mundus rideat, caro reclamet, dæmon rugiat.

IN COMMEMORATIONE *animarum.*

1. COnsidera, quàm graves pœnas sustineant animæ fidelium defunctorum in Purgatorio: nam S. Scriptura vocat pœnam ignis; & Patres, ut August. Gregor. Beda dicunt pœnam esse intolerabiliorem quavis pœna hujus vitæ, quæ Martyribus vel latronibus inflicta fuit, ut S. Laurentio, S. Vincentio, S. Bartholomæo & aliis. 2 considera diuturnitatem in pœnis, quæ non ad unum diem, sed ad multos annos sæpè durant. Beda indicat quasdam animas usque ad diem judicii in iis manere. Et Ecclesia anniversaria sacra celebrat etiam pro iis, qui ante 100. vel 200. annos obierunt.

2. Considera, ut in fide purgatorii firmior sis, & in pietatis studio constantior. 1. coinquinatum nihil, vel immundum sive lethali, sive leviore peccato posse intrare regnum cælorum, ut est in Apoc. 2. quam pauci sint, qui peccatorũ

veniāliū expertes ſint, aut pro peccatis lethalibus aut venialibus licet remiſſis ſatisfecerint. 3. quanta Dei ſit miſericordia & patientia, quod poſt hanc vitam (cum nec merendi, nec peccandi amplius tempus eſt) voluerit nos purgari ab his maculis, & precibus viventium juvari. 4. quis ſtatus tuæ ſit conſcientiæ, an ſincerè omnia peccata mortalia & ſingula confeſſus fueris, an ut debes de eis dolueris, an ſatisfeceris, an in hoc genere orationibus & aliis bonis operibus animas defunctorum juveris? iiſque merueris tibi poſt hanc vitam etiam auxilium aliorum.

3. Conſidera quare tenearis meritò animabus illis hoc die & aliàs ſubvenire. 1. quia ſeipſos juvare nequeunt niſi ſolutione peracta uſque ad ultimum quadrantem. 2. quia ſunt in carcere, quos Dominus jubet viſitari. 3. quia lex naturæ poſtulat, ut quod nobis fieri vellemus, aliis faciamus. 4. quia ſunt omnes noſtri fratres, & filii DEI, ſunt enim in gratia & juſti. 5. quia implorant opem noſtram junctis manibus), uti

quibuſ-

quibusdam sanctis apparuêre. 6. quia multa præsidia nobis suppetunt, quibus juvari queunt.

Primum est sacrificium Missæ. 2. orationes. 3 eleëmosynæ. 4. jejunia, disciplinæ, peregrinationes, si hæc faciamus in gratia.

IN FESTO S. MARTINI Episcopi.

De lumbis præcingendis. Luc. 12.

1. DIxit Iesus discipulis: *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Considera lumbos præcingere eum qui tam mente, quàm corpore alienus est à carnalibus desideriis, & carnem suam, ut loquitur Apostolus, crucifigit cum vitiis & concupiscentiis. Lucernas verò ardentes gestare in manibus eos, qui & in bonorum operũ exercitatione sunt seduli & ardentes, & aliis suo exemplo quasi luce prælata auctores sunt, ut ea innitentur, *providentes bona*, ut suadet B. Paulus, *non tantum co-*

vam Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

2. *Beati servi, quos Dominus invenerit vigilantes: pracinget enim se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Considera, non satis esse colere puritatem mentis & corporis, bonisque operibus vacare, & alios ad eadem incitare, sed etiam perseverare, idque continẽter, ut cum Domino placuerit venire, & nos ex hac vita evocare, sive per repentinum, sive diuturnum morbum, parati simus. Si enim paratos nos invenerit, ad vitæ æternæ nuptias evocabit, & nobis omnia delitiarum genera, quæcumq; mente excogitare poterimus, affatim subministrabit.

3. Considera S. Martinum vere fuisse lucernam ardentem & lucem; Primum enim, quod ad virtutes ejus toti orbi notas, eminuit in eo humilitas, quia adolescens miles famulo suo sæpe inservit, & calceos detraxit, leproso in porta Parisiensi osculum dedit, & moriturus, nec vilia quidem stramenta sibi passus est supponi, dicens: *Non decet filium*

Chri-

Christiani nisi in cinere mori, Si aliud exemplum vobis relinquo ipse peccavi.
2. charitas , quia in porta Ambianensi , nudo pauperi mediam chlamidem discidit, in qua Christus ei nocte apparuit. In patriam abiit, ut parentes converteret & incidens in latrones, quia contempsit mortem, unum latronum convertit.
3. Zelus fidei Catholicæ, nam decennis invitis parentibus ad Ecclesiam confugit, ut baptizaretur , deinde adolescens miles factus, cum soli Christo militare statuisset, nec Cæsaris Juliani iram, nec aulicorum curans irrisiones, sæculari militiæ renuntiavit, tamen Arianorum hostis fuit, ut virgis aliquando ab urbe pulsus sit, duodennis eremum petiisset, nisi ætas obstitisset. Oculis ac manibus in cælum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Dum sacrum faceret , globus igneus apparuit super caput ejus. In mensa Cæsaris, priùs suo sacerdoti socio poculum obtulit, quàm Cæsari. Cùm dæmon purpuratus ei, quasi Christus appareret , respondit : Dominus non dixit se purpu-

ratum, vel diademate renitentem venturum. Et in morte astanti ait: Quid hic astas cruenta bestia, nihil in me funeste reperies. Cùm discipuli dicerent, cur nos pater deseris; Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. V. MARIÆ.

Meditatio de Evangelio eadem cum festo Nativitatis B. Virginis.

De historia Præsent. B. Virgin. à Ioachimo, & Anna parentibus facta.

I. CONsidera, quomodo sapiens, & humilis virguncula (in qua ratio ætatem, erat enim trimula, prævenerat) oculis humi defixis complicatis in pectus manibus desiderio adeundi templi Hierosolymitani ardens in via incesserit, & celerrimè 15. gradus à nullo adjuta stupentibus omnibus ascenderit: ut discas bonum esse à prima ætate servire

Deo

Deo, & de virtute in virtutem ascendere, hoc est, quotidie proficere, in studio bonorum operũ fervere, fortiter omnes difficultates superare, amare templum & societatem piorum.

2. Considera, qua devotione pii parentes B. Virginem totam hilarem vultu obtulerint Deo & sacerdotibus, eam in altare sublatam: quàm gratum divinæ majestati munus fuerit. Si enim sacrificia taurorum & vitulorum grata fuêre Deo, multò gratius fuerit hujus puellæ, quæ omnes homines gratiâ & sanctitate superavit. Omnes ferè qui ab infantia à parentibus Deo oblati sunt, magni sancti postea facti sunt, nec alia de causa puto, quam quia Deo gratissima fuit eorum oblatio.

3. Considera, quomodo B. Virgo flexis genibus cum lachrymis in ara obtulerit seipsam, quàm grata fuerit Deo & Angelis talis oblatio. Si enim Angeli gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente, quanto magis super hac seipsam in holocaustum offerente, quæ numquam peccavit? Obtulit autem se

perfectè, nempe mundo prorsus renuntians, & totam se ad nutum divinæ voluntatis resignans, parata reliquum vitę in paupertate, nihil proprium habendo, transigere: offerens quoque se in minimam ancillulam matris Messiæ venturi, Deinde considera, quomodo dimissis parentibus cum summo suo gaudio inclusa fuerit cubiculo templi, & per undecim annos in eo noctu diuq; serviens Deo inter Angelos vixerit.

IN FESTO S. CATHARINÆ Virg. & Martyris.

De decem Virginibus. Matth. 25.

I. DIxit Jesus discipulis. *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ cum lampadibus obviam exierant sponso & sponsa.* Considera, si clericus vel religiosus sis, primò quàm grata sit virginitas vel castitas, quam Deo vovisti, quia eam Christus & B. Virgo coluêre, aliisque suasêre, unde & agnus immaculatus in Apocalypsi dicitur versari in co-

in comitatu virginum, ſecundò te debere geſtare lampadem, id eſt, cor habere apertum ad cogitanda cæleſtia, clauſum verò ad terrena, lampas enim ſupernè patet, infernè clauſa eſt. *Virgo*, inquit Apoſtolus, *cogitat quæ Dei ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*. Tertiò, obviam ire ſponſo Chriſto, cui animam tuam per votum irrevocabile deſponſaſti, & ſponſæ Beatæ Virgini, vel religioni tuæ obviam ibis, ſi omnes cogitationes, deſideria, & actiones ad ejus honorem & gloriam, animæque tuæ ſalutem dirigas, & ſemper quaſi præſentem cernas.

2. *Prudentes virgines acceperunt oleum ſecum in vaſis ſuis cum lampadibus, fatuæ ſecus*. Conſidera ad concinnandam rectè lampadem, ne facilè extinguatur, requiri primò vitri claritatem & nitorem. 2. ellychnium ſufficiens. 3. vas oleo plenum. 4. flammæ ardorem. 5. ſplendorem. Sic Virgo, vel religioſus debet primo eſſe mente & corpore purus animam ſuam pia aliorum exhortatione, lectione, crebraque

communione pascere, vas cordis sui habere plenum oleo charitatis & devotionis in Deum, nam ut oleum flammam efficit & fovet in lampade, sic oratio devota divini amoris flammam excitat & conservat juxta illud Prophetæ, Psalm. 33. *In meditatione mea exardescit ignis.* 4. debet ardens esse in omnibus operibus bonis: nam tepidi ex ore Domini evomuntur. Apoc. 3. 5. bono exemplo aliis prælucere, ut videant opera ejus bona, & glorificent Patrem cælestem.

3. *Eadem sponso veniente, quia paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.* Considera tres esse januas, quas Dominus in hoc mundo apertas tenet hominibus, ut ingredi cælum possint, quæ post judicii diem omninò claudentur, ut nulli amplius pateat ingressus. Prima est misericordiæ & veniæ, quæ patet omnibus habentibus lampadem fidei, cum oleo pœnitentiæ. Secunda est gratiæ ad merendum & proficiendum in virtute, quæ etiam patet omnibus justis se exercentibus in bonis

nis operibus. Tertia est gloriæ, quæ patet omnibus quidem, sed in gratia, & bonorum operum exercitio usq; ad adventũ sponsi, qui est in cujusq; morte, perseverantibus. *Qui enim perseveravit usq; in finem, hic salvus erit.* 2. Considera claudi januam omnibus, qui licet fidem in Christum habuerint, castitatẽ Deo promiserint, multos annos in religione trãsegerint, & multis bonis operibus illustres fuerint, non tamen usq; in finem perstiterunt.

IN FESTO S. ANDREÆ Apostoli.

De vocatione Apostolorum, Matth. 4.

1. A*Mbulans Iesus juxta mare, videt duos fratres Petrum & Andream mittentes rete in mare.* Considera, quod viderit eos non tam corporaliter, divino nempe oculorũ conjectu, quo eos ab æterno ad Apostolicũ munus elegerat. Verè felix cõjectus qui ex peccatorib⁹ fecit justos, & ex hominibus vilibus mundi Princi-

Principes, ex piſcatoribus Apoſtolos. Conſidera, illos fuiſſe fratres, quia capita Eccleſiæ ſuæ eſſe noluit, niſi ſe mutuò diligentes. *In hoc cognoſcent omnes* inquit alibi Chriſtus, *quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Vis ergo Deum in te oculum defigere, cura, ut colas concordiam & unionem fraternam. Conſidera eos vocatos ex mari, ut exemplo Domini diſcerent animas ex tempeſtuoſo hujus ſæculi naufragio extrahere. Unde non deſeruerunt piſcandi officium, ſed melius reddiderunt.

2. *Ait illis: Venite poſt me, ut faciam vos fieri piſcatores hominum, & illi continuò relictis retibus, ſicut poſtea Iacobus quoq; & Ioannes, ſecuti ſunt eum.* Conſidera ſubitò ſecutos relicto opere imperfecto, ut videas quam obedientiam exigat à religioſo Deus, qui Apoſtolicam perfectionem ſequi conatur, nempe ut nulla interpoſita mora pareat ſuperiorum mandato. 2. Conſidera horum exemplo tria eſſe relinquenda ſequenti Chriſtum. 1. retia; id eſt, opera peccatorum, quibus homines

mines velut funib⁹ &retibus illaqueãtur. 2. navẽ i.e. possessiones mundi, & omnia temporalia. 3. affectum erga parentes & cognatos: quod significatum est hîc, cũ Joannes & Jacobus patrem Zebedæum reliquerunt. O quàm felix est relictio & desertio, quæ cum tanto bono imò cum thesauro omnium bonorum commutatur.

3. *Vidit alios duos fratres reficientes in navi retia sua, qui & secuti sunt eum.* Considera, hoc exemplo moneri concionatores, qui sunt hominum piscatores, ut aliquando relicta nonnihil piscatione animarum vacent retibus reficiendis, i.e. colligendo spiritui & emendandis defectibus, ut renovato spiritu, postea majore fructu redeant ad piscationem animarum. 2. Considera Petrum, qui designat ferventem actionem, prius vocatum, quam Joannem, qui significat contemplationem: ut discas non perveniri ad perfectionem contemplationis, nisi per antegressionem sedulam sui mortificationem.

IN FESTO S. NICOLAI Episcopi.

De lumbis præcingendis. Luc. 12.

1. D*Ixit Iesus discipulis : Sint lumbi vestri præcincti* Considera S. Nicolaum exemplo priùs, quàm sermone supra naturam docuisse, quomodo præcingendi sint lumbi. Nam cùm infans adhuc sugens esset, in cunis jacens, quartis & sextis feriis ac semel tantum sub vesperam ubera materna suxit, quâ infantuli sobrietate docuit, quam castus, quam magnus in Ecclesia Dei esset futurus. Eandem enim jejunandi consuetudinem totâ vitâ tenuit. Sed & quotidie semel tantum comedit, idque vesperi, & uno contentus ferculo à carnibus quoque semper abstinuit. Lectionem item sacrã mensæ adhibuit. 2. Considera, hoc exemplo eum docuisse, quàm salutare sit pueros ab infantia bonis assuescere operibus, tum quia opera illorum ut mundiora, ita sunt chariora, tum quia plerumque

rumque durant, in seniam. *Quod enim nova testa capit,* vulgo dicitur, *inveterata sapit.*

Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Considera, per lucernas intelligi exempla virtutum, quibus Beatus Nicolaus præluxit, in quibus emicuit exemplum charitatis ardentissimum, nam auro multo clam in domum cujusdam noctu projecto patris inopiam, & trium puellarum virginum opprobrium, quæ per prostitutionem corporis coactæ fuissent nefandum quæstum facere, sustulit. Deinde Episcopus factus, pauperibus, viduis, & orphanis, aliisque consilio pecunia, & labore numquam defuit, nihil sibi reservans nisi vitæ necessaria, & supellectilem opportunam. Imo adolescens adhuc, facultates omnes in pauperes erogavit. Deinde fuit lucerna ardens ratione humilitatis singularis. Nam ideo noctu, aurum in alienam domum injecit, ut opus tam præstans omnibus ignotum maneret. Adhæc, ratione religionis & devotionis singularis. Nam Hierosolymam causa visendorum locorum sacro-

crorum peregrinatus eſt. Primus in templum orandi causâ ſe conferebat, poſtremus exibat, eoque judicio Myreæ in Lycia ab Epiſcopis congregatis electus eſt Epiſcopus, cùm divinitus moniti eſſent eligendum eum, qui primus templum manè iniret.

Vide Meditationem in feſto S. Martini.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. Virginis MARIÆ.

De immaculata ejus Conceptione.

1. CONſidera, quomodo B. Virgo ante conſtitutionem mundi Deo electa fuerit, & prædeſtinata, ut eſſet Dei mater, & tam excellenti puritate niteret, quantâ nulla ante ipſam creatura nituiſſet, aliiſque innumeris dotibus ornaretur, quæ variis vaticiniis, in veteri lege ſunt præmonſtratæ, ut intelligeremus eam ſuper omnes alios ſanctos colendam, & ad eam in omnibus neceſſitati-

tatibus corporalibus & spiritualibus re-fugiendum. 2. Considera; si hæc ab æterno de ea facta & dicta sunt, eò quod in utero filium Dei esset deportatura, quantâ puritate, quibus virtutum dotibus & nos ornati esse debeamus, qui eundem Dei filium in sanctissimo Sacramento toties realiter in ore & utero recepimus, imo quotidie, si Sacerdotes simus, manibus tractamus.

2. Considera, cur parentes Beatæ Virginis Joachim & Annam, licet justos, tamen permiserit esse pauperes & steriles, ac ideo coram mundo contemptos. Nempe, quia conveniebat nihil cum mundo commercii habere eos, ex quibus nasci debebat ea Virgo, cujus fructus futurus esset ipse magister & Doctor paupertatis, humilitatis, & contemptus sui. Sic enim radix germini & fructus arbori respondit. 2. Considera, quanto gaudio hac conceptione affecti sint Angeli in cœlo, Patres sancti in lymbo, parentes Beatæ Virginis Joachim & Anna; intellexerunt enim hoc ipso spem injectam brevi restituendas Angelorum

in

in cœlesti Hierusalem ruinas, & totius humani generis liberationem à tyranni dæmonis, & peccati servitute secuturam.

3. Considera, conceptionem fuisse singularem, & numquam à condito mundo auditam, nempe omnis peccati etiam originalis expertem. Si enim B. Virgo concepta fuisset in peccato, aliquando serva fuisset diaboli, & rea æternæ damnationis: Quis autem credat filium Dei purissimum, in cujus potestate erat eligere & condere matrem, qualem vellet voluisset concipi à matre, quæ aliquando dæmoni infestissimo suo hosti fuisset subjecta?

2. Considera, ideo ab Ecclesia sancta hanc conceptionem B. Virg. solemniter celebrari: atque ut pluris meritum passionis Christi faciamus. Meruit enim Christus, ut mater sua contra cursum ordinarium humanarum generationum, sine peccato conciperetur, ac ut nos indies majori puritati operam daremus, & per crebras cõfessiones aliaque præsidia quadantenus ejus puritatem imitaremur.

IN

IN FESTO S. THOMÆ Apostoli.

Vide Meditationem in Octava Paschæ.

De conversione ejus ab incredulitate. Joann. 20.

1. THomas unus ex duodecim, *non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo alii Discipuli ei: Vidimus Dominum*, Considera, Thomam non potuisse videre Christum post mortem redivivum, quia aberat à domo in qua congregati erant Apostoli, ut intelligas multis consolationibus donisque spiritualibus destitui eos, qui à bonorum societate se temere segregant. 2. Considera Thomam, licet ad Apostolos tandem rediisset, ne quidem ipsis affirmantibus, se vidisse Dominum voluisse credere, ut discas quantum damnum spiritualis profectus homo faciat, si vel ad breve tempus in mundo vel socie-

tate

tate carnalium hominum versetur, nempe ut plane impudens & arrogans reddatur, & judicia aliorum fide dignorum contemnat, ac tandem fide excidat.

2. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & digitum mittam in eam, non credam.* Considera, Thomæ similes in hac parte esse, tum sæculares, tum religiosos, illos quidem, quando in pietate constantes manent, donec prospere eis omnia cedunt, cùm vero perperam, à pia vita descifcunt. Hos vero quando in officio manent, quamdiu consolationes spiritales affluunt, iis autem sublatis tepescunt, sicut accidit huic Apostolo Thomæ. Nam ante passionem cum cæteri Apostoli dissuaderent Christo ne in Bethaniam iret, ob periculum lapidationis, Thomas spiritu ardens, dixit: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Et tamen cum aliis capto Christo aufugit, & forte longius quam alii, quia tardius comparuit. 3. Considera ex commemorato jam dicto apparere, quanto amore erga Christum flagrarit,

co-

eoque exemplo nos doceri oblatâ occasione libenter pro Christo, ejusque fide & Evangelio mori, sicut & ipse tandem mortuus est, idque in locis totius orbis remotissimis, ut in Indiâ Orientali extrémâ, quod forte factum fuit, tum ut majorem charitatem erga Deum demonstraret, tum ut lapsum suum hoc labore accuratius deleret. 2. Considera, cùm Christus post ultimam cœnam dixisset: *Vado parare vobis locum*, & addidisset: *Quo vado scitis, & viam scitis*. Thomam respondisse: *Domine nescimus quo vadis*. Unde intelligis eum tam humilem fuisse, ut non erubuerit palam ignorantiam suam fateri, deinde exemplum dedisse, ut non oscitanter, sed diligenter sensum verborum Christi scrutemur, & è peritioribus percontemur.

(*,*)

IN FESTO S. STEPHANI Protomartyris.

Christus prædicit occidendos Prophetas. Matthæi 25.

I. D*Ixit Iesus turbis & principibus Sacerdotum. Ecce mitto ad vos Prophetas, sapientes & scribas, & ex illis occidetis.* Considera ineffabilem Dei bonitatem erga suos, quod cum sciret se, Stephanum, Apostolos paulo post talia passuros, (non enim prædixisset, nisi scivisset) tamen & ipse prædicare perrexerit & Apostolos miserit, ut discamus dum docemus, concionamur, vel aliud bonum opus aliis præstamus, non statim despondere animum, vel provinciam docendi relinquere, si fructus non respondeat. 2. Considera ejusdem sapientiam, cur sciens prudens tanta mala permiserit, ut videlicet Judæi, suum Messiam, imo ipsum creatorem suum, (quo nullum atrocius malum excogitari potest) in crucem agerent, Stephanum lapi-

lapidarent, Jacobum Apostolum gladio trucidarent, Apostolos flagellarent; permisit autem, quia maxima bona inde elicere norat. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. Ex Christi enim morte secuta est salus mundi, ex morte reliquorum conversio multorum: magnum meritum ipsorum, ædificatio posterorum, & multitudo miraculorum & nominatim ex oratione S. Stephani pro lapidantibus facta, teste S. August. conversio B. Pauli.

2. *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Considera incredibilem charitatem Christi erga Hierosolymitanos, quod eos, tum cum omni amore essent indignissimi, imo capitales sui inimici, vocet filios; quod se non patrem vel dominum eorum, sed matrem vocet, & talem quidem matrem, quæ perinde eos amet, ac gallina pullos, (nihil enim intensius & tenerius amare solemus, quam fœtus parvulorum hominum & bestiarum.) Ut inde discant omnes supe-

riores quanto amore subditos interius & exterius prosequi debeant, licet malos & immorigeros, ut eos juvent. 2. Considera, gallinam in eo maxime amorem erga pullos ostendere, quod clamore, & rostro eos defendat cum periculo vitæ suæ contra rapaces milvos, deinde quod ut illos alat, se fame conficiat, & macie consumatur, demum & alis contra æstum, frigus, aliaque incommoda contegat, ut discant, qui alios regendos & erudiendos habent, sæpe monere; ut caveant à laqueis dæmonis, labori non parcere, ut illi proficiant in litteris & virtute, duabusque alis veritatis & disciplinæ eos in officio continere.

3. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Considera, quam gravi pœnâ tandem mulctentur à Deo, qui postquam multis beneficiis affecti sunt, tamen iis contemptis in sua improbitate obstinate persistunt, ut scilicet non solum deserantur ipsi, sed etiam posteri eorum, & è medio tollatur domus orationis, nempe templum, hoc est,

omnis

omnis cultus divinus tollatur, ac proinde & omnia ſpiritualia ſubſidia. Cogita, ſi magnis multiſque beneficiis à Deo hactenus affectus ſis, & maxime ſi ad Eccleſiaſticum, vel etiam religioſum ſtatum te vocarit, quo majus beneficium nulli contingere poteſt, an vocationi tuæ ſatisfacias, ſi enim ſecus fiat, verendum erit, ne & domus tua, id eſt anima, quæ eſt templum Spiritus ſancti omnibus ſpiritualibus præſidiis, propter ingratitudinem deſtituatur.

IN FESTO S. JOANNIS APOſtoli & Evangeliſtæ.

Chriſtus Petrum vult ſe ſequi, & Ioannem manere. Joan. 21.

1. D*Ixit Ieſus Petro, ſequere me. Petrus autem ſecutus eſt & diſcipulus, quem diligebat Ieſus, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus.* ConſideraChriſtum ſimul atque Petrum ſummum ſuæ Eccleſiæ Paſtorem præfeciſſet, ab eo exi-

gere, ut etiã in anima pro ovibus ponenda se sequatur, qui & paratum se ostendit, mox Christum discedentem è loco secutus, ut discant, qui ad prælaturas & regimen aliorum vocantur non ad quietem & honores, sed ad labores & passionem se vocari. 2. Considera Joannem si non re ipsa quoad mortem saltem voluntate & opere citra mortem secutum Petrum & Christum, nam in actis Apostolorum incarceratus & flagellatus est Romæ, etiam à Domitiano in ferventis olei dolium injectus, calicem veneno infectum ebibit, in Pathmos exulavit, cum Matre Dei metu mortis posito, sub cruce Christi stetit, Christus matrem ei sub cruce commendavit. Denique charissimus Christo fuit ob castitatem & charitatem, quam unam omnibus usque ad mortem commendavit, dicens: *Filioli, diligite invicem, & sufficit.*

2. *Cum vidisset Petrus Ioannem sequentem, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Et respondit: Sic eum volo manere, donec veniam quid ad te? tu me sequere.* Considera, hic Christum curiositatis

vitium

vitium, ut aliàs in Martha, Joanne, & Jacobo, reprehendere in sancto Petro, quod plus æquo solicitus sit de obitu Sancti Joannis; id enim pendebat ex judicio solo divino, nempe in hanc linguæ intemperantiam lapsus, quod plus æquo amaret sanctum Joannem, optaretque eum suæ passionis socium. Unde disce, si curiositatis vitio deliquerit in hoc genere is, qui jam erat summus Pontifex constitutus, & in ipso, curam susceperat sancti Joannis velut ovis, quantum delinquant illi, qui aliorum curam non gerunt. 2. Considera modestiam sancti Joannis, nihil de suæ vitæ exitu soliciti, nihil ex Domino percuntantis, quia in sola Christi providentia & voluntate acquiescebat, ac cum Davide dicebat. *In manibus tuis sortes meæ, ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Ut discas neglectis hominum persuasionibus animum servare liberum & æquabilem, & libenter illud amplectare quod Domino visum fuerit, dicendo: *Fiat voluntas tua.*

3. *Exiit sermo, discipulum illum non*

moriturum , & tamen non dixit Iesus, non morietur , sed sic volo eum manere. Considera, humilitatem sancti Joannis, qui cum ex responsione Christi natam illam opinionem adverteret se non moriturum, non dubitavit illam confutare in ipso Evangelio à se scripto, dum quasi negat illam sententiam, verbis Christi subjectam, ne vana gloria efferretur: cogitans se non meliore conditione fore quam Christum, & Beatam Virginem, qui mortui fuissent. 2. Considera, quare Christus ambigue locutus fuerit, ut certa de exitu sancti Joannis non potuerit ex verbis elici sententia, nempe, ut doceret nostrum non esse curiose scrutari, & scire futura. 2. ut superbiam humani ingenii supprimeret , & scirent homines sine singulari auxilio Spiritus sancti non posse intelligere sacrarum Scripturarum mysteria.

IN

IN FESTO SS. INNOcentum.

De fuga in Ægyptum. Matth. 2.

1. *Ngelus in somnis dixit Ioseph: Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Considera, Christum à primo ortu suo cœpisse pati ærumnas & persecutiones, ut discas, si discipulus Christi esse velis, paratus esse ad tentationem, & cùm actu pateris, tunc verè discipulum esse, ut loquebatur sanctus Ignatius. *Omnes*, inquit Apostolus, *qui in Christo pie vivere volunt, persecutionem patientur.*

2. *Qui consurgens, accepit puerum & matrem ejus nocte & secessit in Ægyptum.* Considera, promptissimam obedientiam Joseph, mox licet nox esset, surgentis & totam rem Beatæ Virginis indicantis: cogita, ut cōmota primo sint tenellæ Virginis viscera, ut se illico collegerit, & ad iter, ut erat obedientissima, pararet, quomodo puerulum excitarett

taret, & ploranti compassa sit, cogitans has dolorum esse primitias, quas Sanctus Simeon prædixerat. 2. Considera quam magna in Dominum fiducia, cujus se voluntati devoverant, exilium hoc susceperint, & pauculis panibus & pannis in asinum conjectis, (in paupertate enim tanta facile erat se parare) in viam alacriter se dederint. Quæ enim causa timendi erat de infelici successu, si Deus iter illud mandabat, si Deum brachiis suis portabant? 3. Considera ante quoque adjungere velis in viam, & rogare Beatam Virginem, ut oneris sui in deportando filio velit participem facere. Et si illa assenserit, cogita tu ipse qui soles fugere labores, & amare quietem, quanto corporis sudore tam longam peregrinationem thesaurum pretiosum deportando confecerit.

3. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut impleretur prophetia: Ex Ægypto vocavi filium meum.* Considera Beatam Virginem ubi in Ægyptum pervenit, non ibi invenisse, aut regium palatium tanto filio dignum, aut commoda

moda ad fessos artus refocillandos necessaria. Si enim inter cives suos in Bethlehem obtinuit aliud nihil quam stabulum & præsepe, in quo illum collocaret, quid melius obtinuerit apud barbaros & infideles? Ut ergo paupercula erat & peregrina, ita & in vilem se domunculam vel tugurium receperit, & labore manuum suarum, una cum Josepho, quotidianum victum comparaverit. 2. Considera, quanta cura toto hoc exilii septennio, dilectum filium suum educarit, quâque cautione & reverentia contrectarit, quem sciebat suum esse Dominum & Deum; quanta religione flexis genibus eum è cunis sublevarit, & in easdem reposuerit? quanto gaudio affecti sunt ambo parentes, quando eum jam ætate crescentem, per domum ambulantem, de divinis rebus loquentem, & orationi vacantem, viderunt & audierunt.

II. PARS

II. PARS.

De nece innocentum, & reditu ex Ægypto pueri.

1. HErodes videns, ſe illuſum à Magis iratus occidit omnes pueros in Bethlehem à bimatu & infra. Conſidera, quid non auſus fuerit ſceleſtus ille Rex, ut regiam dignitatem quam habebat, non amitteret. Quæ enim tyrannis immanior eſſe potuit, quam copioſum fundere ſanguinem, tot infantes innoxios jugulare, tot matres reſiſtentes & abſcondentes filios confodere? tot patres orbare filiis hæredibus? *O cæca*, ait B. Leo, *ſtultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas divinum tuo furore conſilium! Dominus mundi non temporale quærit regnum, qui præſtat æternum.* Hinc diſce, quouſque amor inordinatus progrediatur, & certo tibi perſuade, te quoque in eumdem impacturum ſcopulum, niſi mortificationi tuarum paſſionum operam dederis.

2. Con-

2. Considera quanta Dei bonitas reluceat in istorum infantium gloria : ut quod Deus eorum mortem non solum pro sacrificio, sed etiam pro martyrio acceptarit ; ubi non fuit votum occisi, sed necessitas ; non desiderium morientis, sed crudelitas occidentis; non meritum, sed infortunium. Omnia enim supplevit divina gratia, mutans miseriam in coronam, & casum in meritum, ut discas in imperfectionibus tuis, si pusillanimis sis, non desperare : Deus enim paratus est, modo bona in nobis voluntas sit, imperfectum nostrum supplere.

1. *Defuncto Herode Ioseph ab Angelo jussus rediit in terram Israel, & audiens Archelaum regnare abiit in Galilaam & habitavit in Nazareth.* Considera Dei providentiam erga suos in mundo persecutionum eorum recordantis & suo tempore juvantis. Cogita quantum hoc nuntio sancti illi recreati sint: quâ alacritate iter ingressi, lacrymantibus Ægyptiis, qui eorum sanctitatem cognorant. Vide puerum Jesum jam gran-

diusculum propriis pedibus cum baculo in manibus non sine fatigatione ambulantem. Vide eos in summo æstu sæpe humi sine umbraculo in locis desertis sedentes, destitutos necessario cibo potuque, noctu vero spelunca aliqua, & in nuda terra recubantes. 2 Considera Josephum reversum in terram Israel, licet sciret Deum esse protectorem suum, tamen noluisse redire in Judæam, ut discas homines justos, licet de sua salute securos, non debere se objicere periculis, & Deum tentare, sed ex parte sua, quando possunt declinare; sicut & ideo fugit in Ægyptum.

IN DEDICATIONE Ecclesiæ.

De Zachæo. Luc. 19.

1. *JEsu perambulante Ierīcho, Zachæus publicanorum Princeps, quærens videre Iesum, ascendit arborem, quia staturâ pusillus erat, & præ turba non poterat videre.* Considera quam bonus & sua-

ſuavis ſit Deus, quam promptus ad præbendam homini occaſionem, ut peccare deſiſtat. Numquam Zachæus quæſiſſet Chriſtum, niſi ipſe prius dignatus fuiſſet ambulare per Jerico, ſed ex parte noſtra cum Zachæo facienda ſunt tria, cùm Deus nobis gratiam offert. Primo enim debemus negotia & lucra temporalia relinquere. 2. duo impedimenta removere, nempe, ne timeamus turbam, id eſt, ludibria hominum, nec ſimus nimium in perferendo labore converſionis animo puſilli, ſed alacriter aſcendamus arborem crucis. *Qui enim vult venire poſt me*, ait Chriſtus, *tollat crucem ſuam*. Sycomorus ſignificat ficum fatuã, & recte: quia crux Judæis fuit ſcandalum & gentibus ſtultitia.

2. *Ieſus eo viſo dixit: Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere: & feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.* Conſidera, quia Zachæus magno deſiderio & devotione dulci Chriſti aſpectu perfrui cupiebat, ideo Chriſtum neglectâ turbâ, quâ ſtipabatur, in eum ſolum intendiſſe

oculos. *Ad quem enim respiciam*, ait apud Isaiam sexagesimo sexto, *nisi ad pauperculum & contritum spiritu?* Deus enim, quoties vel initia bonæ voluntatis in aliquo deprehendit, mox illi obviam procedit, imo prævenit, & benignam manum porrigit ad extrahendum à peccato, non secus quam filio prodigo pœnitenti sponte occurrit pater. 2. Considera, liberalitatem Christi, qui longe plus tribuit Zachæo, quam ille unquam expectarit, non enim solum se videndum illi præbuit, sed etiam diversari voluit in ejus domo, ut & ipsi, & toti familiæ ejus gratiæ suæ thesauros impertiret. 3. Considera Zachæum cucurrisse, & cum festinatione ex arbore descendisse, ut discamus non esse segnes in admittendis divinis inspirationibus, & exequendis. Deinde cum gaudio illum excepisse, ut & nos in animæ domum sæpius eum sacramentaliter, ac cum gaudio spirituali recipiamus.

Cum Zachæus stans, dixisset se dimidium bonorum dare pauperibus, &c. ai

it Iesus: Hodie salus domui huic facta est. Considera, ut salutem à Deo consequamur opus esse, ut primo per opera pœnitentiæ satisfaciamus Deo, deinde proximis, si quid illis debeamus, vel restituendo aliena, vel injurias condonando, deinde etiam pauperibus aliquid dispensemus; multum, si multum habemus, si parum, parum; si nihil, saltem cōdoleamus, & bonis verbis solemur. 2. Cōsidera, Christum ubicumq; receptus est, magnum aliquod donum contulisse, ut in domo Zachariæ, Archisynagogi, Pharisæi, Simonis, & nunc Zachæi. Recipe ergo & tu, si ditari velis, eum crebrius in domum animæ tuæ, cùm occasio est communicandi.

MEDITATIO II.

De dedicatione templi spiritualis.

NOta tam magnifice ubique celebrari dedicationem templorum materialium, ut nos quoque magni faciamus dedicationem tēpli spiritualis animæ nostræ,

quæ est templum Spiritus sancti, quod Deus potius sibi dedicare cupit quam ligna & lapides.

1. CONsidera, dedicationẽ templi materialis exterius bifariam cognosci Primo ex vexillis binis è turri expositis. Turris animæ nostræ est intellectus, quia ut ex turris formâ templum, sic ex intellectu anima rationalis cognoscitur. Tum autem anima est dicata Deo, quando in ejus turri sunt duo vexilla, cognitio Dei & cognitio sui. Noverim me, ait August. noverim te. Notitia enim beneficiorum Dei, & propriorum defectuum, teste S. Thoma aptissimum est instrumentum, ut quis sit devotus & consecratus Deo.

2. Cognoscitur ex panibus dulciariis ante fores templi vendi solitis, tum ut his crepundiis paulatim allicerentur fideles ad frequentanda templa; & dedicationem spiritualem faciendam Deo per preces, tum ut significaretur adultos, qui crepundia illa non curant, eo die pascendos cœlesti pane corporis Christi omni sacaro dulciore, & animas suas debere templum facere Christi

& Spi-

& Spiritus sancti. Si ergo sæpius Deum in animam receperis per Eucharistiam; vere & illam Deo dedicaveris.

2. Considera, dedicationem templi materialis cognosci interius exornatu altarium, & parietum, ut cum altare maxime summum refulget auro & argento: parietes vero imaginibus. Altare spirituale animæ est bona voluntas, quâ omnes debemus nos Deo totos in holocaustum offerre. Hæc auro, argentoque fulget, cùm charitate in Deum & proximum ardet. *In his enim duobus tota lex pendet & prophetæ.* Aurum hoc purius est, quo igni excoquitur sæpius: sic voluntas melior est, Deoque gratior, quo crebrius excoquitur igni contritionis & confessionis. *Parietes*, sunt opera bona, qui debent esse ornati imaginibus, id est, fieri ad imitationem Christi & Sanctorum. Christus enim dicit: *Exemplum dedi vobis* (agens de humilitate) *ut quemadmodum ego feci & vos faciatis.* Et Paulus: *Estote imitatores mei, sicut & ego Christi.* Idcirco Festa Sanctorum celebrantur, Martyrologium

gium quotidie legitur. Quoquo menſe ſancti eliguntur.

3. Conſidera eandem dedicationem exterius cognoſci ex pavimento templi quando floribus & graminibus tegitur. Pavimentum noſtri templi ſpiritualis eſt corpus noſtrum terrenum. Pavimentum facile ſordidatur, quia hominum pedibus calcatur, & ideo ſæpe verritur. Corpus quoque noſtrum ſordidum eſt & radix omnium peccatorum. *Scio*, inquit Apoſtolus, *quod non ſit in carne mea bonũ: non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, ago* Sed, ut illud quoque dicetur Deo, verrendum eſt ſæpe ſcopis confeſſionis, pœnitentiarum, & mortificationis, ornandum quoque flore caſtitatis, & virtutum graminibus, virtutes enim à viriditate nomen habent.

FINIS.

Meditationum de Feſtis.

MEDI-

MEDITATIONES DE PASSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

ADMONITIO.

Quid in singulis Meditationibus de Passione considerandum.

1. *Quis patitur?* Christus, Verbum, Sapientia Patris.
2. *Quid patitur?* spinas, verbera, sputa, crucem.
3. *Pro quibus hæc patitur?* pro nostra hominumque salute.
4. *Cur patitur?* semper ne patiatur homo.
5. *A quibus hæc patitur?* ab amica stirpe suorum.

6. Sed

6. *Sed quando patitur?* quando fuit juvenis.

7. *Hæc ubinam patitur?* medio telluris in orbe.

8. *Quomodo tanta tulit?* proferat ipse modum.

MEDI-

MEDITATIONES DE PASSIONE CHRISTI.

MEDITATIO I.

De lotione pedum. Joan.13.

1. CHRISTUS *ante institutionem Sacramenti cœnâ factâ sciens, quia à Deo exivit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, ponit vestes, linteo se præcingit, mittit aquam in pelvim ad lavandos discipulorum pedes.* Considera, primo quis sit, qui servile, omniumq; vilissimum ministerium hoc eluendi sordidos pedes suscipiat, nempe Christus, qui à Deo exivit, qui est Filius Dei, Deus de Deo, creator mundi. 2. quãtâ sedulitate solus, nullo juvante, ut abjectissimus servus id suscipiat, surgit à cœna, licet rusticum videatur tempore mensæ iisdem manibus tan-

gere cibos & pedes ſordibus : abjicit ſummam veſtem ut expeditior ſit, præcingit ſe , petit pelvem ab hoſpite, aquam quærit , fundit in pelvim , ipſe aquam apportat , ut omnes partes officii ſervilis expleret,ut diſcas viliſſima officia etiam perfecte ex humilitate cōplere.

2. *Venit ergo ad Simonem Petrum, qui dixit , Domine , tu mihi lavas pedes ? non lavabis in æternum. Tum Ieſus : Si non lavero , non habebis partem mecum. Et Petrus : Domine , non tantum pedes , ſed & manus & caput.* Conſidera,quam attoniti fuerint ſimplices diſcipuli , cum viderent Dominum ſuum & Deum , in cujus nomine omne genu flectitur, procidentem ad ſuos pedes , cum viderent nunc ad hujus, nunc ad illius pedes prorepere , ſordes abluere,linteo extergere , & magno affectu oſculari;non dubium quin præ ſtupore conticuerint,& uberrime lacrymarint. 2. Conſidera eum lotionem cœpiſſe à Juda,ut hoc exemplo eum ad pœnitentiam commoveret, & nos doceret

quo-

quomodo cum inimicis agendum sit: imitatum exemplum medicorum, qui, dum plures ægros habent, incipiunt à maxime ægro. O rem stupendam videre Deum majestatis abjectum ad pedes sui capitalis inimici, tam duri & obstinati, ut nullam emiserit lacrimulam. 3. Considera Petrum qui ultimo loco sedit, ut erat humillimus, & ardentissimus, non potuisse se continere, & non ex alienatione, sed ex mera reverentia surrexisse, & clamasse: Tu Domine, conditor cœli & terræ, quem alias confessus sum filium Dei vivi, mihi piscatori, conditione abjectissimo, mihi misero peccatori, & servo indignissimo lavabis pedes? Quod enim ex reverentia ita sit locutus, inde liquet, quod statim se totum lavandum obtulerit, dum advertit, ni pareat, se Deum offensurum.

3. *Lotis pedibus Iesus dixit: Si ego Dominus & magister lavi pedes vestros, & vos debetis mutuo vobis lavare. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Considera, cur Christus laverit pedes, non ut sordes pedum ab-

ablueret, sordes enim pedum manuumve non coinquinant animam, sed ut doceret primo, quomodo quis præparare se debeat ad Sanctam Eucharistiam, nempe aquis lachrymarum & pœnitentiæ, ut exponit Cyprianus, & sedulo totius conscientiæ examine, hoc est, à capite usque ad pedes. 2. ut exemplum humilitatis daret, in officio servorum vel ancillarum abjectissimo, nec nos puderet sive majoribus, sive minoribus aliquando servire. 3. Ut mutuas offensiunculas, quæ aliquando etiam inter pios & religiosos homines incidunt, libenter condonemus.

MEDITATIO II.

De institutione Sancti Sacramenti Eucharistiæ.

Matth.26.Marc.14.Luc.22.

1. *ACcepit Deus panem, & gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis, dicens: Accipite & comedite. Hoc est*

ſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Conſidera ſtupendum Dei erga nos amorem: Dum enim Judas molitur proditionem; principes ſacerdotum crucẽ & mortem parant, Chriſtus ſolicitus eſt, ut teſtamenti loco nobis relinquat pretioſiſſimam hæreditatem, non regnum, non opes, non honores, non ſcientiam, non aquam de petra, non manna de cœlo, non Angelum, vel Archangelum, ſed ſeipſum Deum & hominem, quo nihil præſtantius eſſe vel excogitari poteſt. Et ſeipſum non ut regem tantum & Dominum, patrem, fratrem, ſponſum, advocatum, ſodalem, magiſtrum: ſed in cibum & potum, ut quam arctiſſime illi conjungeremur, & ſicut cibus in ſubſtantiam corporis noſtri, ſic nos corpore & anima transformaremur in ipſum, quo divinæ conſortes naturæ & filii Dei efficeremur. 2. Conſidera Chriſtum accepto pane gratias agere Deo, ut ſcias, quando ſanctum hoc ſacramentum ſumis, prius tibi agendas gratias pro tanto beneficio, & per preces animum ad Deum elevandum.

3 Dica-

3. *Deinde accepto calice gratias egit dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus novi testamenti , qui pro vobis , & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Considera, Christum hoc mysterium instituisse, ut esset memoriale, & quasi compendium omnium mirabilium operum suorum. Nam in aliis rebus unam aliquam proprietatem divinam , in hac autem ostendit multas , ut potentiam infinitam, mirabilem sapientiam , & ineffabilem bonitatem. Potentiam quod sub specie panis & vini totus cum corpore , sanguine , anima & Deitate contineatur. Sapientiam , quod tam suavem & commodam rationem excogitarit se nobis uniendi , nempe per cibum & potum, quo nihil libentius sumimus, frequentius , avidius , ut scilicet libenter, sæpe , & avide ad Eucharistiam accederemus. Bonitatem denique , quod secum omnia bona spiritualia & vitam æternam donavit. *Qui manducat enim hunc panem* , ait ipse , *vivet in æternum.* Considera secundo sub specie vi-

ni

ni dari nobis totum Christum, uti sub specie panis, ut recordaremur semper passionis, vel effusionis sanguinis Christi in cruce, per vinum significatæ & calicem, dignissime enim communicat, qui cum desiderio perfecte imitandi Christum, etiam in passione communicat.

3. *Dico vobis, quia non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illam, cum bibam novum in regno Patris mei.* Considera id dictum à Christo, ut nos doceret convivium Eucharisticum in hac terra, esse pignus & arrhabonem convivii cœlestis alterius vitæ, in quo apponetur vinum præstantissimum & novum, mittendum in utres novos corporum immortalium & gloriosorum, quo omnes beati ab ubertate domus Domini inebriabuntur, hoc est, summo gaudio in æternum fruentur, & omnium præteritarum ærumnarum & vanitatum hujus mundi oblivifcentur.

ME-

MEDITATIO III.

Christus proditorem inter cœnam indicat Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Joannis 13.

1. *JEsus turbatus est spiritu, & dixit: Vnus ex vobis me tradet, qui mãducat mecum, & intingit manum in catino, & contristati discipuli singuli dicunt: Numquid ego sum Domine?* Considera miram Christi mansuetudinem permittentis manũ proditoris in eadem secum patina, & ne pudore eũ afficeret generatim admonentis. Turbari autem ex mera compassione, quod vel unus suorum periret. Tam enim angitur unius interitu ovis, quam omnium, ut discas non prodere peccata aliena, quando occulta sunt, vel minus nota: deinde si superior sis laborare, ne vel unus pereat. Considera, quid egerit Christus, ut Judam à scelere revocaret, mensæ adhibuit, pedes lavit, allocutus est, clare satis dixit se prodendum ab uno, qui manum

manum secum ponat in catino, minatus est damnationem æternam. *Væ illi, per quem filius hominis tradetur.* Sed nihil juvit, quia cor ejus obduruerat.

2. *Simō innuit Ioanni ut exploraret quis esset proditor: & Iesus ei recumbenti in pectus suum, aperuit, fore illum cui panem intinctum porrigeret. Quo porrecto intravit in Iudam Satanas: & continuò exivit. Erat autem nox.* Considera Judæ injectam prius cogitationem de proditione, tum Satanam ipsum ingressum, ut discas primis dæmonis suggestionibus resistere, ne per consensum ingressus cor omni illud gratia spoliet. 2. ne nocte & in abdito quidquam faciamus, quod non audeamus facere coram omnibus, aut certè, si religiosi simus, nullum etiam pium opus faciamus, quod non patefactum velimus superioribus vel patribus spiritualibus; nam sæpè Satan transfigurat se in Angelum lucis. Considera solum Joannem quem diligebat Jesus ob singularem castimoniā, in pectore Christi recubuisse, ut discas tum te multorum donorum cælestium

capa-

capacem futurum, cum purus mente & corpore fueris, ac sæpius non in sinu Christi recubueris, sed Christum ipsum ore & corde in Eucharistia sacra susceperis.

3. *Cùm exisset Iudas, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, & continuò clarificabit eum.* Considera, quàm dissimilia sint Dei & hominum judicia. Homines enim claritatem in hominibus, opibus, & rebus secundis hujus vitæ collocant. Deus autem in ludibriis, opprobriis, paupertate, afflictione, & crucifixione contumeliosissima. Unde & Apostolus ait: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* 2. Considera clarificatum Christum, quòd morte & passione sua victoriam obtinuerit contra dæmonem, peccatum, mortem & infernum; ut discas verè te gloriosum futurum, si humilitate, patientia, pœnitentiæ operibus omnes tentationes dæmonis viceris, à consuetudine peccandi discesseris, ac tuas pravas cupiditates expugnaris. *Qui enim dominatur animo*

suo,

suo ait Sapiens, *est melior expugnatore urbium.*

MEDITATIO IV.

De itinere in hortum Gethsemani. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.

I. E*Gressus Iesus cum discipulis trans torrentem Cedron, venit in hortum Gethsemani, & ait: Sedete hic donec vadam illuc, & orem.* Considera quanto cum desiderio, & promptitudine iverit ad hortum, ut tandem opus redemptionis, ad quod tota vita tantopere anhelarat, inchoaret. Nam apud B. Lucam dixerat: *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.* Anhelat nimirum primò voluntate sua. *Oblatus est enim quia voluit.* Volenti autem vel amanti nihil difficile: deinde duplici igne amoris, uno in Patrem, qui illi mandarat, ut pateretur, altero in nos ut pro nostra salute moreretur: *Majorem enim charitatem nemo habet, quàm ut*

ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Quantam ergo habuerit, qui pro inimicis?

2. *Iesus assumpto Petro, Iacobo, & Ioanne, cœpit mœstus esse, pavere & tadere,* & ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Considera, Christum tristari cœpisse non tam de pœnis suis sibi impendentibus, quam de totius orbis peccatis, qui mœror tam vehemens fuit, ut solus ad mortem inferendam suffecerit; ut discas compati proximorum damno, & vicissim inania mundi gaudia pro amore Dei contemnere. 2. Considera, si quando tædium in actionibus pietatis exercendis obrepat, non putemus idcirco suo spirituali fructu destitui, sed post tædium porrò progrediamur cum Christo, & mox solatium etiam angelicum non deerit.

3. *Et ipse avulsus est ab eis, ac progressus pusillum, quantum jactus est lapidis, positis genibus procidit in faciem suam super terram.* Considera quàm invitus relinquat suos: avulsio enim violentam abstractionem significat. 2. nota orandi ritum:

tum: figit humi genua quasi reus capitis ob scelera nostra, projicit se in terram velut immolandum pro nostra salute, & velut omnium mortalium indignissimum, ac verò dignissimum, qui omnium pedibus proteratur: unde discimus in tribulationibus primùm ad Deum esse, omnibus impedimentis abjectis, recurrendum: Deinde usurpandam sæpè hanc humillimam cæremoniam. 3. Considera, quam gravia fuerint peccata nostra, quæ humeris suis imposita, ita pondere suo illum in terram depressêre, ut non potuerint amplius.

MEDITATIO V.

De oratione Christi, & agonia.
Luc. 22.

1. ORavit IESVS, tertiò & dixit: *Abba Pater, si possibile est, transfer hunc calicem à me: veruntamen, non mea, sed tua fiat voluntas.* Considera, Christum cum multis lachrymis, & clamo-

clamore valido, ut loquitur Apoſtolus, cum geminatione vocis, *Pater, Pater*, eandem orationem iteraſſe; ut diſcas quò major impendet afflictio, eò majori cum affectu, & diutius orandum, idque conditione ſemper adjecta, ſi Deo ita placuerit. 2. Conſidera ſummam Chriſti reſignationem in re graviſſima; nam licet maximè horreret futura tormenta & mortem, tamen in iis ferendis voluit paternam potius ſequi voluntatem quàm ſuam, & ita ſequi voluit, ut etiam optarit ſibi mandari totam paſſionem, quò ex obedientia moreretur, ut diſcas in omnibus te conformare divinæ voluntati, & obedientiam maximi facere.

2. *Et ſurgens ab oratione bis: dum dormirent, dixit Simoni: Sic non potuiſti unâ horâ vigilare mecum? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Conſidera, quantis anguſtiis prematur bonus Jeſus. Orat Patrem, & ſilet, quærit à diſcipulis levamen, & dormiunt, & dormit eorum princeps, qui paulò ante præ aliis gloriatus erat; *Et ſi omnes ſcandaliz-*

zati

zati fuerint,&c. Heu qualis hortus est hic Gethsemani;in hortis aliis sunt delitiæ,in hoc verò mœror &pavor,Oquàm acerba sunt horti hujus poma! 2.Considera Christum abrumpere orationem, ut videret quid agerent discipuli, ut discas si superior sis, vel aliorum curam geras, non ita tuæ saluti intendere ut aliorum negligas: & si officio suo non faciant satis, liberè quidem,sed amanter corripias,simul infirmitatem eorum excusando, ut hîc fecit Christus: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Et factus in agonia, sudore sanguineo decurrente in terram, prolixius orabat. Et apparuit Angelus de cælo confortans eum. Considera causam hujus sudoris, nimirum eousque creverat desiderium patiendi pro nostra salute in Christi pectore,ut pretiosus ejus sanguis, qui ex timore mortis decurrerat ad cor, intus bulliret, & quærens violentum exitum tandem per poros & venas guttatim eruperit primùm in vestes, deinde per illas in terram. 3. tantam vim sanguinis

effusam, ut præ debilitate non potuerit se erigere: ita accurrit Gabriel Archangelus, eumque è terra elevavit. Vide hîc faciem Christi deformatam ex pulvere sanguine mixto, capillos sanguine concretos, Gabrielem sedulò abstergentem omnia, eumq; confortantem, ut in pedibus consistere posset. Hic orandi fervor, Domine, prorsus damnat meum languorem & pigritiam, dum ne unam quidem lachrymulam in oratione mea exprimere valeo.

MEDITATIO VI.

De proditione Iudæ. Matth. 26. Marc. 14.

1. ORatione peractâ Christus discipulis dixit: *Dormite jam & requiescite. Sufficit, Surgite, eamus. Ecce qui me tradet prope est.* Considera, Christum cognitâ voluntate Patris per Angelum illico omnem metum abjecisse, conspectoque hoste non quæsisse latebras, ut

merce-

mercenarium, sed ut Pastorem bonum etiam obviam processisse. 2. adverte, verba Christi ad discipulos. Surgite, satis dormistis, non permittit Judas vos amplius dormire, ruite in ultimos amplexus, quia jam moriendum est. Accede Petre, cui commisi meas claves, accede Joannes, & reliqui, solemini matrem meam mœrore confectam, vide quomodo eos amplexus benedictionem ultimam eis tribuat: nullam amplius daturus, quia manibus ligandus. Cogita quantus omnium stupor, & lachrymarum effusio hîc fuerit.

2. *Judas, antecedens turbam gladiis fustibusque armatam, appropinquavit Iesu, dicens: Ave Rabbi, & osculatus eum. Dixitque Iesus: Amice ad quid venisti: Osculo filium hominis tradis.* Considera, Judam Apostolum Domini, & qui miracula fecerat, hîc factum ducem ministrorum dæmonis; ut discas quam gravis lapsus sit eorum, qui post magna à Deo accepta beneficia, vocationem suam, vel pietatis cursum semel inchoatum turpiter deserunt. 2. Considera qui-

bus modis Christus pro sua immensa benignitate conetur Judæ pectus emollire, primò lenitate, præbens osculum. 2. significatione benevolentiæ, vocans amicum. 3. correctione, quâ facti turpidudinem exponit dicens: *Osculo filium hominis tradis?* ut discas, si tanto amore complexus est inimicum, quanto complexus sit amicos, qui toto corde eum quærunt, eique serviunt? Deinde, ut discas, inimicis nihil unquam precari mali vel asperius loqui, sed quodam amoris affectu iis condolere.

3. *Iesus dixit turbæ: Quem quæritis? Responderunt Iesum Nazarenum. Dixit Iesus: Ego sum. Quo dicto, retrorsum corruerunt in terram. Et cùm secundo idem respondisset, ait: si me quæritis, sinite hos abire.* Considera, quam dissimilis fuit primus Adam ab hoc secundo, idque in horto. Ille enim audita voce divinæ justitiæ, *Adam ubi es?* abscondit se: hic verò audita voce humanæ justitiæ manifestavit se, dicens: Ego sum Jesus: sic enim amat salutem nostram, ut nomen Jesus, id est, Salvatoris, celare non potuerit.

tuerit. 2. Conſidera ſi amabilis vox, *Ego ſum*, tam formidabilis toti Satanico exercitui cum Juda fuerit, ut ſupini in terram ruerint, quid in die judicii futurũ ſit, quando in majeſtate ſua terribilem illam contra inimicos detonabit ſententiam: *Diſcedite maledicti in ignem æternum*. 3. nota mirum amorem Chriſti, quod in tantis periculis, nec ſine ſuo incommodo, ſollicitus eſt de diſcipulis, ut dimittantur.

MEDITATIO VII.

De captivitate Chriſti. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 16.

1. TVnc *acceſſerunt & manus injecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum*. Conſidera, quomodo viles & barbari nebulones in agnum innocentem cum ingenti clamore petulanter irruant: alii in capillos, alii in barbam; alii caput benedictum pugnis, alii fuſtibus cædant, alii brachia craſſis funibus tam arctè ſtringant, ut ſanguis erumpat è venis:

alii catenam ferream in collum injiciant , omnes ut rabidi canes insultent. O miserabile spectaculum ! onustum videre catenis & funibus creatorem cæli & terræ qui solus nos à vinculis liberare potest , videre ligatas manus , tot miraculorum effectrices. Tractari ut latronem ; qui omnium animas à morte æterna liberavit. 2. Cogita Christum ligari , ut te peccatorum vinculis solvat , & ex dæmonis laqueis expediat.

2. *Petrus abscidit auriculam servi summi sacerdotis , quâ curatâ Christus dixit : Mitte gladium tuum in vaginam, Calicem quem dedit mihi pater , non vis, ut bibam illum ? Deinde ad turbam dixit: Tamquam ad latronem existis comprehendendum , sed hæc est potestas tenebrarum.* Considera primò, cur Petrus tam temerarius fuerit , nempè quia in oratione obdormiit. 2. benignitatem Christi bonum pro malo reddentis hosti , dum sanat auriculam Malchi. 3. studium obediendi : quid enim aliud est ; *non vis ut bibam calicem* ? quàm,

vis ut

vis ut Patri non obediam ? maluit enim, inquit Bernardus, perdere vitam, quam obedientiam. 4. obstinationem Malchi, & turbæ duplici miraculo nihil motæ. 5. Considera rem indignam, nempe Christum seu latronem tradi, non solum in manus Judæorum, sed etiam principis tenebrarum. Job quidem diabolo vexandus datus est, sed, ne vitam tolleret: at Jesus sine exceptione tartareæ potestati traditur, ut in vitam & famam ejus rabiem exerceant.

3. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Considera his discipulis similes esse, qui tantisper serviunt Christo & pietati, dum res bene fluunt ? ubi vero tentatio oritur & afflictio, ab instituto pietatis studio recedunt. 2. Considera, eos in hanc tentationem incidisse, ut fugerent, quia consilio Christi non paruerunt, cum præmonuerit: *Orate, ne intretis in tentationem.* Imo prædixerit eos fugitivos: *Omnes scandalum,* inquiens, *patiemini in me ista nocte.* Unde discimus in magnis afflictionibus supe-

randis non esse fidendum nostris viribus, sed ardenti orationi instandum. Nec enim pro se opus habuit oratione Christus, ne fugeret, sed ut nobis exemplum daret, doceretque quanti sit facienda oratio,

MEDITATIO VIII.

De ductione Christi ad Annam.
Joann. 18.

1. *ET adducunt Iesum ad Annam primum, qui interrogavit Iesum de doctrina & discipulis. Et respondit: interroga eos qui audierunt, palam locutus sum in templo, & Synagoga omnia.* Considera, quomodo rabidi illi ministri in tenebris per vias invias, per spinas & sordes indigne raptent (uti ad domum Annæ pertrahant) innocentem hunc agnum, quot injuriis & verberibus afficiant, ac subinde præ debilitate, in terram relapsum pugnis & calcibus exagitent, ut surgat. 2. Considera quomodo coram truci & fastuoso

so Pontifice manibus in terga revinctis oculisque humi dejectis astat is, cui omnis potestas data erat in cœlo & terra; quamque modeste Annæ per calumniam doctrinam ejus examinanti respondeat; ut discas non tristari, si aliquando alii perverse de te loquantur & sentiant, modo tu nullius erroris conscius sis, deinde ut alieno potius testimonio, quam proprio doctrinæ vel vitæ integritatem defendas.

2. *His à Christo dictis unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* Considera indignum facinus, quod cœlum horruit & terra obstupuit, percutitur Dominus à servo, creator à creatura, Dominus universi à verme & luto, coram quo tremunt cœli, & inferorum potestates. O Angeli cœlestes, cur tantam in Dominum vestrum injuriam non vindicatis? 2. Considera hanc alapam armatâ militis manu impactam Christo, tantâ vi ut vestigia in vultu relinqueret, miraculumque sit Christum uti corpore tenerrimum, & jam sudore sangui-

guineo, & impotenti tractatione fractum, non illico concidisse mortuum. Et interim Christus non aliud respondet quam

3. *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: sin autem bene, quid me cadis?* Considera è contrario nos tali injuriâ affectos continuo de vindictâ cogitare, cum tamen minime tam innoxii esse possimus, quam Jesus. 2. Considera, Dominum ideo respondisse huic vili nebuloni, quia fuit una ex gravissimis injuriis quas passus est, nam postea graviter sæpe cæsus, imo crucifixus, nihil questus est, imo pro crucifixoribus suis oravit. 3. Considera, hunc sensum responsi esse: Si male locutus sum, ecce aliam maxillam, percute illam. Nam Jeremias ait: *Dabo percutienti se maxillam:* nec enim sibi satisfactionem fieri honoremq; restitui petivit; sed ut temerarium illum converteret, ad majora paratum se demonstravit.

MEDITATIO IX.

Mittitur Christus ab Anna ad Caipham.
Matth.26. Marc.14.

1. *TVnc duxerunt eum ad Caypham Principem Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores & Pharisæi convenerant, ubi Christo tacente ad falsa testimonia, ait Cayphas, adjuro te, ut dicas, si sis filius Dei. Et respondit: Ego sum.* Cõsidera, cur taceat Christus ad calumnias, nempe quia responso dignæ non erant, 2. ne ansam daret obstinatis hominibus gravius peccandi. 3. ut doceret nos patienter ferre opprobria, maxime cum conscii non sumus objectorum, & patienter tolerata reddant nos coram Deo meliores. 2. Considera, cur non taceat ad adjurationem Cayphæ, cum tamen sciret se ex responso graviora passurum: nempe ut doceret nos, ubi Dei honos agitur, non licere nobis vel cum vitæ periculo veritatis professionem omittere.

2. *Dico vobis*, addit Christus, *Videbitis filium*

filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Quo audito Cayphas scissa veste suâ ait : Blasphemavit, & omnes clamaverunt reum esse mortis. Considera, hæc verba à Christo subjuncta, partim ut clarior esset confessio suæ divinitatis ut sensus sit. Etsi nunc me tam contemptum esse videatis, quam Propheta prædixit *Erit vultus ejus, quasi absconditus & despectus*, tamen veniet olim dies, quo videbitis me judicem vivorum & mortuorum ad dexteram Majestatis Dei sedentem : Partim, ut eos mentione novissimorum terreret & à cœpto revocaret. 2. Considera patientiam Christi ad barbaram illam mortis sententiam contra ipsum vitæ auctorem. Mirum est terram non se aperuisse, & omnes istos absorpsisse. Unde disce; proprium esse mundi damnare eos qui verum dicunt, & inculpate vivunt: nostrumque esse cum Christo, non curare, ejusmodi clamores, etiamsi omnes contra nos insaniant.

2. *Tunc qui tenebant Iesum, exspuerunt in faciem ejus: & velaverunt, dicentes:*

centes : Prophetiza, quis te percussit ? alii palmas in faciem dedêre, & alii blasphemarunt. Considera homines spuere volentes, ad sordidissimos domus angulos se convertere: scilicet impii illi sordidius nihil æstimarunt facie, in quam desiderant Angeli prospicere. 2 Considera, istos non tot excogitare injurias, quin Christus omnes cum silentio ferat, & plures ferre paratus sit. Aspice faciem Christi ex colaphis & alapis totam lividam, inflatam, & fœtidis sputis conspurcatam, impletumq; illud Isaiæ: *Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussũ à Deo & humiliatum.* 3. Considera, quàm longè distemus à vita & moribus Christi; quippe, qui ne verbulum quidem contra honorem nostrum dici feramus, & tamen Christus voluit nos suos esse imitatores.

* * *

MEDITATIO X.

De trina negatione Petri. Matth.26. Marc.14. Luc.22. Joan.18.

1. P*Etrus foris, in atrio rogatus primò ab ancilla ostiaria, tum ab aliis, an esset discipulus Christi, tertiò negavit se non nosse hominem.* Considera, quomodo in corde Petri certarit timor & amor: timor nempe mortis, & amor magistri sui. Amor sequi Christum cogebat, timor se occultare cogebat. Tantum verò crevit timor, ut cederet amor, & sic Christum negavit. Ergo qui stat, videat ne cadat: si enim vertex Apostolorum, cujus erat cæteros fratres confirmare, cecidit quid aliis fiet? Si columna trepidat ad vocem vilis ancillulæ, quid faciet ad verba principum? 2. Considera principiis obstandum, ne lapsus sequatur gravior. Petrus primò vanè gloriatus est se non scandalizandum, tum obdormiit contra consilium Domini in horto, hinc fugit, demum negavit ter Dominum, & quidem

quidem cum juramento, & execratione.

2. *Et continuò gallus iterum cantavit: & conversus Dominus respexit Petrum.* Considera, in quo mœrore & dolore animi fuerit Christus, dum vidit se à Juda venditum, à discipulis derelictum, & nunc tam turpiter a principe omnium negari. Doluit procul dubio plus de hac negatione, quàm de omnibus opprobriis & tormentis, dixitque: *Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat, qui cognosceret me.* Quid mirum, si à sinistra inimicorum nemo Christum agnoscat, si à dextera Petrus negat?

2. Considera, quomodo tandem gallo canente, misericordiâ motus Dominus oculis quæsiverit Petrum, quo invento, sic cum tacitè oculi affati sint. Sic me Petre negas, ubi fides, ubi fidelitas, ubi tuus in me amor, ubi promissa magnifica de non me deserendo? Ista corpus satis torquent, tu animam pergis cruciare? Hoccine reddis Salvatori, qui te è vili piscatore constituit principem populi?

2. *Et recordatus Petrus verbi Iesu quod prædixerat de gallo, egressus foras flevit amarè.* Considera, sicut nix ad intuitum Solis liquefieri solet, sic algens cor Petri ad intuitum Christi post galli cantum in lachrymis liquescere cœpisse, & dixisse: *Domine quid me vis facere?* estne adhuc spes veniæ post tam turpem lapsum? unde discimus numquam despondere animum, quantumvis in religione etiam sanctissima vivamus, & per fragilitatem in peccatum etiam grave incidamus: sed oremus tantùm, ut Deus miseriam nostram respiciat. 2. Considera, quàm primum cogitatio de resipiscendo injecta est, statim deserenda esse loca, cætusque hominum, ubi occasio est delinquendi, sicut Petrus deseruit statim aulam Cayphæ. Difficile enim est inter improbos tueri probitatem. 3. nota, ad pœnitentiam veram requiri intimam cordis contritionem, & perfusionem lachrymarum. Certè S. Petrus dicitur, tantum calidarum effudisse lachrimarum, quoties galli cantum audiret, ut canales in maxillis

xillis ex guttis decurrentibuus apparuerint.

MEDITATIO XI.

De suspensione Iudæ Matth. 27. Marc. 25. Luc. 22.

1. IVdas videns Christum ad mortem condemnatum, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens Peccavi tradens sanguinem justum. Considera, quod homo licet in piorum cœtu sit, si imperfectionibus initio obsistere negligat, progrediatur, ut pudore, scilicet absterritus, pedem referre non velit, nota & dæmonis astum, qui fascinat initio oculos, ne turpitudo peccati appareat: pòst verò ita turpitudinem exaggerat, ut desperet. Considera
2. quanto pretio venditus sit Christus, nempè 30 argenteis, cum multæ bestiæ tam vili pretio non vendantur. O res stupenda! Homo emi debuit sanguine filii Dei, & Deus venditur 30. denariis. Et quibus? inimicis crudelissimis. A quo? à

proprio discipulo, fure, & suiipsius suspensore.

2. *At principes Sacerdotum dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Iudas verò projectis argenteis in templo abiens laqueo se suspendit.* Considera, Petrum commisso peccato veniam meruisse, quia malorum consortium mox deseruit. Contra Judam desperasse, quia ad malos rediit, & hinc disce eos, qui in hominum gratiam Deum deserunt, sæpe etiam in hac vita ab ipsis deseri. 2. Considera malæ conscientiæ gravem carnificinam, utpote, quæ nec confusionem, nec laqueum metuit. 3. quàm malè perire soleant apostatæ, vel à fide, vel à religione. 4. Judam suspensum crepuisse medium, ut est in Actis, & viscera ejus diffusa, ut qui viscera charitatis amiserat, amitteret viscera sua, & qui multa possidere studuerat, etiam sua intestina perderet.

3. *Principes autem Sacerdotum consilio inito emerunt illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Considera, præposteram istorum religionem, qui non veren-

verentur animas sanguine Christi inficere, & verentur pretio sanguinis inficere gazophylacium, similes qui gravem Dei offensam parvi faciunt, res autem parvi momenti, magni. 3. Considera Dominum noluisse pretium sanguinis sui in alium usum verti, nisi charitatis, ut in sepulturam peregrinorum. Ipse enim est figulus, qui finxit mundum de nihilo, inquit Beatus Hieronymus. Ager est mundus. Sepultura, est pacata conscientia, quam soli illi habent, qui peregrinos se agnoscunt in terra, & conversationem habent in cælis.

MEDITATIO XII.

De missione Christi ad Pilatum. Joan. 18. Luc. 23.

I. M*Ane facto adducunt Iesum à Caypha in prætorium, Iudæi non introierunt, ne contaminarentur.* Considera Dominum qualibet horâ aliquid pati. A vespera usq; mane, tota nocte vexatus

& rurſus à mane , uſque ad veſperam. Horâ prima accuſatus, tertiâ damnatus, ſextâ crucifixus, nonâ mortuus, ad veſperam ſepultus, nec mirum, quia nos quovis tempore novis peccatis & imperfectionibus eũ offendimus. Conſidera, ſummo mane ad necem Domini feſtinari; ingenium enim diaboli eſt, præcipites homines agere ad malum, ne cunctando ſententia mutetur. At contra convenit nos veloces eſſe ad bonum, quia *neſcit tarda molimina*, inquit S. Ambr. *Spiritus S. gratia.*

2. *Exiit ergo Pilatus foras, rogans quam accuſationem haberent, & reſponderunt: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Conſidera Pilati humanitatem, qui cum interpretari potuiſſet ſui contemptum, ad quem, ut immundum ingredi recuſarent, ceſſit tamen eorum ſuperſtitioni, melior nobis, qui contempti contemptum reddimus, & à punctis honorum nos divelli nullis precibus patimur. 2. Conſidera Chriſtum, licet apud varios judices variè accuſetur, tamen ſe neque defendere,

dere, nec excusare, ut indicet se velle haberi malefactorem & reum, & tamquam reum subire mortem: iniquitates enim nostras ipse portavit, ipse ut verus peccator periculo maledictionis se exposuit, ut nos hæredes faceret suæ benedictionis. O charitas ineffabilis!

3. *Accusarunt autem eum, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum, regem esse.* Considera, quousque excæcarit Judæos odium & invidia, ut cum nihil haberent accusatione dignum in Christo, impudenter mentiantur coram suo magistratu: sciebant enim eum & regnum fugisse, & obedientiam docuisse, & tributum solvisse, & solvendum docuisse. 2. expende, an sit subvertere gentem, cæcos, claudos, leprosos, aliosque ægros sanare, dæmones expellere, mortuos excitare, multa hominum millia in necessitate pascere, meretrices & publicanos convertere, vitia arguere, & virtutes prædicare, filios Israel, sicut

gallina congregat pullos suos ad pacem & concordiam convocare, omnium se facere servum, ut omnes faciat regni cælestis hæredes? Hinc disce non mirari, si facta à te optimè, aliquando pessimè alii interpretentur.

MEDITATIO XIII.

De examinatione Pilati. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 18.

1. *Pilatus ingressus prætorium, rogat Iesum: Tu es Rex Iudæorum? Qui respondit: Regnum meum non est de hoc mundo. Tum ille: Ergo Rex es tu? Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego.* Considera, ut Christus Pilato sincerè agenti clarè responderit: Judæis autem insidiantibus nisi adjuratus, respondere noluerit, quia fictum detestatur Dominus. 2. Considera Christum non negare regnum suum esse in hoc mundo, quia utiq; in illo, Ecclesia & nobis regnat, sed *de hoc mundo*, quia non est simile regnis mundi, quæ multo satellite defenduntur, florent opi-

opibus & pompis, ſed conſiſtit in ſplendore animæ, paupertate ſpiritus, humilitate, obedientia, mortificatione paſſionum, charitate, & commune eſt etiam pauperibus & mendicis, ſanis & ægris. Si ergo Chriſti ſubditi eſſe volumus, talibus virtutibus inſtructi ſumus.

2. *In hoc natus ſum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? mox exivit, dixit Iudæis: Ego nullam in eo invenio cauſam.* Conſidera, cur Chriſtus in mundum venerit, nempe ut ab erroribus, idololatria, & peccatis liberaret, ut doceret vanitatem rerum, quas mundus admiratur; ut diſcas tum te eſſe de regno Chriſti, cum à vanitatibus hujus ſæculi abhorres, cùm ſtudes alios ad veram fidem, & ſanctam vitam convertere. Hæc enim omnis odii Judæorum in Chriſtum cauſa fuit, quod veritatem doceret, & vitia eorum redargueret. 2. Conſidera, Pilato ante auditum à Chriſto reſponſum egreſſo, ſimiles eſſe eos qui cum aliquid de humilitate, abnegatione ſui, manſuetudine, vel alia perfectione

vitæ Christianæ legunt, vel audiunt, dissimulãt, vel ad se nõ pertinere existimãt. 2. considera, etiamsi causam mortis non inveniat Pilatus, & falsam inveniant Judæi, duas tamen veras esse causas, nempè multitudinem & gravitatem peccatorũ nostrorum, & immensam Christi charitatem, qui sanguine suo peccata nostra expiare voluit.

Tunc dixit Pilatus : Non respondes quidquam? non audis quanta Sacerdotum principes contra te dicant testimonia? Iesus autem tacuit, mirante præside vehementer. Considera, quas tenebras animis Principum illorum offuderit invidia, videntes enim Pilatum inclinari ad liberationem Christi, omnia complent clamoribus, quod totam commovisset Gallilæam, objicientes benefacta ejus pro criminibus. Moverat certè à tenebris ad lucem, à morte peccati ad vitam. 2. Considera Christi patientiam, inter tot clamores, nullum verbum asperius gerentem, nullo nutu impatientiam prodentem. Quæ quæso amoris flammæ ardebant in pectore illo, quas tanti injuria-

ium

rum torrentes non potuerunt extinguere. 3. Considera, Christum Pilato sæpius respondisse, ad calumnias autem Judæorum tacere, sic ut Pilatus miraretur ejus patientiam quanta ex malitia peccabant. Unde discimus, cùm lacessimur injuriis, plus tacendo quam respondendo profici.

MEDITATIO XIV.

Pilatus mittit Christum ad Herodem. Luc. 23.

I. PIlatus *Iesum remisit ad Herodem regem, qui tum Hierosolymis erat, qui eo conspecto gavisus est valde, cupierat enim eum videre & signum ab eo fieri.* Considera, quemadmodum barbari milites contumeliosissimè per mediam urbem Jesum raptarint, multisque probris & sannis coram tota urbis fæce affecerint; ut discas patienter ejus exemplo ferre, quæ à Superioribus alioquin piis, si religiosus sis, nonnumquam tibi contingunt, si ab uno officio ad aliud

ſive vilius,ſive dignius, ſive levius ſive gravius promovearis, etiamſi ſenſualitati tuæ repugnare videantur. 2.Conſidera, nihil profuiſſe Herodi, quod optaret videre Chriſtum, quia cupiditas illa non oriebatur ex deſiderio emendandæ vitæ,ſed ex curioſitate, fingens Chriſtum eſſe magum aliquem, qui mira ſpectacula edere poſſet. Ut diſcas, nec tibi prodeſſe, ſi libenter audias verbum Dei,vel legas ſpirituales libros, vel alios,niſi ſtudio proficiendi id facias, & non ut doctus habearis.

2. *Herodes interrogabat Ieſum multis ſermonibus, at ipſe nihil ei reſpondebat: & Principes Sacerdotum conſtanter accuſabant eum.* Conſidera, cur Herodi, licet regi,interroganti, non reſponderit Chriſtus. Primò quidem, ne curioſitatẽ ejus,ex qua ſola more aulicorũ interrogabat, probare videretur. 2. quia Margaritæ,id eſt,myſteria divinitus communicata, non ſunt projiciendæ porcis. 3.ut doceret nos in concionibus non hoc quærere, ut audientium curioſi-

riosorum intelligentiam pascamus ; sed potius, ut ad emendationem vitæ affe-ctus commoveamus. 4. Considera, sicut Judæi constantes erant in accusando, ita Christum constantem fuisse in patienter omnia tolerando, ut doceret nos in patientia continua possidere animas nostras.

2. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit, indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et factus est ejus amicus, cùm ante esset inimicus.* Considera, quàm ignominiosè ex conspectu Herodis abstractus sit, quantis ludibriis, à tanto numero militum exceptus, singulis excogitantibus novam illudendi rationem, ac velut stultus alba veste indutus, cogita quanto risu, quot sordibus petitus, nec enim stulti aliter tractari solent. In hoc speculum intueantur, qui tantum studium in sacco stercorum, & nido vermium, mollibus & pretiosis vestibus ornando ponunt. 2. Considera, si Christus ne fatui quidem habitum recusavit, neminem Christianum, maximè aut religio-

sum

ſum, qui paupertatem vovit, pudefieri debere, ſi abjectum & ſimplicem habitum geſtarit. 3. Conſidera hanc Chriſti illuſionem occaſionem temporalis dediſſe amicitiæ, inter Pilatum & Herodem initæ, mortem vero fore verè cauſam ſpiritualis amicitiæ Judæorum & gentilium in uno Eccleſiæ corpore jūgendorum, ut diſcas afflictiones ob Chriſtum perpeſſas multa commoda temporalia & ſpiritualia nobis conciliare.

MEDITATIO XV.

De Barraba Chriſto prælato.
Luc. 23.

I. *CHriſto ab Herode reverſo, Pilatus dixit Iudæis: Nullam cauſam mortis invenio in eo, ſed nec Herodes.* Conſidera Herodem, tametſi in Chriſto nihil viderit morte dignum, non tamen liberaſſe innocentem de manibus Judæorum, ſed ad gratificandum Præſidi, cognitionem cauſæ detuliſſe ipſi. Ita fit, ut homi-

hominibus omnes ſtudeant placere nullus Chriſto. 2. Conſidera, à tot judicibus hactenus in vitam Domini inquiſitum nihilq; inventum, quod mortem, aut vincula mereretur. Tu quoq; ſic vitã inſtitue, ut omnes inferni dæmones nihil ſuum in morte tua inveniant.

2. *Barrabas cùm ob ſeditionem & homicidium commiſſum miſſus eſſet in carcerem, liceret præſidi die ſolemni Paſchæ vinctum dimittere, petiit à plebe hunc ne an Ieſum dimitti vellent, & clamavit. Non hunc, ſed Barrabam.* Conſidera incredibilem Chriſti patientiam, qui cum eſſet Deus verus de Deo vero, conſubſtantialis Patri, per quem omnia creata ſunt, paſſus eſt non modò ſe cum Barraba homine ſeditioſo, & homicida publico, infamique nebulone comparari, ſed etiam, quod indigniſſimum eſt illi poſtponi, quaſi indignior vita eſſet quam improbus latro. Quæ injuria fuit ùna de maximis, qua Judæi Chriſtum affecerunt. 2. Conſidera inauditam Judæorum cæcitatem, & feritatem inſatiabilem, quam & Pilatus ſummopere

pere admiratus est, quod lupum prætulerint agno, hominem sceleribus coopertum, justo & innocenti, sanguinarium latronem; auctori vitæ. Hic fructus est cordis obdurati in malo. 3. Conside-ra Barrabam nos præponere Christo, cum judicium nostrum Superiorum, qui vicem Christi tenent, judicio præponimus, cum carnem spiritui, vitium virtuti, honorem mundi honori Christi, sæculum religioni.

3. *Tum Pilatus: Quid ergo faciam de Iesu qui dicitur Christus? At illi dixerunt. Crucifige eum.* Considera quot laqueis homo cùm non quærit pure gloriam Dei, animæque salutem, sed favores humanos, cum Pilato se involvat. Cum enim nullo modo expectasset Barrabam anteponendum Christo, totus turbatus fuit, nesciens quid ageret, sic ut tandem petat consilium à turbulento populo, quid facere debeat cum Jesu. Quid enim absurdius, quam judicem sequi sententiam accusatoris, & furioso gladium præbere? 2. Considera, Evangelistas ideo tam diligenter narrare, quod Pila-

Pilatus variis viis conatus sit liberare Christum, tum ut constaret, quam inique damnatus esset, quem prophanus judex solâ æquitate motus toties dimittere tentavit, tum ut ex ratione damnationis importune per vim exortæ, appareret Christum non tam ab hominibus, quam à Deo ad crucem tractum fuisse.

MEDITATIO XIV.

De viso uxoris Pilati. Matth. 27.

1. S*Edente Pilato pro tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens:* Considera, valde opportune nuntium illum ab uxore missum, nempe cùm jam ad ferendam sententiam maritus paratus esset, ut res non casu, sed divino consilio facta videretur. 2. Considera Deum ita voluisse condemnari Christum, ut cum in toto populo nullum patronum, nullum inter Scribas & Seniores advocatum inveniret pro se, omnibus tamen modis & omnis generis personarum sententiis,

tiis, virorum & mulierum, ejus innocentia teſtata redderetur. Ac diſcas Deum numquam permittere piorum famam ſic opprimi ab impiis, quin ſemper maneant aliqui, qui eorum innocentiam tueantur.

2. *Iuſſit uxor Pilato dici: Nihil tibi & juſto illi*, id eſt, ne te ejus negotio immiſceas, nec eum condemnes. Conſidera Deum humanitatem Pilati, quâ conabatur eripere Chriſtum è manibus Judæorum voluiſſe remunerari ſpeciali gratiâ, ut nempe mitteret Angelum noctu ad uxorem, deinde, ut uxor nuntium mitteret per medias turbas, qui moneret eum, contra quem ageretur, eſſe juſtum hominem, imo Chriſtum, & deterreret à condemnatione, ſed quia non paruit, inexcuſabilis fuit. Tanti mali cauſa eſt metus offendendi Cæſarem. 2. Conſidera, ſicut prima mulier à perverſo Angelo inducta fuit, ut cauſam daret lapſus Adami, & perditionis generis humani, Ita Deum per bonum Angelum nunc moviſſe mulierem, ut abduceret virum ſuum à graviſſimo lapſu perdendi

dendi auctorem generis humani. Unde & putatur credidisse ac salvata.

Multa enim passa sum hodie per visum propter eum, id est, multa somniavi, quæ me soliciram, anxiamque reddiderunt. Considera multos Patres arbitrari terrores hos mulieri per quietem injectos à dæmone, ut impediret Christi passionem. Adverterat enim Christum esse Messiam, tum ex responsis Pilato datis; tum, quia Patres in limbo exultabant de vicinâ liberatione; & ideo metuebat suas vires minuendas. Unde colligis, quanta fuerit malitia hominum ut ne dæmon quidem eos ausus fuerit à cœpto revocare, sed opem à muliere quæsierit. Alii tamen malunt à bono Angelo factum.

MEDITATIO XVII.

De flagellatione Christi. Matth. 27. Marc. 15. Joan. 19.

1. *CVm tertio Pilatus protestaretur nullam se causam mortis inveni-re, &*

clamarent crucifigendum Iesum , apprehendit eum , & congregata tota cohorte, flagellavit. Considera hactenus sponsum animæ tuæ , ut te sibi desponsaret, variis modis irrisum , consputum, verberatum , nunc autem ventum esse ad vulnera, ut qui tibi honores suos, libertatem, aliaque corporis bona dedit, nunc etiam sanguinem propinaret , visurus, quâ tu vicissim liberalitate sis usurus. 2. Considera, Christum à Pilato prætorianis militibus tradi , qui totam cohortem, id est, 666. milites convocarunt: ubi attende miram eorum petulantiam, Christi vero incredibilem confusionem & patientiam. Primo enim cum toto corpore coram tanta multitudine denudant: Tum sacrum corpus columnæ alligant , brachiis in altum erectis. Stat agnus inter lupos: nemo pro eo loquitur, nullus miseretur. Tale spectaculum non fuit à condito orbe, ut flagella caderent in humeros Dei.

3. Considera , quam gravis & acerba fuerit flagellatio. Veteri quidem lege cavebatur ne ultra quadraginta verbera

bera infligerentur, hâc additâ causâ, ne quis tot plagis fœde laceratus exſpiraret. At gentilis miles nec hac lege tenebatur, nec commiſeratione ullâ movebatur, ſic ut 5400. verbera, ut nonnullis ſanctis revelatum eſt, illi inflixerint, quod non videtur improbabile, quia Pilatus eum flagellari voluit, ut Judæorum rabies viſo Chriſti corpore miſere dilaniato aliquantum miteſceret. Deinde quia flagellatio ideo præmittebatur crucifixioni, ne nuditas corporis crucifixi aliquem ad turpitudinem moveret, & ideo totum erat deformandum. 2. Conſidera internis oculis, quanta vi, tum virgis, tum nodoſis funibus corpus diſcerpant, ſanguine ubertim, in terram defluente, auribus excipe multiplices ictus, cachinnos & ſannas cædentium. Vide quoque in angulo aliquo latitantem B. Virg. & cum gemitu ſingulos ictus numerantem.

3. Conſidera Chriſtum dum à columna ſolveretur, inſtar trunci prolapſum in terram, tam enim erat fractus & debilitatus ex flagellatione, ut pedibus in-

insistere non posset. Aspice enim in pavimento reptantem sanguineū, ut veste se cooperiat Ut autem in pedes ægre se erexit, cogita eum sic te allocutum, Fili mi, hæc passus sum libenter amore tui. Expende quam primum respondeas huic meo amori, tum quod tam impatiens sis in paucis flagelli alicujus ictibus perferendis, tum quod quotidie novis peccatis & imperfectionibus me flagellare non desistis.

MEDITATIO XVIII.

De Coronatione Christi. Matth. 27. Marci 15. Joan. 29.

1. *Milites Præsidis exuentes eum, circumdederunt ei chlamydem coccineam. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput.* Considera, non sine verecundia virgineum corpus iterum nudari, & cum ingenti dolore vulnera omnia quibus vestis ejus inhærebat fontibus novis scaturientibus renovari, tum purpurâ regiâ tanquam regni affe-

ctato-

ctatorem eum per summum ludibrium indui.

2. Considera coronam spinis aculeatam ei imponi, & hastis transverse positis in benedictum caput adigi spinas (quæ longitudinem fere digiti minimi æquant in illis regionibus) videas, exire aculeos ex fronte & temporibus, magnaque vi penetrare cranium; quantus hic dolor, quanta acerbitas. A condito orbe auditum non est tali supplicio aliquem affectum. Et mirum est vel dæmonem tale quid potuisse excogitare.

2. *Arundinem ei in dextera dant, eadem percutiunt, dant alapas & genu flexo ajunt: Ave Rex Iudæorum.* Considera, nullam intermissionem, vel quietem benedicto Jesu ab impiis ministris dari, rursum injurias in domo Caiphæ illatas renovari, & recentibus augeri, ut dum scurriliter ab improba illa turba in hæc verba poplite uno flexo irridetur. Tune omnium bipedum abjectissime, miser mendice, Rex esse concupisti? unde tibi hoc delirium?

Sed qualis Rex es,tale nunc accipe sce-
ptrum , nempe inanissimum & vanissi-
mum.Et rursum dum sceptro illo caput
cæditur,spinæ altius in caput deprimun-
tur.Quo exemplo discimus,quam aspe-
nanda sit omnis humana gloria,& quan-
to desiderio contemptus nostri quæ-
rendus.

3. *Exivit ergo Iesus portans spineam coronam , & purpureum vestimentum & dicit iis Pilatus. Ecce Homo , Ego nullam causam invenio. At Pontifices clamarunt Crucifige eum.* Considera,mi-
serabile spectaculum. Egreditur mi
Jesus,diductâ purpurâ,portans loco dia-
dematis coronam spineam,ligatis mani-
bus,arundinem in dextra pro sceptro te-
nens,vultu livido,sputo,sanguine & vi-
bicibus deturpato, Pilatus vero sperans
Judæos hoc diro spectaculo mollien-
dos,dicit:*Ecce homo*:ecce quem vos di-
citis filium Dei se facere: Ecce miserum
regém,qui vix videtur homo. 2. Con-
sidera cæcitatem Pilati. Iterum pro-
fitatur Christum esse innoxium , & ta-
men tam fœde eum tractavit, ut vix ho-
mi

minis speciem retinuerit. Certe nec canem quis ita tractaret. 3. Considera, si teste Pilato innocens est Christus, unde hæc illi contigerint. Nimirum ex superbia tua irrisiones, ex avaritia nuditas, ex ebrietate sanguinis effusio, ex libidine spinæ, ex ira vulnera, ex invidia livores, ex acedia funes & vincula. Si ergo Pilatus non potuit Pontifices excitare ad commiserationem te saltem excitet. Hæ spinæ enim prò te perferuntur, hic sanguis tibi propinatur, hæc mala tibi donantur, ut iis quasi pharmacis peccata tua tollas.

MEDITATIO XIX.

De aliis accusationibus Christi coram Pilato. Joan 19.

1. *AD clamorem Pontificum respondit Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite. Tũ illi: Secundũ legẽ debet mori quia filium Dei se fecit.* Cõsidera quod sicut impii Pontifices conspecto Christo sanguinolento non aliter in ejus necem

inardeſcebant atque canes viſo ſanguine feræ, ita conveniat te accendi in amorem paſſionis Domini, contemplatione dolorum ejus, ut in meditatione tua exardeſcat, ad imitandum, ignis devotionis. 2. Conſidera Judæos verum dicere, ſed non ad mentem ſuam. Omnia enim veteris legis ſacrificia paſſionem & mortem filii Dei adumbraverunt, & Prophetæ clare prædixerunt: illi autem volebant Chriſtum mereri mortem ob blaſphemiam, quod faceret ſe filium Dei, ut diſcas Deum aliorum male facta vel dicta in bonum tuum commutare, quo & tu ex malis ſemper bona elicias.

Pilatus rogat Ieſum: Tu quis es? eoque tacente. Mihi, inquit, *non loqueris? an neſcis me poſſe dimittere te? Reſpondit Ieſus: nullam poteſtatem haberes, niſi data eſſet deſuper: & ideo qui tradidit me, plus peccavit.* Conſidera tacuiſſe Jeſum, ne ſanctum cani daret, jam enim immani flagellatione indignum ſe reſponſo reddiderat, tum ut nos doceret non loqui, niſi cùm neceſſe eſt,

est, necesse autem non erat Christo loqui, quia jam ante dixerat, regnum suum non esse de hoc mundo, & si plus dixisset intellectus non fuisset, cùm nec Angeli capiant ejus generationem. Considera Pilati superbiam, quod taciturnitatem Christi sine causa reputet sui contemptum; facile quippe indignatur homo superbus, quia nec minimum quid potest ab aliis tolerare. 2. quod non agnoscat omnem potestatem à Deo habere, cum tamen sine ejus voluntate, nec folium arboris commoveatur. Imo docet Cyprianus nec posse diabolum quidpiam in hominem, nisi Deus permiserit.

3 *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamant: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Tum producto Jesu, dixit: Ecce Rex vester. Respondent Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Considera, Pilatus auditâ mentione peccati, serio de Christo dimittendo cogitasse, ne se majori crimine obstringeret: sed postquam de honore suo apud Cæsarem agi vidit, rursus animo conci-

dit, similis illis, qui veritatem tuentur, quamdiu id vident sine suo dispendio fieri posse, sed si turbo aliquis se immittat, vela convertunt. 2. Considera Judæos, quia repudiato Christo vero Rege, Cæsarem Regem suum esse voluerunt, in tot mala, & perpetuam servitutem incidisse; nec secus succedere omnibus qui abjecto jugo suavi servitutis Christi ad mundum redeunt, quippe cum perpetua fiant mundi mancipia, & cum mundo pereant.

MEDITATIO XX.

De Christi Domini nostri condemnatione Matth. 27.

1. V*Idens Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, aquâ lavit manus, dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis.* Considera, Judæis nos fieri similes, quando nullis neque rationibus, neque monitionibus in re ad salutem utili vel necessariâ acquiescimus; Pilato autem,

autem, quando in aliorum gratiam contra conſcientiam quid facimus, & culpā totam in alios retorquemus. 2. Conſidera, Pilatum bis falli, cùm putat ſe innocētem, primo ex cæremonia externa lavandi manus, non enim aquâ, ſed lacrymis peccata purgantur: ſecundo, quod juſtū invitus damnet: non innocens eſſe non poteſt, inquit B. Leo, qui iiſdem labiis mittit Jeſum in crucem, quibus eum pronuntiavit innocentem.

2. *Et reſpondit univerſus populus dicēs: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Conſidera cæcum furorem invidiæ non negant Jeſum eſſe juſtum, ſed ut timido præſidi animum addant, ſe & poſteros ſuos graviſſimis malis adſtringūt. 2. Conſidera, quanta ſit inſania, malū ſibi imprecari, cujus gravitatē ignores. Si enim quodlibet aliud peccatū igne ęterno excruciandū eſt, pro quo delēdo hic ſanguis fuſus eſt, heu qualis gehenna manebit peccatum illud per quod hic ſanguis fuſus eſt: his ſimiles ſunt qui nihil pendentes gravitatem pœnarum inferni, pergunt Deum offendere. 3. qui res ar-

duas nulla consideratione, quod rationem reddituri sint apud Deum, suscipiunt.

3. *Tunc Pilatus volens satisfacere populo, adjudicavit fieri petitionem eorum,* h. e. ut crucifigeretur. Considera, quam iniquum & præposterum fuerit hoc Pilati judicium, Paulò ante agnoscebat per invidiam à Judæis Jesum traditum, appellarat hominem justum, protestatusq; erat se nihil causæ in eo invenire, & jam crudelissimæ eorum voluntati illum tradit. 2. Considera quam humiliter mitis Jesus absq; ulla contradictione funestam sententiam exceperit, nec secùs, quam si de omnibus criminibus objectis serio convictus esset 3. Considera, quomodo latâ sententiâ, Satanici satellites irruerint in Jesum, & omni genere injuriarum obruerint. Jam crux & feralia instrumenta, id est clavi, & alia parata erant. Jam totis artubus exultabant omnes Pontifices, Scribæ, Seniores, populus. Sola mœstissima Domini parens cum discipulis tota in lacrymas soluta est.

MEDITATIO XXI.

De crucis bajulatione.

1. *ET apprehendentes Iesum eduxerunt eum ut crucifigerent: & bajulans sibi crucem, exivit in Calvariæ locum.* Considera Judæorum crudelitatem inauditam, quod Christo jam fatigato, membrisque omnibus fracto ingentem illam trabem crucis imponunt, perinde ac si vellent eum in ipsa via occumbere. Ac ubi quæso legimus vel pessimum latronem suum gestasse patibulum? Omnibus supplicio afficiendis instrumenta abscondi solent, quibus occiduntur, at Christo, etiam gestanda cum summo dedecore imponuntur. 2. Considera & quasi præsens aspice, quomodo tanto pondere onustus procedat, oculis languidis, facie tota sputis adhuc & sanguine plena, trepidantibus & vacillantibus genibus, ac tandem toto corpore septies in terram corruente, quibus casibus novo vulnere humeros vulneraverit.

rit, & alia ex flagellatione accepta renovavit.

In via Simonem Cyreneum angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Considera, non satis esse, si Christus crucem suam bajulet, eamque nos sola fide & meditatione aspiciamus: sed opus est, ut nostram quoque crucem in ferendis injuriis; mortificandis passionibus, carneque castigandâ jejuniis, disciplinis, aliisque pœnitentiis feramus, juxta illud Christi: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Cōsidera Simonem hunc non sponte sua, sed coactum huic cruci humeros submisisse, ut discas in ferenda cruce requiri, ut vis inferatur naturæ, & carni semper spiritui reluctanti. 3. Considera utilitatem, quam Simon iste licet invitus portans crucem, tanquam laboris mercedem reportarit, nam ejus nomen toto orbe divulgatum est, patria ejus innotuit, & filii ejus non modo Christiani facti sunt, sed etiam fama celebres.

3. *Iesus ad mulieres flentes conversus,*

Ne

Ne flete, inquit, *super me, sed super vos, & filios vestros. Si in viridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet?* Considera, Dominum non voluisse se defleri, sed populum, ut ostenderet potius nobis esse flendum de peccatis, quæ mortis illius fuêre causa, deinde, quia multis mors Christi majorem damnationem erat allatura, ut improbis. Secundo considera, si viride lignum, id est, is qui in mundum venit sine peccato, non egressus est sine flagello, quomodo nos qui in peccatis nati sumus & in illis vivimus, sine flagello & cruce poterimus ad vitam æternam pervenire? Tertio considera, quam triste & acerbum fuerit Virgini matri spectare unicum suũ vitæ solamen, tam misere derelictum, curvumq; inter duos latrones incedentem, & inter clamores populi tam immaniter tractari. Videre ibi erat duos soles, cum se mutuo aspicerent, deficientes.

ME-

MEDITATIO XXII.

De Christi crucifixione. Marc.15.Luc.23. Joan. 19.

1. ET *venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quæ est Calvariæ locus, & ibi crucifixerunt eum.* Considera quã molestus fuerit Christo istius montis ascensus, qualem sibi vim intulerit, teneroque & exhausto jam corpori, ne saluti tuę deesset, & in monte cœlis viciniore Deo Patri se sistens holocaustum pro peccatis tuis, in odorem suavitatis offerret. 2. Considera genus mortis crudelissimæ. Primum enim vestibus omnibus exuitur violente, quo facto omnia sine dubio vulnera sunt renovata, stabatque ibi mansuetus Jesus totus sanguineus. Detruditur in trabem humi jacentem, clavis obtusis proforantur manus & pedes. O dolor incredibilis! manus enim plenæ sunt venis & nervis, augetur dolor violenta extensione brachiorum pedumque ut respondeant foraminibus. Tum eleva-

vatio-

vatione, & concussione crucis dum in scrobem effossam demittitur, ac demum diuturnitate temporis, nempe trium horarum, quibus in cruce pependit.

2. Considera quantâ ignominia hoc genere mortis affectus sit Christus, nullum enim id temporis erat vilius & servilius. Patitur in monte & stipite eminenti, ut omnibus esset ludibrio; in loco suppliciis publicis destinato, ut improbus haberetur. Inter duos latrones, ut omnium sceleratissimus reputaretur, in ipso meridie ut omnes adessent. In die solemni Paschæ, quo tota natio Hierosolymam confluebat. In urbe totius Judææ principe, quam sex ante diebus cum triumpho intrarat. Et in tantâ ignominiâ adhuc verbis probrosis ab omni genere hominum excipitur. Demum nullum genus tormenti nullum infamiæ fuit, quod Christus expertus non est.

3. Considera causam; cur hoc genus mortis Christus elegerit. Prima est, quia nullum erat acerbius, diuturnius, ignominiosius, & ad salutem tibi paran-

dam accomodatius. 2. ut tanquam hostia in altum sublata, mediatorem se inter Patrem cœlestem, & genus humanum interponeret, reconcilians ima summis 3. ut eminus te oculis quæreret, invenientem expansis brachiis exciperet, in sacris vulneribus reconderet; manibus insculptum ob oculos semper haberet, & capite inclinato oscularetur, denique ut mentem tuam à terrenis avelleret & ad cœlestia attolleret.

MEDITATIO XXIII.

De duobus latronibus cum Christo crucifixis, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 13 Joan. 19.

1. *ET crucifixerunt cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris.* Considera execrandam Judæorum improbitatem; quod Redemptorem mundi crucifigant ut latronem, incredibilem vero Christi humilitatem, quod talis voluerit haberi, & ut talis mori, idque nostrâ causâ, ut

qui

qui vere malefactores sumus, & latrones, hoc est animæ nostræ occisores, dum peccamus, libenter confusionem, & pœnam aliquam pro peccatis sustineamus. Considera, sicut Christus in vita toleravit societatem Judæ, in morte vero latronum, sic te debere tolerare humiliorum & pauperum conversationem & sicut ille suâ societate unum fecit ex improbo probum, ita & nos nostra consuetudine alios facere debere meliores.

2. *Medium autem Iesum.* Considera Judæos hâc ignominiâ conatos nomen Christi delere, ut pro Messia latronum princeps haberetur, sed Christus hanc eorum malitiam, ad suam convertit gloriam. Nam cum tres sint cruci affixi, ipse tamen solus cum cruce sua toto orbe factus est gloriosus, 2. inter peccatores moriens omnium pretia persolvit. 3. neminem, quamvis deterrimum latronem à salute excludit, 4. Judex erit in extremo judicio omnium bonorum & malorum. bonos repræsentat latro ad dexteram, malos latro ad sinistrã

2. Confidera æque bonum atque malum latronem cum Christo crucem sustinere, ut scias neminem, licet bonum, à cruce ferenda exceptum.

3. *Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est,* Isaiæ quinquagesimo tertio. Considera, id tanto tempore prædictum, ut intelligeretur, non casu, sed diviná etiam voluntate accidisse. Christus quoad divinitatem medius erat inter divinas, quoad humanitatem medius inter Angelos, & homines cæterasque creaturas. Quoniam vero omnium hominum iniquitates in se susceperat, conveniebat ut licet non esset, tamen inter iniquos medius, id est, omnium iniquissimus reputaretur.

MEDITATIO XXIV.

De crucis Christi titulo. Matth 27. Marci 15. Luc. 23. Joan. 19.

1. *Scripsit autem & titulum causæ ejus Pilatus, & posuit super crucem ejus.* Considera Pilatum quidem id fecisse,

cisse, ut ob affectatum regnum putaretur crucifixus, sed longe aliam causam fuisse Dei, nempe ut invenires omnem salutem in Jesu, omnes flores virtutum in Nazareno, & omnem in rege securitatem. Titulus enim erat, *Jesus Nazarenus Rex Iudaeorum*. 2. ut cognosceres ex tabula domui praefixa, quae disciplinae hic doceantur. Solent enim ludi magistri valvis indicem lectionum praefigere. Hic enim discis salvari, virtutes omnes sectari, teipsum regere, mundum & diabolum & carnem vincere, confiteri peccata, laudare Deum, corpus castigare, cruce te consignare in omnibus actionibus, & dicere: Titulus triumphalis liberet me ab omnibus malis.

2 *Et erat superscriptio scripta Hebraice, Graece, & Latine*. Considera variis linguis titulum scriptum, quia omnium interest, hunc regem crucifixum agnoscere, imo Beatus Paulus non judicat se aliud scire quam Jesum crucifixum. Ideo enim in edito loco figitur, ut eminus videas, & legas, & intelligas,

ac ſpretis aliis Dominum ſequaris. 2. quia omnibus linguis laudandus eſt Meſſias crucifixus, ſicut & nunc his ſolis tribus in divinis Eccleſiæ officiis tanquam cruce Dominicâ conſecratis, laudatur. 3. quia Chriſtus hac re docere voluit, neque ſapientiam cœleſtem, quæ Hebraice in Bibliis, nec ullam ſcientiam vel eloquentiam humanam, quæ Græce vel Latine conſcripta eſt; valere, niſi ad crucifixi gloriam referatur.

Dicunt Pilato Pontifices, Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia dixit: Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Conſidera, Judæos, id eſt, omnes impios & mundanos, qui addicti ſunt voluptatibus hujus ſæculi & carnis, non poſſe ferre nomen regni Chriſti crucifixi, ſicut nec crucis; probos autem in ſolâ cruce cum Divo Apoſtolo gloriari, & cum aliquando à dæmone, mundo, vel carne tentantur, ut crucem ſemel ſuſceptam in baptiſmo, vel religioſæ vitæ ingreſſu deſerant, cum Pilato dicunt: Quod ſcripſi, ſcripſi. Quod vovi,

vovi, servabo. Sicut cœpi, perseverabo. Si enim Pilatus quod semel scripsit mutare non vult, cur tu quod semel promisisti, mutes?

MEDITATIO XXV.

De vestium Christi divisione Joan. 19. Luc. 23. Matth. 27.

1. M*ilites, cum crucifixissent Iesum, acceperunt vestimenta ejus, & tunicam.* Considera Christi paupertatem, habentis paucula s tantum vestes ad tegendam nuditatem, arcendumque frigus necessarias Et tunica quidem inconsutilis à matre Dei Christo infantulo fuit contexta, quæ cum eo crescente crescebat, sicut filiis Israel in deserto, ut discas omnem superfluitatem vestium fugere. 2. Considera liberalitatem Christi; corpus dederat, sanguinem profuderat; nunc etiam externa bona, id est, vestes tibi donat, nihil præter clavos, spinas, sputa, & concretum corpori cruorem sibi servans.

Tu si perfectus Christi imitator esse velis, nudus ad nudum Christum advola.

2. *Et fecerunt quatuor partes, sorte missa, quam quisque tolleret.* Considera, milites per irrisionem portionem aliquam vestis sibi sumpsisse, tanquam Regis Judæorum ornatum, ut tu quoque vel fimbriam vestium ejus serio colligas, hoc est, quidquid passionem Christi quoquo modo attingit in pretio habe, ut sunt sacramenta ejus, verba ejus, signum crucis. 2. Considera, nos cum militibus vestes Christi dividere, cùm inter nos non satis convenimus, aut cum aliis discordiæ occasionem præbemus.

3. *De tunica inconsutili per totum dixere: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Considera ut per vestimenta significantur variæ hominum societates, & particulares Ecclesiæ, quæ possunt per hæreses dividi, sic per tunicam inconsutilem significari Ecclesiam Catholicam Romanam, quæ non potest dividi, sed unam tantum fidem retinebit, & est *desuper contexta per totum*

tum, id est, toto orbe diffusa. Tu cave ne ab hac tunica excidas. 2. Considera tunicam inconsutilem esse verum & perfectum amorem in Deum, hic enim vere inconsutilis est, & in alios amores dividi non potest. Deus enim solus vult amari: non admittit in sui amore rivalem.

MEDITATIO XXVI.

De irrisionibus Christi in cruce. Matth. 27. Marc. 15 Luc. 23.

1. T*Ranseuntes blasphemabant moventes capita sua: & dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas; Salvum fac temetipsum.* Considera, feritatem populi, Principum, & militum, nec in summo quidem agone Christi ab injuriis abstinentium, & cum peccata non inveniant, etiam beneficia & miracula ei exprobrantium, ut quod infirmos sanavit. Contra perpende, quam graviter hæ blasphemiæ mansuetum Christi cor pupugerint: cum

soleant

soleant maledicta in calamitosum conjecta ipsâ calamitate esse acerbiora.

2. *Similiter & principes Sacerdotum dicebant: Si filius Dei, si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult: dixit enim, quia filius Dei sum. Alios salvos fecit, se non potest.* Conside-ra cœcam Judæorum stultitiam, quia enim filius Dei fuit, ideo non debuit relinquere obedientiam Patris, sed bibere totum calicem, quem dederat illi Pater. Deinde, quia rex Israel fuit, non debuit descendere, cum scriptum sit: *Dominum à ligno regnaturum. Psalmo nonagesimo quinto.* & si regnet non debet imperii sui sceptrum, nempe crucem deserere, similiter si seipsum salvum facere velit & alios, debet persistere in cruce: quia qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit; unde discis, in vitæ sanctæ proposito etiamsi difficile nonnunquam sit, perseverare in finem.

3. *Illudebant autem ei & milites aceto oblato, dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac.* Considera, ab impiis nul-

lam

lam in hac vita cognoſci, niſi corporis ſalutem & commoditatem, ignaris pro animæ ſalute hæc Chriſtum facere, & ut nos eadem via per multas tribulationes in cœlum tenderemus. 2. Conſidera Chriſtum ad omnia opprobria nihil reſpondiſſe, ut nos doceret amore Chriſti illa patienter ferenda, nec loquē-dum niſi cum honos Dei, vel ſalus animę id expoſcit, & ideo locutus eſt bono latroni, non malo.

MEDITATIO XXVII.

De primo verbo Chriſti prolato in cruce. Luc. 23.

Pater dimitte illis.

1. *JEſus autem dicebat.* Conſidera Jeſum hæc ſeptem verba extrema cũ clamore valido protuliſſe, copioſiſque lacrymis ſanguine de capite defluente mixtis. Lacrymæ orationem rigabant, ſanguis exornabat, clamor aures patris penetrabat. Hæc & tu admitte, ac expende, his enim ſanctificata ſunt ſeptem Sacramenta, & impetrata 7. Spiri-

tus sancti dona, ac depulsa septem capit[illegible]lia vitia. 2. Considera, quis dixerit hæc verba? Filius Dei. Cui? Patri. Ubi? in arbore crucis. Quando? proximus morti. Quomodo? manibus expansis in cruce stans, & sanguine madens. Pro quibus? pro suis crucifixoribus & omnibus peccatoribus Quid petiit? remissionem peccatorum. Coram quibus? etiam coram hostibus, ut testes essent condonationis factæ.

2. *Pater, dimitte illis.* Considera verba singula. *Pater*, quod est misericordiæ nomen, non iustitiæ, ut *Dominus*, quasi dicat, ô Pater agnosce me filium. Pater filio nil recusat. Itaque quam carum habes me filium, si nunc me orantem exaudi. Cum enim ideo crucem hanc ascẽderim, ut veniam impetrarem, novam crucem mihi impones, si abnueris. Hanc unam obedientiæ meæ postulo mercedem. 2. Considera vocem, *Dimitte* Fungitur officio Sacerdotis Dominus, orat enim pro peccatis populi, imo & hostiæ, nec gratuitam solum condonationem petit, sed & offert satisfa-

ctio-

ctionem, clamant vulnera, sanguis. sputa, dolores *Dimitte*, hæc pro peccatis eorum suscipe. Petit autem sine conditione & absolute dimitte, ut discas remissionem peccatorum; & divinam gratiam absolute petendam, quia semper ad Dei refertur gloriam: Deinde non petit dimitti tantum peccata commissa, sed omnia etiam futura 3, nota vocem, *illis*, id est; non tantum crucifixoribus, sed omnibus, qui peccatis suis causam dederunt meæ passioni. Itaque neque tu ab hac oratione exclusus es.

2. *Quia nesciunt, quid faciunt*: Considera Jesum judicem omnium, & læsum, non judicis & accusatoris, sed defensoris partes suscipere, cum tanta tamen peccati hujus fuerit malitia, ut nisi ignorantiæ nomine extenuari potuerit, imo cùm voluntaria fuerit ignorantia, mirum est, quomodo Judæos excusare possit. Excusabit ergo Christus nunc magis illorum peccata, qui cum dolore invocant nomen ejus. Et tu disce hoc exemplo excusare, non augere exiguas

proximi offensiunculas. Secundo, considera Judæos scivisse quidem, quid mali agerent, sed nescivisse, quæ ipsis mala impenderent: & omnes peccatores, dum peccant, nesciunt quid agant, quia si scirent quam graviter Deum offenderent quantasque pœnas mereantur, millies mori mallent.

MEDITATIO XXVIII.

De secundo verbo Christi. Luc. 23.

1. *CVm unus latronum Christo improperaret, si tu es Christus, salvum te fac & nos, alter eum increpavit. Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? & nos quidem juste nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit.* Considera, mirandam conversionem boni latronis, quo enim tempore Apostoli de Christo non audebant loqui, ille publice eum defendit, non absterritus Judæorum calumniis, non proditione Judæ, non fuga discipulorum, non Christi mortalitate, socium peccan-

tem insigni charitate corripit prius, quam sibi aliud à Domino petat, incutit timorem mortis impendentis, & judicii tremendi, peccatum suum agnoscit, & crucis pœnam in satisfactionem sufficit, Christi innocentiam prædicat, qui vere solus cum B. Virg. erat innocens. 2 Considera, si Deum velimus nobis propitiū, blasphemias in Deum & sanctos ex zelo esse arguendas, peccata syncere confitenda, & famam piorum, cum traducitur, tuendam.

2. *Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Considera, unde huic latroni tam repentina mutatio homini scelerato & infideli, & tam felix, ut primus omnium os suum ad fontem aquæ vivæ apponeret, ut solus Christi in cruce mereretur esse socius? Hæc vere fuit mutatio dextræ excelsi, ad cujus dexteram pependit. Considera, magnam ejus fidem, quod quem mori videbat credidit & professus est Dominum, & regem, non terrenum, sed cælestem. Deinde spem firmam, quod gravitas peccatorū eū non deterruit, quo minus

minus humiliter peteret sui memoriam non deponi, ubi ostendit summam in verbo modestiam ac submissionem.

3. *Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Considera, quomodo paulatim Salvator sinum misericordiæ expandat. Paulo ante pro crucifixoribus orabat, nunc latroni paradisum aperit. Quam benignus, Domine, quam largus, imo quam prodigus es in hunc latronem. Facile apparet te in mundum venisse, ut peccatores facias salvos, imo nihil aliud facere potes cum sis ipsa misericordia, imo fons omnis bonitatis. 2. Considera, si latronem, qui totam vitã in sceleribus transegerat, ob unius horæ pœnitentiam Christus paradiso remunerat, quid illis faciet, qui ad mortem usque fideliter ipsi serviunt 3. nota quod è duobus latronibus secum crucifixis, unum salvavit, ut nemo desperet, immipente morte, alterum vero non salvavit, ut nemo prætendens misericordiam Dei, pœnitentiam ad finem vitæ differat.

MEDI-

MEDITATIO XXIX.

De tertio verbo in Cruce. Joan. 19.

1. *STans autem juxta Crucem Iesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ,* Considera, fugientibus Apostolis mulieres usque ad crucem Dominum secutas, ac imprimis matrem ejus, tum quod cæteris esset ferventior, tum ne quem hactenus secuta fuerat, in morte desereret, & si quid posset solatii præstaret, vel obsequii, tum quia & ipsa parata erat, si fieri posset, per crucem mori, sciens sibi prædictum à sene Simeone: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Lucæ 2 Unde & ipsa præ aliis martyribus nobilius ibi martyrium, nempe in anima passa est. Secundo, considera Beatam Virginem, sanctum Joannem, & cæteras mulieres stetisse juxta crucem, non sedisse, aut exanimes concidisse, non enim satis est ad salutem, ut scimus vicini cruci, sed opus est stare erectos, & pugnare adversus tentationes. 2. *Cum*

2. *Cum ergo Iesus vidisset matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.* Considera, Jesum matrem suam vocare mulierem, quia maternæ aures sine novo vulnere illud dulcissimum nomen non tulissent: deinde ut doceret religiosos, qui mundo mortui cum Christo per obedientiam crucifixi sunt, oblivisci in terra patris & matris. Secundo, considera sub Joannis nomine omnes nos filios commendatos Beatæ Virgini, ut hac ratione Virginitatem cum Joanne amaremus, ipsam ut matrem coleremus & in omnibus tentationibus ad eam confugeremus.

3. *Deinde dixit discipulo: Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in sua* Considera matrem ideo sancto Joanni soli commendatam, quia cæteris fuga dilapsis ille solus fidelis amicus usque ad mortem permanserat? veros enim amicos & servos Christi crux discernit, id est, tentationum & tribulationum tempus. Filii ergo & genuini Beatæ Virginis

ginis sunt, qui ad crucem usq; Christum sequuntur. 2. Considera voce, *Ecce*, indicari summum beneficium esse, ut communem homo & Deus habeat matrem, ad quam confugias, in qua spem colloces, quæ mediatrix sit inter nos & Deum. 3. Considera sanctum Joannem, licet pauperem, hanc novam matrem recepisse in sua, non bona, domos, agros sed officia. Curam enim ejus egit, ne quid deesset. Tu roga Dominum, ut tibi etiam sit mater, & pro te apud filium jugiter intercedat.

MEDITATIO XXX.

De quarto verbo in cruce. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 21.

1. A *Sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam, & obscuratus est Sol.* Considera solem in Domini tui passione obscurari, ut sicut moriente patrefamilias tota domus pullis vestitur in signū luctus sic luctū de Domini tui passione in meditatio-

tationibus concipias. 2. ut discas gravitatem peccatorum mortalium tantam esse, ut levius sit Solem, & sidera interire, quam uno crimine Dei offendi majestatem: siquidem quolibet peccato mortali Deus est occisus. 3 ut intelligas Dominicæ passionis fructum esse in contemptu splendoris mundi hujus. Qui enim cum Christo confixi sunt, non honoribus, sed contemptu gaudent & neglectu Unde Paulus: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini.* Galat. sexto.

2. *Circa horam nonam exclamavit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamasabathani, id est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*: Considera, Christũ idcirco in fine tam miserabilem edidisse clamorem, quod revera in parte animi inferiore intolerabiles sentiret pœnas: pars enim illa nihil solatii, vel auxilii à superiore parte, nec ab ipsa divinitate conjuncta accepit, sed relicta fuit, ut pateretur quantum posset. Horâ nonâ autẽ corpus totum erat exhaustum, tum ex copia effusi sanguinis, tum ex incredibili cla-

clavorum dolore, tum ex letali sudore frigoreque undique diffuso. 2. Considera, quomodo in tali statu, moribundus ad cœlum sustulerit oculos, multisque profusis lachrymis clamarit magno affectu, *Deus meus, Deus meus*, qui numquam deseris clamantes ad te, cur me dilectissimum filium sine ullo solatio in hâc extrema lucta derelinquis? Hinc disce quid nobis, qui pleni peccatis sumus, futurum sit in hora mortis, si filius Dei ita deseritur, nisi Christo conjuncti maneamus?

Quidam autem illic stantes, dicebant, Heliam vocat iste Considera, hoc dictum esse, ut discas otiosos homines in rebus suis incurios, nihil nisi aliorum verba & facta carpere & ridere. 2, ab impiis ignorari discrimen inter Eli & Heliam, id est, inter honorem, qui Deo debetur, & qui sanctis, ut sunt hæretici nostri temporis, 3. illos sinistre Dei verba torquere, qui illa quidem audiunt, sed non juxta illa vitam instituunt.

ME-

MEDITATIO XXXI.

De quinto Christi verbo. Joan. 19.

1. SCiens *Iesus omnia consummata, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Considera Dominum in tantis crucis tormentis, mente tamen lustrasse Scripturas singulas, an quæ forte superesset nondum ad tuam salutem impleta, ut tu in Dei voluntatem, superiorumque jussa intentus, nihil omittas eorum quæ tui officii, vel vocationis sunt.
2. Considera Christum nihil umquam vel fecisse temere vel dixisse, sed eo retulisse omnia ut consummaretur Scriptura id est, voluntas Dei in ea expressa, sic effice tu quoque ut nihil agas, nisi quod consentaneum est tuæ vocationis legibus & obedientiæ, & mercedem mirum in modum in cœlo augebis.

2. *Sitio.* Considera, cur tot doloribus obrutus de sola siti queratur, nimirum, ut qui jam sanguinem suum totum effuderat, omnis generis cruciatus exantlarat,

larat, Patrem pro omnium peccatis orarat, indicare optare se, ut vicissim nos pro grati animi significatione aliquid offerremus. Sitiebat enim emendationem, perfectionem, & salutem nostram, sicut & sitivit à primo vitæ exordio. 2. Ut hanc sitim animarum testamento nobis relinquat. Mundus sitit opes, honores, voluptates, quæ magno quidem constant, sed sitim non explent, imo ut venena bibentem perimunt. At Christus te vult sitire ad fontem aquæ vivæ salientem in vitam æternam, id est, Deum, tuamque & aliorum salutem, sicut sitivit Christus, quæ sitim explent.

3. *Et continuo accurrens unus spongiã aceto impletam, imposuit arundini & hyssopo, & dabat ei bibere.* Considera, an hæc sit justa merces illius oris quod ad nostram salutem toties apertum fuit, & linguæ illius quæ tot documenta dedit, & tot ægros curavit, tot edidit miracula. Sed Christus, quia jam pro cæteris peccatis tuis aliis pœnis satisfecerat, voluit etiam gulæ & intemperantiæ medicinã adhibe-

hibere, & os, quod esu pomi in paradiso erat infectum, hac amaritudine quasi antidoto purgare. 2 Considera, nos acetum porrigere Christo, cum in rebus ad salutem spectantibus sumus tepidi & negligentes: mundo verò merum vinum præbere, cum nulli labori parcimus, in honoribus & existimatione nominis aucupanda.

MEDITATIO XXXII.

De sexto Christi verbo. Joan. 19.

1. *CVm accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est.* Considera, 1. non dictum esse, consummatum est hoc vel illud, sed absolutè, ut scias Dominica passione omnia perfecta, tam in cælis, quàm in terris, tam quæ ad Deum, quàm quæ ad homines pertinent. Sicut enim peccatum violavit omnia, ut discas in Christi passione omnia quærere, & cum Apostolo, in nullo nisi in cruce Domini gloriari. *Gal.* 6.

Consi-

2. Confidera quomodo consummarit omnia quæ ad Deum, vel se pertinebant. Primò enim quidquid à prophetis prædictum, per figuras veteris legis præfiguratum, à voluntate æterni Patris decretum vel mandatum, quidquid deniq; ad redemptionem nostram opus erat, perfectissima obedientia explevit. 2 quia nulla pars, nullum membrum in eo expers crucis fuit. Anima tristis fuit ad mortem. Corpus totum flagris laceratum, caput confixum spinis, capilli evulsi, facies deformata sputis & alapis, aures vexatæ blasphemiis & injuriis, manus & pedes transfossi clavis, lingua fellis & aceti amaritudine imbuta, & sanguis totus effusus 3. extremam manum apposuit omnium virtutum speculo & exemplari. In vita enim & passione elucet perfectissima obedientia, humilitas, paupertas, patientia, fiducia, fortitudo, perseverantia, & infinita charitas.

3. Confidera, quomodo consummarit omnia nos concernentia. Peccatum enim finem accepit, debita omnia soluta, fidelibus omnia bona comparata, nihil

ut nobis desit in ulla gratia. Ecclesia nova, cum novo sacrificio, novis sacramentis & legibus erecta, & missione Spiritus sancti in æternum confirmata, Sanctorum in limbo desiderium completum. In malis quoque odium Judæorum est finitum, imperium diaboli eversum, vires ejus fractæ, in abysso catena constrictus, nil amplius metuendus, sed etiam puerulis irridendus. Tu ergò post tanta beneficia, ne sis ingratus, sed conformes te ejus voluntati. *Voluntas enim ejus est sanctificatio nostra.* 1. Thes. 4. ut loquitur Apostolus.

MEDITATIO XXXIII.

De septimo verbo Domini in Cruce. Matth. 27. Marc. 25. Luc. 3. Joan. 19.

1. JEsus *magna voce clamans ait*: Considera, Christum, quoties Patri pro se locutus est, clamasse, ad alios vel pro aliis non item; ut discas magno affectu cum Deo agendum, & non aridè vel

vel frigidè deinde ut ſcias illo momento ad omnium dolorum culmen perventum fuiſſe. 2. Conſidera, cur clamarit orando, nempè ut indicaret ſe vitæ mortique Dominum, nec *niſi vocata*, inquit Nazianzenus, *auſa fuiſſet accedere.* 2 ut Deum Patrem ad commiſerationem pro totius mundi peccatis flecteret, omnium enim peccatorum perſonam in cruce ſuſtinebat. 3. ut ad infernum vox penetraret, quæ ibi exhilaravit Patres in limbo, ſed perterrefecit dæmones. 4. ut corda omnium hominum ad pœnitentiam commoveret.

2 *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Conſidera Chriſtum Scripturæ verbis orare, ut te doceret non tuo judicio & ritu Deum colere, ſed illo quem à Spiritu S. dictat Scriptura, vel ab eodem docta Eccleſia tradit. 2. Conſidera eum non oraſſe vel metu judicii & inferni, vel quod indigeret commendatione apud Patrem, ſed ut doceret te invictum ab oratione ſpiritum non relaxare, ſciresq; omnes pios hac oratione

Deo commendatos. Hos enim spiritus nomine compellat Dominus, qui ejus spiritu sunt imbuti. *Qui*, inquit, *natus est ex spiritu, spiritus est.* Joan. 3. Si autem nos Christus commendat Patri, docet & nos eidem animas commendare in benefactis.

2. *Et hæc dicens, inclinato capite tradidit spiritum.* Considera, inclinasse caput ut indicaret, quàm grave onus peccatorum sustinuerit. 2 quam pauper fuerit, non habens etiam in morte, ubi caput reclinet. 3. ut tibi suggerat quanta sint crucis commoda. 4 ut precibus tuis merito passionis suæ nitentibus annuat. 2. Considera eum tradidisse spiritum, tum Patri in tertium diem asservandum, tum nobis. Dederat etiam nobis ante corpus suum, sanguinem, vestes, restabat ut daret & animam, & pretium redemptionis nostræ fieret perfectum. Ut discas te tuum non esse, sed Christi, quia suis membris, tua; suis potentiis, tuas; suo corpore tuum; sua anima, tuam mercatus est tibi & redemit.

MEDITATIO XXXIV.

De signis mortem Christi secutis. Matt.27. Marc.15. Luc.22.

1. *ECce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum.* Considera Christo spiritum cum clamore emittente omnes creaturas ingemiscere, ac si cum conditore suo, vitæ finem faciente, & ipsæ deficere velle viderentur. Omnes, hominibus præ metu tacẽtibus, in ultionem impiorum se paratas exhibent, Deoque suo etiam viscera offerunt. 2. Considera velum templi ideò scissum, quia morte Christi omnia veteris testamenti mysteria, maximè autem cruentorum sacrificiorũ, patefacta sunt. Apertus & datus est in vera sancta sanctorum, id est, in cælestem patriam. Ut discas in posterum omnium excusationum & peccatorum vela à corde tuo tollere, & interiora Deo & Sacerdoti per confessionem patefacere in hac vita; sic enim opus non erit post

mortem in die judicii illa scindere, & toti mundo manifestare.

2. *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Considera, cùm Judæi peterent silentium indici turbis clamantibus; *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Luc. 19 Christum respondisse, iis tacentibus lapides clamaturos. Id verè nunc evenit, hominibus enim Christum confiteri non audentibus, petræ diruptione testimonium dant ejus divinitatis. 2. Considera, si nos, qui quovis peccato lethali Christum crucifigimus, de peccatis non conteramur, nec passioni Christi compatiamur, nec tremendam judicii diem timeamus, terra sumus insensibiliores, petris duriores, & mortuis magis mortui.

3. *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum surrexerunt, & in sancta civitate multis apparuerunt.* Considera hoc signo omnium maximè Christum apertis inferorum portis SS. Patres liberos emisisse. 2. eadem morte fœtentia cordium sepulchra aperienda esse, ut inde fœtor omnis peccatorum exhalaret.

exhalaret.3.corpora justorum aliquando resurrectura & cum Christo sine fine victura.2.Considera his quinq; Dominicæ passionis signis contineri effectus, quos in anima peccatoris operatur. Primò enim scisso velo ignorantiæ judicii dies, & pœnæ inferni illi objiciuntur 2.à terra, id est, mens timore illorum commovetur ad resipiscendum.3.cor saxeum ad pœnitentiam emollitur.4.per confessionem è sepulchro peccatorũ extrahitur.5. restituitur vitæ gratiæ, & dignus fit ingressu civitatis S. supernæ Jerusalem.

MEDITATIO XXXV.

De conversione Centurionis. Matth.27. Marc. 15.

1. *Videns Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, viso terræ motu, timuit cum suis valde.* Considera, quàm velociter sanguis Christi suas exerat vires, oratione tam efficaci Deo patri oblatus, quâ pro crucifigen-

tibus rogavit. Quæ enim terræ motu, aliisq; signis indicabantur, eadem hîc in animis hominum perficiuntur. Tu spem firmam concipe, eam tuis necessitatibus nunquam defore, qui etiam carnifices suos ad pœnitentiam revocavit. Considera, quæ conversionis Centurionis, sociorumq; fuerit causa, nempe quia ex adverso stabat, id est, mores, gestus & verba Christi sedulò observabat, sic tu si converti velis, diligenter perlege vitã Christi, ejusq; virtutes observa. 3. Considera, omnes timuisse cõspectis miraculis, quia *initiũ sapientiæ est timor Domini.* Prov. 1.

2. *Et glorificaverunt Deum, dicentes: Verè hic homo justus erat. Verè hic homo filius Dei erat.* Luc. 23. Considera, hũc primum crucis Dominicæ fructum esse, ut Deo sua gloria integra fide tribuatur, & quidem a carnificibus suis. Magna bonitas Domini tanta facilitate eorum crudelitatem in mansuetudinem commutantis, & opprobria in laudes Angelicas convertentis. 2. considera ingens miraculum, in morte atroci & infami illum à gentilibus agnosci Deum, qui vix homo

præ

præ corporis deformitate videretur. Nempè sanguis Christi ea credenda persuadet, quæ etiam omnem fidem humanam excedunt.

3. *Omnes quoq; è turba videntes, quæ fiebant percutientes pectora sua, revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres multæ, quæ in Galilæa ministrarant ei.* Considera, terræ motu & aliis signis turbam moveri, ut incipiant confiteri eum, quem ante spreverant, ut discas adversitatem sæpè utiliorem esse prosperitate, quia reddit nos cordatiores. 2. Considera, à longè stetisse mulieres notas, quæ Christo ministrarunt, ut discas hanc mercedem rependi earum charitati & eleemosynis, quod ad crucē usque perseverarint, sed à longè stetêre, quia exiguà earum crux fuit, si cum Christi cruce conferatur.

* * *

MEDITATIO XXXVI.

De latere Christi aperto. Joan. 19.

1. *JVdæi, quia erat dies Parasceves, rogaverunt crucifixorum frangi crura, sed latronum tantum fracta sunt.* Considera Judæos, cultus divini prætextu, longè aliud voluisse, ut nimirum Christum, quem expirasse nesciebant, graviori cruciatu de hac vita tollerent: ut discas hominum improborum malitiam semper crescere juxta illud: *Mali homines & seductores proficient in pejus.* 2. Tit.3. 2. Considera, utrumque latronem commune quidem sustinuisse supplicium, sed bonus ille peccata delevit, & nomen martyris sibi comparavit juxta Augustinum; malus gehennam addidit. Ut discas, quam mundus & diabolus suis cultoribus mercedem reddant, nempè duplicem pœnam.

2. *Iesu autem, cùm eum viderent mortuum non fregerunt crura, sed unus militum*

tum lanceâ latus ejus aperuit , & continuò exivit sanguis & aqua. Considera quàm magnum fuerit vulnus, non enim, ut notavit Augustinus, ait Scriptura, latus percussit, sed aperuit : unde & B. Thomas à Domino jussus est ei inferre manum post resurrectionem. 2. Considera, Christum amore voluisse id fieri, ut nihil de amore se remisisse ostenderet, imò, si opus foret , paratum iterum pati , ac ut quidquid in corde resederat sanguinis , ait Beatus Cyprianus, effunderet, nihil sibi reservans. Deinde ut amoris sui signum indelebile insculperet. Adhæ ut ad cordis ejus intima, velut per ostiolum in latere arcæ, penetrares. Deniq; , ut sicut ex latere dormientis Adæ educta est Eva, sic ex latere Christi dormientis Ecclesia , aquâ enim baptismi fideles generantur, & sanguine in Eucharistia cibantur.

3. *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus, ut & vos credatis. Facta enim sunt hæc, ut Scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo. Exod. 2. Et videbunt, in quē transfixerunt.*

runt. Zach. 11. Conſidera ideò S. Joannem multis verbis dicere ſe oculatum teſtem, ut diſcas eſſe myſterium magni momenti 2 ideò, quod de agno Paſchali in Exodo ſcribitur Chriſto attribui, quia ipſe eſt verus agnus, cujus os non debet comminui, id eſt, ejus potentiam in Euchariſtia non debemus ſcrutari, nec fraternam charitatem violare 3. in die judicii vulnera Chriſti impiis fore conſpicua; ut diſcas, quanta gloria ſit martyrum futura in cælo, qui cum Chriſto vulnerum cicatrices velut gemmas retinebunt.

MEDITATIO XXXVII.

De depoſitione de Cruce. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.

1. *Cum ſerò eſſet, venit Ioſeph ab Arimathia homo dives: & nobilis decurio, vir bonus & juſtus, & occultus Ieſu diſcipulus.* Conſidera, Dominum duobus Joſephis commendaſſe ſuam perſonam. Uni initio vitæ, à quo guberna-

bernaretur, alteri in fine, à quo ſepeliretur. Joſeph idem eſt, quod accreſcens, vel proficiens, quia Jeſus iis tantum ſe communicat, qui in vita ſpirituali in dies proficiunt. 2. Conſidera Joſeph occultum fuiſſe diſcipulum, ſed ne perderet tandem tantum theſaurum, prodidit ſe contemptis periculis, ut diſcas te non obtenturum Jeſum, niſi contemnas timores humanos & paratus ſis aliud pati. Roſæ non colliguntur ſine ſpinarum punctúris.

2. *Hic non conſenſerat actibus eorum, quia expectabat regnum D E I. Hic audacter à Pilato petiit corpus I E S V & impetravit, cum ex Centurione audiſſet eſſe mortuum, de quo mirabatur.* Conſidera hîc alias virtutes Joſephi, ſi vis eſſe dignus corpore Domini. Primò enim vitanda ſunt malorum conſortia. 2. ad regnum cæleſte eſt anhelandum. 3. conſtanter perficienda ſunt, quæ Dei gloriam promovent. 4. ſæpe magno deſiderio & devotione petendum eſt & accipiendum corpus Do-

mini. 2. Considera miram obedientiam Christi post mortem, quod noluerit corpus deponi citra licentiam legitimi magistratus, & ut illud ex gratia peteretur; tanquam malefactoris, quo terræ mandari posset. Deinde eximium in nos amorem, quod postquam dedit nobis sanguinem, animam & vitam, pro consolatione nostra voluit etiam corpus suum Josepho, & in eo nobis donari.

3. *Ioseph autem mercatus syndonem mundam, corpus Iesu depositum illi involvit.* Considera quantam reverentiam Joseph cruci exhibuerit, clavos ipse evulserit, & de cruce juvante Joanne & mulieribus paulatim, excipiente illud in sinum matre sua B. Virgine, demiserit. Quot hîc singultus, quot suspiria omnium & lacrymæ? Vide quomodo in oscula B. Matri ruat totius corporis, quomodo in pectus B Joannes, quomodo ad pedes Maria Magdalena. 3. Considera syndonem mundam esse, mundam à peccatis conscientiam, in qua debemus corpus

corpus Domini excipere, dum communicamus, & si non habemus, summo pœnitentiæ emere.

MEDITATIO XXXVIII.

De sepultura Domini. Joan. 19.

I. *VEnit & Nicodemus ferens mixturam mirrhæ & aloes quasi libras centum: Corpus autem Christi ligarunt linteis cum aromatibus.* Considera, quantum Nicodemus ex passione hac profecerit; Prius venerat ad Jesum nocte, nunc palam, tunc nihil præter quæstiones afferebat, nunc fert pretiosa aromata, & officium exhibet sepulturæ, ut discas in virtutibus progressum facere, omnemque metum & turpem verecundiam excutere. 2. Considera, neutrum accessisse munere vacuum, nam Joseph linteum & nobile sepulchrum dedit. Nicodemus myrrham & aloem in magna copia tulit ad obsequium corporis mortui, ut tu quoque ejus honori libententer labores tuos consecres. 3. cõ-

ſidera, quid officii præſtiterint corpori depoſito, quàm ſedulò omnia ejus vulnera contemplati ſint, quoties oſculati, quàm reverenter in ſubjectam pelvim, ſputa, cruorem, aliaſque ſordes abluerint, & pro reliquiis conſervarint, quomodo ablatum corpus linteis ligarint, & caput ſudario texerint.

2. *Poſuerunt autem Ieſum in monumento, quod Ioſeph exciderat in petra, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Et advolvit Ioſeph ſaxum magnum ad oſtium monumento, & abiit.* Conſidera, Chriſtum voluiſſe ſepeliri, ut nihil quæ ad homines pertinent, prætermitteret. 2. ut tu, maximè ſi religioſus ſis, cogites te eſſe ut mortuum & ſepultum mundo, & concupiſcentiis ejus. Conſidera, ut ſacra vaſa in templo ſic corpora noſtra, quibus corpus Domini in communione recepimus, poſſe dici ſepulchra Domini. Tunc autem ſunt in petra exciſa, quando in virtutis cultu conſtantes ſumus. Magnum autem ſaxum ſepulchro noſtro advol-

advolvimus, cum gratiâ Dei ita munimus pectus, ut nullus aditus sit dæmoni, carni & mundo.

3. *Mulieres autem sedebant contra sepulchrum, aspicientes ubi poneretur corpus Iesu, & revertentes paraverunt aromata & unguenta.* Considera, te cum corpus Domini susceperis in corpus tuum velut sepulchrum, debere à distractione mentis cavere, cum Mariis autem istis perseverare in contemplatione Jesu in corde tuo sepulti. 2. non satis esse, ut Christus semel sit unctus, sed cum mulieribus alia unguenta paranda, quia de virtute in virtutem est procedendum.

MEDITATIO XXXIX.

De custodia sepulchri. Matth. 27.

1. PRrincipes *Sacerdotum rogant Pilatum, ut jubeat custodire sepulchrum, ne discipuli eum furentur, & dicant surrexisse. Seductorem enim illũ dixisse. Post tres dies resurgam.* Considera-

quale ſtudium impiorum illorum ſit in tanto ſabbato, quod erat feſtum Paſchæ, ut obſcurent gloriam Chriſti, quando enim cum Deo Patre agendum erat, agunt cum homine profano, & infideli. Quos tu imitaris, dum negotiis externis diebus feſtis, quando templa & ſacramenta frequentanda ſunt, diſtineri te ſinis. 2. Conſidera, timeri ab iſtis impiis Chriſtum etiam mortuum: quantò magis timebitur vivus, dum veniet cum majeſtate vivos & mortuos judicaturus. 3. Conſidera, cur Chriſtum vocent ſeductorem, nempè quia populum ad veram fidem & ſalutē, Apoſtolos verò ad Evangelicam perfectionem adduxit, & doctrinam ſuam miraculis firmavit: ut non mireris nunc quoq; vocari ſeductores, qui alios ad Catholicam fidem, alios ad perfectius vivendi genus, & religioſam vitam traducunt.

2. *Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, Ite, cuſtodite ſicut ſcitis.* Conſidera, eum, qui ſemel impiorum voluntati conſenſit, non poſſe ſe facile ab eorum importunitate ſubducere, ut hîc accidit Pilato:

Pilato: & experiuntur, qui semel dæmoni se addixêre, aut meretriculæ amori dedidêre. 2. Considera, inde factum, ut Pilatus qui prius pro Christo stabat, nūc metu perculsus cum Judæis contra eum conspiret, dicens: Habetis præsidiarios meos milites, diligenter ergo custodite. Hic enim fuit peccati fructus, ut & auctor fieret, incensorq; malorum, & totus metu ob factam mentionem resurrectionis trepidaret.

3. *Illi abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.* Considera, hanc impiorum contra Deum solicitudinem gloriam Christi magis promovisse, & accidisse quod illi veriti sunt, ne novissimus error esset pejor priore, quo enim plures custodias & sigilla adhibuêre, hoc testatior facta est Christi resurrectio; & omnis suspicio furti adempta. 3. Considera studium Judæorū in malo, te salubrius imitari posse in bono; ut, si velis Jesum non tolli ex animæ tuæ sepulchro, præserves te non solum ab operibus malis, custodiendo sēsus externos, sed etiam obsignes signo

crucis,& custodias cor à cogitationibus & desideriis pravis.

MEDITATIO XL.

De descensu Christi ad limbum. Ephes. 4. Colos. 2.

1. CONsidera, quomodo Salvator noster eâdem immensa in nos charitate, quâ pro nobis crucem ascendit, & passionem consummavit, mox ad infernos in propria persona descenderit, ut opus redemptionis quàm perfectissimè absolveret. Sicut enim mortem elegit, ut nos à morte vindicaret, ita & descensum nunc in intima & obscurissima terræ penetralia suscepit, ut suos ab inferis liberaret. Unde discis, primò negotia gloriæ Dei & salutis animarum per te, & non per alios perficere. Secundò non dedignari pro consolatione vel auxilio proximorum vilia loca, ut hospitalia, carceres, & pauperum visere tuguria.

2. Considera, quàm incredibili gaudio perfu-

perfusi sint omnes Patres qui in obscurissimis terræ locis inde à condito orbe per duo, tria, quatuor, quinque millia annorum latuere, cùm perfringi inferni portas audirent, animamque Christi cum ingenti fulgore, Angelis innumeris stipatam, ingredientem viderent. Præcurrebat ibi reliquos sine dubio Joannes Baptista, & digito omnibus demonstrabat illam esse Christi animam, quem ipse baptizasset. Tum primus generis humani parens Adam, supplex ad Christi pedes & amplexum ruebat, idem Noë, Abraham, David & alii faciebant: eò autem majus fuit gaudium, quo major & diuturnior per tot annorũ curricula fuit hujus advẽtus expectatio, quò clariùs viderunt omnes promissiones Patribus factas, re ipsa completas; omnesq; tribulationes perpessas conversas in summam felicitatem & gloriam. Sicut enim in cælo & in terra nullum præstantius bonùm est, quam Deus, sic nullum majus potest esse gaudium, quàm Deum videre & possidere.

3. Considera quomodo ad Christi ad-

ventum omnes tartarei ſpiritus cæperint contremiſcere, & poſt ereptam tot Patrũ prædam, quam cum ſummo triumpho, fracto eorum robore, & potentia, glorioſè eduxit, cœperint fremere & tumultuari, & lamentabili ululatu ſuam ſervitutem deflere. Triumphabis & tu de dæmone multoſq; de ejus faucibus eripies, ſi multa cum Chriſto patiare, & tentationibus Dæmonis, mundi & carnis fortiter reſtiteris.

Finis Meditationum de Paſſione.

MEDITATIONES RESIDUÆ DE VITA CHRISTI ET DOCTRINA,

Quæ non incidunt in Dominicas vel Festa.

MEDITATIO I.

De Christi generatione æterna. Joann.1.

IN *principio erat verbum.* Considera, cùm duplex sit verbum humanum, vocale, & mentale, Christum, ut est filius Dei, à similitudine mentalis dici Verbum. 1. quia sicut verbum vel cogitatio mentis nostræ, quâ sibi mens loquitur sine passione & corruptione à mente procedit; ejusque est expressa imago, ita filius Dei incorruptam & passionis expertem á Patre trahit originem, & expressam ejus imaginem gerit.

 2. Sicut

2. Sicut mens sibi ipsi per verbum vel cogitationem loquitur, & in seipsam & omnia quæ scit agnoscit, ita & in Filio sibi ipsi Pater loquitur, & in eo quasi speculo & viva imagine, se omnesque creaturas contemplatur. 2. Considera per principium significari primordium mundi & omnium rerum conditarum: voce autem *erat*, denotari filii Dei cum Patre æternitatem. Sic enim jam erat Verbum cum mundus conderetur, rectè infertur, numquam ejus durationem incæpisse; si enim incæpisset, jam non præcessisset principium durationis & omnium rerum conditarum. Deinde dicit: *In principio erat*, non autem, *fuit*, ut significet verbum ita præcessisse res cõditas, ut tamen cum illis perseverarit & permanserit.

2. *Et verbum erat apud Deum.* Considera his verbis primò indicari, ubi fuerit filius Dei, vel Verbum ab æterno, is enim apud Deum Patrem fuit, qui incircumscriptibilis est nullo certo loco, nullis finibus fuerit circumscriptum.

2. quale

2, quale fuerit, non accidens, ut nostrum verbum mentale, vel vocale, in mente vel aëre inhærens, sed subsistens, non in Deo, sed apud Deum. 3. verbum hoc itâ per se subsistere, ut ab eo secundum personam distinguatur? 4. ita esse personam distinctam, ut tamen sociale & amicabili conjunctione maneat cum Deo Patre devincta. 5. procedere à Patre.

3. *Et Deus erat verbum.* Considera, sicut prima parte significata est æternitas Verbi cum Patre: secunda verò personalis ejus à Patre distinctio, ita hac tertia parte designari identitatem naturæ ejus & essentiæ cum Patre, ut licet Pater & Filius duæ sint personæ reipsa inter se distinctæ, maneat tamen unus idemque Deus. Debet enim in hac oratione præconstrui dictio, *Verbum*, ut sit sensus: *Et verbum illud, quod dixit erat Deus.* Verborum autem, quæ mox hic sequuntur apud B. Joannem: *Hoc erat in principio apud Deum*, hæc est sententia. Hoc nempè Verbum quod dico esse Deum, hoc, inquam, & non aliud erat in principio apud Deum. 2. Considera, hoc

Verbum divinum in eo distingui à verbo mentali nostro, quod hoc inefficax sit ad operandum, illud verò efficax ad omnia facienda, & ideo subdit S. Joannes: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* 3. Considera, si velis esse genuinus Dei filius, debere te magno desiderio æternitatis, h. e. conspectu Dei fruendi in æternum, teneri. 2. conversationem tuam habere in cœlis, id est, apud Deum, & ideò semper eum præ oculis habere, & non res terrenas. 3. Deo per intimum amorem ex toto corde jungi. 4. ut si naturâ esse non possis idem cum Deo, sis saltem voluntate & spiritu, *Qui enim adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* 1. Cor. 6. 5. ut non tantum multa bona cogites & velis, sed etiam facias. Debemus enim Deum diligere ut habet B. Joannes, non tantum verbo sed & opere & veritate.

* * *

MEDITATIO II.

De Christi Filii Dei incarnatione. Joan. 1.

1. Verbum caro factum est. Conſidera quis mundi ſtatus fuerit ante Fili Dei Incarnationem. Nempè idolis colendis, mutuis odiis & cædibus aliiſque flagitiis patrandis totus deditus erat. Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti: non erat qui faceret bonum uſque ad unum. Veritas exulabat, charitas refrixerat, & malitia abundabat, regnabat mors, dominabatur Satan, & in infernum innumera animarum turba præceps ruebat. 2. perpende quis ſtatus fuerit SS. Patrum in Limbo, poſt diuturnam captivitatem liberationis ſuæ, ſalutiſq; mundi cupidorum. Nimirum toto affectu ad Deum clamabant: *Vſquequo nos oblivi ſceris in finem. Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem.* Pſam. 87. Pſalm. 43. Veni tandem gloria gentis noſtræ, & ſpes unica

unica ſtirpis tuæ. Deſcere tandem,ô vere Jacob,domum paternam, & ab æterna requie tua deſcende, & carnem humanam aſſume.

2. Conſidera quomodo ſacrum trium divinarum perſonarum collegium utriuſque partis afflictiſſimum ſtatum dolenter perſpiciens cœperit agitare conſilia de certo remedio illos ab æterno exitio, hos captivitate diuturna vindicandi. Perſona Patris videbatur propendere in juſtitiam, ut peccatores ſecundum gravitatem delictorum punirentur. Perſona Spiritus ſancti verò in miſericordiam ut peccantibus parceretur. Filius autem conſiderans hominem ob temerè affectatam ſui ſimilitudinem in has miſerias delapſum, nec ſuis viribus poſſe emergere ad ſalutem, ſe ipſe obtulit paratum ad aſſumendam carnem & in ea ad profundendum pro ſalute hominis ſanguinem, cui oblationi miſericordiarum Pater cum Spiritu S. mox ſubſcripſit, & decreto una facto, Mariam Virginem digniſſimam eſſe, ex qua carnem aſſumeret, mox evocatur Gabriel

Ange-

Angelus, qui rem annunciet, & consensum ab ea impetret.

3. Considera consensu à B. Virgine impetrato, quomodo mox post verba illa, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Spiritus S. supervenerit, & virtus altissimi obumbraverit illam, sicut promiserat Angelus, & Verbum caro factum sit, Deus homo in utero B. Virginis: Sic celebratæ sunt æterni Verbi cum natura humana nuptiæ. *Sic misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculata sunt.* Sic humilis ancilla facta est mater sui creatoris. Sic homo miser & vilis in divinæ naturæ consortium est exaltatus.

2. Considera, humilitatem filii Dei, quòd vilis homo fieri voluerit, imò non homo tantum, sed caro, quæ in homine abjectissima est, communis scilicet cum lumbricis & vermibus, & aliis vilioribus creaturis: *Omnis enim caro fœnum*, Isaiæ 4. Factum est autem caro, non quia conversum sit in carnem, sed quod ita arctè illi conjunctum sit, ut quidquid fecit Deus, caro vel homo fecisse

fecisse dicatur, & quidquid passus est homo, Deus passus dicatur.

MEDITATIO III.

De virginitate Beatæ Virginis sponso Iosepho revelata. Matth. 1.

1. C*Vm esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Considera, quare non de simplici virgine, sed de desponsata Christus concipitur. Primum, ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur. 2. ne lapidaretur à Judæis ut adultera. 3. in Ægyptum fugiens haberet solatium & adjutorem. 4. ut partus ejus celaretur diabolo, ut discas dona cœlestia non facile mundo & dœmonibus patefacienda, ne margaritas projiciamus ante porcos, & ne per vanam gloriam ea amittamus. 2. Considera Beatam Virginem, etsi sciret se gestatione uteri causam suspicionis & mœroris daturā Josepho, tamen

tamen innocentiæ suæ consciam, & in Deo confisam, conticuisse, ut discas non turbari si quando inique infameris, modo conscientia te non redarguat, fiduciam autem omnem reponere in Deo, qui non negliget innocentiam tuam, cum opus erit, patefacere toti mundo.

2. *Ioseph cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Considera, licet Joseph secundum legem potuerit accusare & repudiare Virginem, postquam cognovit esse gravidam, tamen ad tuendum ejus honorem maluit eam dimittere occulte, ut discas omnium proximorum nomen & famam etiam post eorum lapsum, quoad fieri potest, tueri. Deinde eum prius rem diu expendisse; quam aliquid decerneret, & ideo apud Deum meruisse mysterii revelationem, ut discas in rebus dubiis non præcipitare consilium, sed invocato Dei auxilio sedulo perpendere, quid opus sit facto. 2. Considera, si Deus & matrem suam, & sponsum ejus justum permisit tantopere affligi,

non esse quod nos peccatores queramus si aliqua afflictione à Domino visitemur, Si enim justi simus, proderit ad meritum, si imperfecti, ad vitæ emendationem.

3. *Hæc eo cogitante, Angelus Domini in somnis apparens ei, dixit: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Iesum.* Cõsidera, quanta mysteria Angelus paucis his verbis sit complexus. Revelavit enim jam adesse Salvatorem tantopere à Patribus expectatum, omnes divinas promissiones, vocesque prophetarum completas, conceptionem ejus esse miraculosam, nempe ope Spiritus sancti, & ex matre Virgine profectam, salutem quoque ab hoc Salvatore expectatam non esse temporalem, sed spiritualem & æternam; addidit enim Angelus: *Ipse salvum faciet populum à peccatis eorum.* 2. Considera, quãto gaudio perfusus fuerit sanctus Joseph postquam è somno evigilavit, dum videt se non modo ab omni metu & suspicione

cione liberum, sed etiam in tantam dignitatem evectum, ut esset electus in spōsum, custodemque matris Dei, imo in nutritium ipsius Messiæ & Salvatoris. Unde nec dubium est eum statim ad pedes Beatæ Virginis tum forte precibus vacantis accidisse, & veniam pro erratis & suspicionibus humiliter postulasse, unaque cum ea Deo pro revelatione facta gratias egisse. Ubi discas in Deo, si quando ad tempus affligeris, spem omnem collocare, qui suo tempore novit cum tentatione facere proventum, exiguumque mœrorem amplissimis compensare consolationibus.

MEDITATIO IV.

De vita Christi ab anno ætatis 12. usque ad 30. Luc. 2.

1. *CHristus annorum duodecim Hierosolymis cum parentibus redit in Nazareth, & erat subditus illis.* Considera Christum, ut scribit Beatus Lucas, cœpisse primum facere, deinde docere, Nam

tris

triginta annis primo exercuit se in humilitate, paupertate, patientia, obedientiâ, & oratione, deinde vero tribus annis ultimis prædicavit & docuit alios ; ut intelligas, si verbo aliis prodesse velis, prius diu operam dandam pietati, bonorũque operum exercitationi; nam non facile docebis alios verbo, quod non ipse præstiteris exemplo. 2. Considera, etsi scriptum non sit, quid egerit Christus post annum duodecimum usque ad trigesimum, tamen non fuisse otiosum: à consuetudine mundi se subtraxit, in adeundo templo & orando frequens, sæpe matrem in humilibus officiis, sæpe sanctum Joseph in fabrili arte juvit. Nam Marci capite 6. de eo quidam dicunt, *nonne hic est faber?* Cur autem hæc fecit, nisi ut ad tempus solitudinem amemus, mundi consuetudinem vitemus, vanam gloriam fugiamus, prius bene discamus, quam ad alios docendos prosiliamus?

2. Considera ex una parte, bonum Joseph strenue laborantem, ut habeat, unde charissimam sponsam suam, & mundi fabrica-

bricatorem ſuſtentet: Ex alia, humilem Virginem ſuâ induſtriâ, nendo, texendo, aliiſque modis providentem cibum ei, qui in cælo Angelos, & in terra paſcit omnes creaturas. Compatere Chriſto, dū aſpicis & illum in ſudore vultus ſui inſtar primi Adam laborantem, non ut ſibi pro deſſet, ſed ut nobis exemplum daret humilitatis, obedientiæ, & charitatis. 2. Conſidera, quantum ſolatium beatę Virgini attulerit tam diuturna filii commoratio, quem certo credebat mundi creatorem: quanta reverentia ipſa & Joſeph eum allocuti fuerint. Quam promptus fuerit ille ad omnia, licet nihil ei imperare auderent. Aſpice illum ſervili cinctorio præcinctum, & per domum currentem, ut nunc S. Joſeph, nunc B. Virginem juvare queat dolandis aſſeribus, haurienda aqua, domo everrenda, foco conſtruendo. Veriſimile enim eſt nullos ibi fuiſſe, vel famulos vel ancillas. Circumſtantibus interim ſanctis Angelis & obſtupeſcentibus, cumque cum gaudio juvantibus.

Conſidera, quoties præter iſta corpora-

por alia opera & publica fecerit alia multa spiritualia & sublimia in secreto; ac imprimis, quoties labore diurno fessus in pauperculum suum cubiculum rediens, totas subinde noctes pro salute nostra, in oratione impenderit. Quoties multas horas in rebus cœlestibus matri patriq; explicandis impenderit. Quoties per diẽ labores orandi causa, petita à parentibus facultate, interrupit. Quoties memor inobedientiæ parentum primorum, ingratitudinis hominum, & perditionis tot animarum cum lacrymis animam suam crucifixerit, ut iram Dei placaret, & salutem nobis impetraret. 2. Considera, quod B. Lucas addit, *Christum cum ætate crevisse in sapientia & gratia apud* Deum *& homines*, ut discas si vere Christum imitari velis, te debere operam dare, ut nullum vitæ tempus sine fructu abire permittas, proficiendo de virtute in virtutẽ, tum apud Deum, per observationem divinorum præceptorum, tum apud homines per exempla bonorum operum.

MEDITATIO V.

De prædicatione Ioannis Baptistæ. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

I. JOannes Baptista habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos: esca autem ejus erat locusta & mel sylvestre in deserto. Considera Joannem adhuc puerum ingressum desertum, ibique usque ad trigesimum ætatis annum in summa austeritate vixisse, ut discas in vita semel pie inchoata perseverare, etiamsi molestiæ nonnullæ occurrant. Considera, si sanctus Joannes in utero matris sanctificatus, quo inter natos mulierum major nullus fuit teste Christo, *Matthæi decimo quarto* tam severe tractavit corpus suum quid nobis qui peccatis & imperfectionibus pleni sumus, faciendum sit.

2. *E deserto autem digressus, circa Jor-* [illegible] *prædicavit baptismum, dicens:* [illegible]*tiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum.* Considera, Deum evocasse Joannem ex deserto ad prædica-

dicationis officium, tum ut oſtenderet, perfectionem vitæ Chriſtianæ non in ſola contemplatione, quâ noſtræ ſaluti ſtudemus, ſed etiam in actione, quâ ſaluti aliorum operam damus, conſiſtere: tum ut intelligeremus eos, quibus incumbit munus alios docendi, debere eſſe amicos pœnitentiæ, orationis, & contemptus mundi, ut quod docent verbo, teſtentur vitæ exemplo. 2. Conſidera, quis ſcopus, quod argumentum debeat eſſe prædicatori vel doctori aliorum, nempe ut homines adducat ad pœnitentiam, id eſt, ad contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem pro ſuis peccatis. Et quia arduum id & durum videri poſſet, mollivit ſanctus Joannes, hoc initium prædicationis, dulcedine maximi præmii, nempe regni cœlorum appropinquantis, ut diſcas & tu inculcare hominibus magnitudinem mercedis futuræ, ſi pœnitentiam amplexi fuerint.

3. *Tunc exibat ad eum omnis Iudaa, & baptizabantur ab eo confitentes peccata ſua, illisque dicebat: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus*

non sum dignus solvere corrigiam calceamenti, qui baptizabit Spiritu sancto & igni Considera, quantam auctoritatem sibi conciliarit sola vitæ sanctitate Beatus Joannes, non solum apud imperitum populum, sed etiam principes, Scribas, & Pharisæos, sic ut turmatim ad eum audiendum convolarent: imo etiam suspicarentur esse ipsum Messiam lege promissum. Unde & consecutum est, ut facile eos ad patefacienda publice peccata, & suscipiendum novum baptismi ritum adduxerit. 2. Considera humilitatem Joannis, qui cum tantum nomen sanctitatis obtinuisset, tamen non se effert, non prædicat, sed ut Christum extollat, ejusque patefaciat divinitatem, se pedibus ejus submittit. Nimirum probe norat ad veram sanctitatem imprimis pertinere, honores, & magnam nominis existimationem contemnere, & se omnibus propter Christum subjicere.

MEDITATIO VI.

De Baptiſmo Chriſti. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

1. *IEſus venit à Nazareth Galileæ in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.* Conſidera filium Dei, ſimulatque parentibus & mundo valedixit, incedere ſolum ſine ſociis, (qui tamen habere poterat in comitatu multa Angelorum millia) miſcere ſe turbæ publicanorum & peccatorum, atque ſi unus eſſet de populo, ſubjicere ſe Joannis magiſterio, ut ab eo baptizetur in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum: cum ille prorſus eſſet peccati expers, nec pœnitentia egeret, imo eſſet magiſter omnium, qui ſolus baptizaret in Spiritu ſancto. Nos autem licet peccatis pleni, volumus videri gloria & honore digni, aliiſque imperare. 2. Conſidera, Chriſtum numquam ſe in actionibus ſuis exhibuiſſe vel oſtentaſſe, tamquam eximium & ſingularem hominem, ſed cæteris ſimilem, unde voluit

more aliorum circumcidi, in templo præsentari, & nunc à Joanne baptizari, ut discas in omnibus etiam spiritualibus te aliis accommodare, nec peculiaria privilegia tibi vendicare ob doctrinam, sapientiam, opus, industriam.

2. *Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Et respondit Jesus: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Considera, quantus stupor invaserit humilem Joannem, cum videret hoc modo Salvatorem mundi venientem ad se, cogita, quomodo magno spiritu ei occurrens se statim ad pedes ejus abjecerit, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Absit, absit, ut ego audeam te baptizare, creatura vilis Creatorem, homo Deum. 2 Considera, quomodo vicissim Christus humiliarit se coram Joanne, quomodo ambo, non de prærogativa honoris, uti nos, sed humilitatis & abjectionis contenderint. 3. Considera Christum complementum justitiæ vocare, si submittat se Joanni, hoc est, creator creaturæ; quæ ergo erit justi-

erit justitia nostra, dum non solum contemnimus inferiores, sed etiam ægre submittimus nos æqualibus aut superioribus?

3. *Christus à Ioanne baptizatus mox ascendit de aqua, eoque orante apertum est cœlum, & Spiritus sanctus in specie columbæ descendit in ipsum, & vox audita: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Considera, quomodo rex Angelorum non reformidat se in conspectu hominum vestibus spoliare, & aquam intrare, obstupescentibus Angelis, & vestes sublevantibus. Deinde quam trepide Joannes sequatur; & aquâ caput Christi devotè perfundat. 2. Considera propter hanc ineffabilem Christi abjectionem ruptum cœlum, effusos ex eo Angelos, ut nuditatem ejus operirent. Et quia homines non capiunt tantam humilitatem, voluit Deus declarare voce cœlitus missa, hanc virtutem esse quâ sibi maxime complacuit in Christo. 3. Considera descensu columbæ indicari, Spiritum sanctum illabi illis, qui proprietates habent colum-

bæ,

bæ. Nam velut illa utitur gemitu pro cantu, non ferit rostro, caret felle, non habet ungues recurvos, & educat pullos alienos æque ac proprios: sic homo perfectus dolet de peccatis, famam nullius lædit, est iræ odiique expers, nil alienum usurpat, necessitatibus proximi æque ac suis prospicit.

MEDITATIO VII.

De vocatione primorum quinque discipulorum. Joan. 1.

1. *ALtera die stabat Ioannes, & ex discipulis ejus duo: Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.* Considera, Christum venisse ad servum suum Joannem Baptistam. 1. ut eum honoraret. 2. ut testem sui adventus acciperet. 3. ut aliquos ejus discipulos ad Apostolatum vocaret. Unde Joannes demonstrando illis Christum, mentibus eorum tantam impressit dignitatem Salvatoris, ut eis persuaserit Christum sequendum. 2. Considera, quod Joan-

nes primo steterit. 2. respexerit Ies m ambulantem. 3. dixerit, ecce agnus Dei. Unde disce, si alios docere velis, primo debere te esse constantem in doctrina & vitæ exemplo. 2. debere diligenter totum vitæ Christi progressum expendere. 3. hanc Christi vitam aliis imitandam proponere.

2. *Iesus conversus, videns duos discipulos sequentes se, dixit: Quem quæritis? Tum illi: Rabbi ubi habitas? Et Iesus: Venite & videte.* Considera, Christum statim convertisse oculos in eos qui se sequuntur, ut discant, qui relicto mundo Christum secuti sunt, ob virium suarum imbecillitatem, aut vitæ initæ asperitatem, non animum despondere, nam talibus mox Christus misericordiæ suæ respectu addit animum & fiduciam, viresque suppeditat. 2. Considera, hos duos discipulos, impendente licet vesperâ, comitatos Christum, illosque ab eo benigne receptos, ut discas nullum tempus esse, quo non possimus facere bene, Deoque servire. Qui in juventute non comitatus est Christum, saltem comitetur

in

in senectute, ætatis vespera.

3. *Venerunt & viderunt, ubi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.* Considera, quanto Dominus promptior sit ad dandum, quam nos simus ad petendum. Nam cum Dominum non aliud sciscitati essent, quam ubi habitaret, ut postea eum invenire possent, is non fuit tam exiguâ petitione contentus, sed porro invitavit eos, ut secum pergerent, & si vellent una pernoctarent. Recte autem dicit Evangelista, discipulos illos totâ die apud eum mansisse, neque enim nox esse poterat, ubi erat Christus verus Sol justitiæ, & lux mundi: O quam suavia illius clarissimæ noctis fuerunt colloquia! 2. Considera sicut discipuli illi experientia probarunt, quam jucundum fuerit toto die cõmorari cum Christo, cumque loquentem audire; ita religiosos, qui summâ spiritus voluptate fruuntur, in sua religione solos capere; quantum bonum sit servire Deo.

II. PARS.

1. *Duorum illorum unus erat Andreas, qui invento Simone fratre mox dixit Invenimus Messiam, & adduxit eum ad Iesum.* Considera Andream statim post inventum Messiam, thesaurum absconditum, spiritu Apostolico communicare fratri suo, ut nempe qui sanguine dudum sibi junctus esset, etiam fide, & religionis studio jungeretur, & ideo recte ait se invenisse Christum: quia hoc est invenire Christum, amore ejus accendi, curandæ etiam proximi saluti incumbere. 2. Considera quam alius longe sit spiritus hujus sæculi, quod omnibus modis laborat, ut sanguine junctos & cognatos abstrahat à studio perfectionis, & Christo in abrenuntiatione omnium rerum sectanda.

2. *Intuitus Simonem Iesus dixit, Tu vocaberis Cephas, vel Petrus. Deinde invenit & Philippum, dixitque ei Iesus: Sequere me. Philippus autem invenit Nathanael, & dixit: Invenimus Iesum*

Iesum filium Ioseph à Nazareth. Tum ille. A Nazareth potest aliquid boni esse? Considera, mirabilem Dei providentiam, quod cum Andreas prior vocatus fuerit, & immediate à Deo, Petrus vero posterius & per hominem, tamen Christus eum indicet Ecclesiæ fundamentum futurum. 3. Considera, proprium eorum qui ad sequendum Christum adducuntur, esse munus, ut & alios adducant, hoc est, bonum suum non sibi soli usurpent, sed liberaliter aliis communicent. 3. Considera, voce Nazareth Hebraice significari sanctificatam, separatam, custoditam & floridam; itaque non posse non aliquid boni ab illa manare. Si enim sanctificatus, & in gratia Dei sis, omnia opera tua sunt meritoria, si separatus à mundo, sanctus redderis corpore & spiritu, Si sensuum portas sedulo custodieris, non facile ab hoste expugnaberis: si denique floridus, non potes non bonum odorem piæ vitæ exemplo exspirare.

3. *Vidit Iesus Nathanael venientem*

ad

ad se, dicens: Ecce verè Israel ta, in quo dolus non est. Tum ille: Vnde me nosti? Cùm esses sub ficu, inquit, vidi te. Tum ille: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel. Considera, eos Deo charissimos esse & verè Israelitas, id est, perfectos Christianos, qui ab omnibus dolis & fraudibus sunt alieni. Unde & Christus Apostolis hanc virtutem commendavit, dicens: *Estote simplices sicut columbæ.* Matth. 10. Et in canonizatione Sanctorum hæc imprimis virtus commendatur. 2. considera, Nathanaelem, licet Apostolica hâc virtute præditus esset, tamen in numerum Apostolorum non esse ascitum, quia Christus voluit converti mundum, & humanam confundi sapientiam, per homines rudes & idiotas, quo constaret non humanâ, sed divinâ virtute Christianam religionem persuasam mundo: Nathanaël autem erat homo eruditus, & legis Doctor. 3. Considera, doctrina adjutum Nathanaëlem, ut citiùs adverterit Christum secum loquentem esse Messiam, quia videbat duo illa abditissima

tiſſima; quæ de ipſo prodidit Chriſtus, non potuiſſe ſciri, niſi à Deo.

MEDITATIO VIII.

De ejectis templo vendentibus. Joan, 2.

1. IESVS *Hieroſolymam ingreſſus, cùm in templo inveniſſet vendentes oves & boves flagello omnes ejecit.* Conſidera, Chriſtum ante omnia adiiſſe templum, quia in omnibus actionibus ſuis primò ſemper quærebat Dei gloriam. Et cùm adverteret illud fœdè à negotiatoribus profanari, licèt mortalium mitiſſimus eſſet, & ipſe agnus Dei zelo divino accenſus ex funiculis fortè oblatis confeciſſe flagellum, terribilique vultu totam illam ſacrilegam turbam ejeciſſe. Conſumatur & cor tuum vindicandi divini honoris zelo, quando tuum Dei templum, id eſt, animam tuam advertis belluinis carnalium affectuum motibus profanatum, & flagello pœnitentiæ in illud deſævias. 2. Conſidera, funiculis deſignari peccata, quibus homo velut funibus conſtringitur, ut intelligas Deum

ex peccatis nostris sumere castigandi materiam, eò quòd dum in malo persistimus, & peccatis peccata addimus, multiplicemus funiculos, è quibus fiat flagellum quo castigemur.

2. *Ejecit quoque oves & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* Considera oves esse, qui specie pietatis alios decipiunt: boves quæ sunt bestiæ laboriosæ, esse Prædicatores, qui ob quæstum suum, & non ob lucrum animarum verbũ Dei annuntiant, nummularios autem qui Deo non integrè serviunt, sed partim Deo, partim mundo, & qui non purè quærunt Christi gloriam in actionibus suis, sed sua potiùs commoda. 2. Considera, si Dominus tam graviter tulit animalia innoxia ementesque & vendentes illa tantùm, quæ cultui divino erant dedicata, & jamjam offerenda, quid facturus esset, si invenisset in eo homines confabulantes de rebus vanis, nugatores, impudicos, famæ alienæ detractores, irrisores, nullaque devotione præditos?

3. *Et his qui columbas vendebant, dixit:*

xit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Considera columbas spiritaliter vendere eos, qui receptam Spiritus sancti gratiam, non gratis uti deberent, sed pro mercede aliis communicant, vel qui non secundùm merita, sed secundùm hominum favorem & gratiam, illam impertiunt, vel denique qui beneficia Ecclesiastica simoniacè emunt, vel vendunt. 2 Considera, Christum mitius locutum vendentibus columbas, tum quia pauperiores, & simpliciores homines esse solent, qui vendunt aves? tum quia per columbas, volucres innoxias, Spiritus sanctus designabatur. Ut discas, zelum temperare, quando agendum est contra eos, qui ex ignorantia & simplicitate potiùs quàm ex malitia & protervia in aliqua re divinum honorem lædunt.

MEDITATIO IX.

De colloquio Domini cum Samaritana. Joan. 4.

1. JESVS *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem sub horam sextam*, id est, circa meridiem. Considera, Jesum benedictum per montes & valles, à mane usque ad meridiem sine cibo & potu, quærentem errantem oviculam, ut eam deducat ad ovile, ac tandem more hominum de via fessorum sedere supra fontem, ut ibi tanquam peritus auceps verborum suorum reti aucupetur aviculas ratione præditas, unaque capta, ea duce utatur ad alias in rete illiciciendas. 2. Considera eum sedere sic, id est, in terra, qui sedet supra Cherubinos: sedere supra aquas mortuas, ut commutaret eas in aquas vivas, ad quas per Prophetam omnes invitavit, dicentem: *Omnes sitientes venite ad aquas*, supra puteum profundum, quasi super novam cathedram, ut patefaciat nova & profunda mysteria scripturarum.

2. *Venit mulier de Samaria haurire aquam*

aquam, cui dixit: Da mihi bibere. Discipuli enim iverant in urbem, ut cibos emerent. Considera, admiranda Dei judicia, & quàm verè dixerit Apostolus: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Rom. 9. Mulier enim hæc neque quærebat Christum, neque currebat ad salutem, minus volebat, & tamen divina pietas ejus est miserta, liberans eam à peccatis, & similem efficiens Apostolis, utpote quæ Samaritanis Christum annuntiavit. 2. Considera, eum qui venerat ad dandum verum potum, postulare bibere, ardebat nimirum desiderio, non jam extinguendi sitim corporis, sed cordis, hoc est, animam illam convertendi. Nec enim legitur, eum postea bibisse. Parvifaciebat Dominus lassitudinem suam, & sitim; pluris æstimabat animæ salutem, quàm potum aquæ 3. Considera, tunc potum petere à nobis Dominum, quando interna inspiratione nos impellit, ut relictis peccatis convertamur ad se fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam.

3. *Quomodo, ait mulier, tu cùm Iudæ-*

us sis, bibere à me Samaritana poscis? Tum Iesus: Si scires, quis poscat, forsan petisses ab eo aquam vivam, Considera Christum ex habitu à Samaritana agnitum Judæum, ut discamus, si velimus imitari Christum, nos eo habitu uti debere, quo cognoscamur esse Christiani. Turpe est enim honestate habitus nos etiam à Turcis & Judæis vinci. 3. Considera sapientiam Christi sensim ab aqua materiali transeuntis ad spiritualem, ut doceret nos, cùm volumus convertere peccatorem, opportunitatem venari loquendi de tali materia, & primum loqui de eo quod ejus professioni convenit, & pedetentim quasi aliud agendo in sermonem de salute spirituali delabi.

II. PARS.

1. *Domine, ait mulier, puteus altus est, nec hydriam habes, unde ergo habes aquam vivam? Respondit, qui biberit ex mea aqua, non sitiet in æternum. Tum illa: Da mihi hanc aquam.* Considera, quâ arte Dominus paulatim cor durum mulieris emolllliat, primò enim

se magnum aliquem virum esse indicat. 2. promittit aquam vivam. 3. exponit affectus aquæ quòd sitim perpetuò tollat, & saliat in vitam æternam, id est, vivificet animam. O raram liberalitatem Christi, ignorantibus vivam gratiæ suæ aquam patefacientis, ac non petentibus etiam offerentis, nec mirum, nam divinæ bonitatis fons est suiipsius diffusivus, & ideo quærit hortos, in quos donorum rivos effundat. 2. Considera, aquam hujus mundi significare opes, honores & voluptates sæculi, quæ non possunt extinguere sitim, sed augent potius. Aquam verò Christi designare gratiam Dei & bona cœlestia, quæ verè sitim nostram explent & extingunt.

2. *Vade: inquit Iesus, voca virum tuum: Tum mulier, non habeo virum. At Iesus quinque habuisti, & quem habes, tuus non est. Tum illa: Video, quia Propheta es tu.* Considera, Dominum non antè se voluisse manifestare illi, quàm confessa esset virum suum non esse, cum quo habitaret, ac proinde se peccatricem esse.

Neminem enim gratiæ ſuæ participem facere ſolet, niſi priùs ſe humiliet, & peccata ſua confiteatur. 2. conſidera, cùm mulier procul dubio hac confeſſione ſua multùm erubuerit, quomodo à cœleſti medico mox fuerit adjuta & curata; benignè enim confeſſionem ejus confirmavit, & bis collaudavit, quod verè dixiſſet. Honorifica enim res eſt apud Deum peccati confeſſio, & laudem potiùs, quàm pœnam meretur. 3. Conſidera, quomodo poſt expiata humili confeſſione crimina, aqua viva antè oblata ex anima illa ſcaturiat, & ſenſim vivi fontis inſtar in cœlum aſcendat, non enim vocat amplius Judæum, ſed Prophetam, loquitur de adorando Deo, de Meſſiæ adventu

3. *Cùm mulier dixiſſet, ſcio quia Meſſias venit, Ieſus ait*: Ego *ſum, qui loquor tecum. Sic mulier relictâ hydriâ abiit in urbem, nuntiat ſe vidiſſe Meſſiam. Diſcipuli autem mirati ſunt eum cum muliere locutum.* Conſidera, quomodo ſylveſtris hæc ovicula paulatim verbis Chriſti emollita patiatur ſe tangi & capi à ſuo paſto-

paſtore. Ignara enim licèt adhuc quis ſit, incipit in eum credere, eumque amare; & ideo dicit ſe ſcire Meſſiam venturum, & optare ab eo doceri. Quid hîc reſtabat, niſi ut paſtor ſe proderet & oviculam in humeros rejectam deportaret ad ovile. Dixit ergo ei; *Ego ſum qui loquor tecum.* 2. Conſidera, hoc reſponſo dato, tantum ignem in pectore mulieris accenſum, ut ardoris impatiens, oblita hydriæ, aufugerit in urbem, quò totum populum eodem igne accenderet, ſicut & factum eſt. Nec mirum eſt hydriæ oblitam, quia jam biberat, jam ſitim perfectè reſtinxerat, ut diſcas & tu deſerere hydriam carnalium cupiditatum, ſi velis aliis viam ſalutis oſtendere. 3. Conſidera, Apoſtolos miratos, Chriſtum loqui cum muliere, quod fecit, ut doceret inprimis religioſos & clericos, rarò loqui cum mulieribus, & ſi fiat, paucis verbis, nec ſine comite.

* * *

MEDITATIO X.

De principio prædicationis Christi.
Matth. 4. Marc 1. Luc. 4.

1. *IESUS relicta civitate Nazareth venit in civitatem Capharnaum, Galilææ metropolim.* Considera, cur Jesus patriam suam deserat, nempe ut doceret, si liberè velimus aliis annuntiare veritatem, debere exuere nos omnem inordinatum erga parentes & cognatos affectum, deinde munere prædicandi fungi; ubi spes est uberioris fructus, ut erat in alia urbe populosa. Tertio, ut traderet modum in persecutione servandum, ut scilicet non temerè nos periculis exponamus, sed fugiamus cum Christo, qui in patria non erat receptus.
2. Considera, Jesum non inchoasse prædicationem Hierosolymis apud principes, sed apud pauperes Galilæos, ut doceret non esse ambiendas cathedras celebres, sed unum animarum fructum spectandum. Unde & tot millia de populo eum sequebantur.

2. *Exinde cœpit Iesus prædicare, quoniam*

niam appropinquavit regnum Dei: Pœnitemini, & credite Evangelio. Et fama exiit de illo per totam regionem. Considera caussam cur Christus non cœperit prædicare, nisi Joanne Baptista in carcerem conjecto. Nempe ne occasionem daret Schismati, vel dissensioni populari, deinde exemplum humilitatis daret prædicatoribus, ut facilè cedant, non solùm superioribus, sed etiam paribus & inferioribus in munere prædicandi. 2. à pœnitentia exorsus est, sicut Joannes, tum ut ejus doctrinam confirmaret, tum ut doceret nos, non aspernari aliorum, qui nos præcesserunt, si bona sit, doctrinam. Adhæc ut ostenderet, primam & auream clavem, quâ peccatoribus aperiatur regnum cœlorum, esse pœnitentiam, hoc est, dolorem de peccatis vitæ anteactæ, confessionem eorundem, & satisfactionem per bona opera. Hæc enim pœnitentia regnum cœlorum, quod propter peccata longissimè à nobis recessit, rursum nobis apppropinquat, modò vera fides Catholica à pœnitentia non absit.

3. *Et circuibat totam Galilæam, docens in Synagogis, & sanans omnem languorem, & secutæ sunt eum multæ turbæ, magnificantes eum.* Considera, hîc in Christo, velut in speculo, formam boni Prælati, & Prædicatoris. Primò enim debet circuire, id est, omnem ignaviam excutere, & subditos invisere, cognoscereque num omnes rectè credant & vivant. 2. circuire Galilæam, in qua erant gentiles mixti Judæis, pauci divites, multi pauperes, id est, omnes promiscuè Christo lucrifacere hæreticos, malos Christianos, & inopes. 3. docet in Synagogis, tradere doctrinam Christianam, in scholis & templis. 4. adjumento esse non solùm in rebus spiritualibus, sed etiam in corporalibus. 5. doctrinam tradere non curiosam, sed animabus salutarem. & communi omnium Christianorum consensu approbatam. 6. doctrinam verbis traditam; stabilire exemplo.

* *
*

ME-

MEDITATIO XI.

De socru Simonis. Matth. 8 Marc. 1. Luc. 4.

1. *Egressi de Synagoga venerunt in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt Iesum pro ea.* Considera, non caruisse mysterio hunc transitum Jesu ad domum Petri ex Synagoga. Nusquam legimus illum post itineris & prædicationis labores, ad quietem vel cibum capiendum divertisse ad magnifica palatia, sed ad piscatorum, aliorumque pauperum ædes, uti hæ Petri fuêre. Quid autem aliud erat hæc Petri domus nisi Ecclesia, cujus Petrus custos & pastor factus est, dum Christus ei diceret: *Si diligis me, pasce oves meas,* Joan. 21. quas Christus elegit in sponsam, repudiata rebelli Judæorum Synagoga. 2 Considera Apostolos non solùm invisisse ægram, sed etiam intercessisse pro illa, ut discas, cùm non potes opere, precibus saltem apud Deum & homines divites infirmos juvare, deinde & implorare auxilia Sanctorũ

in cœlo, ut patrem misericordiarum pro nobis & illis interpellent.

2. *Iesus accedens illam imperavit febri, & manu elevavit eam, & mox surgens ministrabat eis.* Considera, cur Jesus conscius illam ægram esse, expectarit donec discipuli rogarent pro ea. Nempe quia domus Petri debuit esse domus fidei, charitatis & orationis, & ideo illas virtutes in ea exerceri voluit. Potuit & verbo absens eam sanare, sed ad ostendenda majoris amoris signa, voluit in persona propria eam adire, manuque tangere, & febri imperare, ut tangendo se hominem imperando Deum esse monstraret. 2. Considera, quomodo febris non solùm recesserit, sed vires ita in ea firmatæ fuerint, ut repentè ex lecto exiliens cœperit magno studio, ut gratam se ostenderet, ministrare. Ut discas, non te dare otio, cùm à peccatis fueris solutus, & jacturam præteriti temporis in morbo vel corporali, vel spirituali factam novo studio resarcire.

3. *Vespere facto varios ægros ducebant ad eum, dæmoniacos, & ille manu imposita*

sita eos curabat. Dæmonia autem clamantia: Tu es filius Dei, non sinebat loqui. Considera, in sola Petri domo, id est, Ecclesia Romana esse absolutionem ab omni genere spiritualium morborum, id est, peccatorum, ac etiam corporalium; quando fiunt miracula. 2. vesperi vel nocte tribulationum plures sanari, quàm luce prosperitatis, per adversa enim plures redeunt ad se, & convertuntur ad Deum, quàm per prospera. *Vexatio dat intellectum. Isa.* 28. 3. Christum non permisisse loqui dæmonia, ut doceret nos, dæmonem semper pro hoste infesto habendum, & nunquam ei communicandum, sive in bonis sive in malis. Quò enim videtur commodis nostris amplius favere, hoc amplius nostræ saluti insidiatur.

MEDITATIO XII.

De Paralytico juxta piscinam sanato. Joan. 5,

1. IESVS *à paralytico 38. annorũ juxta piscinam Hierosolymis jacente, cùm roga-*

rogasset. Visne sanus fieri? Is respondit: Hominem non habeo, qui me mittat in piscinam. Considera divinæ sapientiæ altitudinem, quòd ex plurimis ægris ibi jacentibus unum tantùm sanandum sumat: id enim facit, ut conservemur in timore Dei, in cujus manu vita æquè ac mors nostra posita est. Deinde, ut magis excitemur ad illum amandum, cujus gratia scimus nos misericordissimè præventos. 2. Considera, licèt Dominus non ignoraret, quid hic æger peteret, tamen ab eo interrogavit, velletne esse sanus, ut suam exponeret voluntatem, Jesus enim non est Salvator eorum qui nolunt, sed volunt, & suæ saluti cooperantur? nam ut dicit B. Augustinus serm. 15. de verb. Apost. *Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te.* id est, sine cooperatione tua. Tum rogavit, ut eum accenderet ad desiderandam sanitatem, sicque dignior illâ redderetur. 2. Considera per paralyticum hunc designari peccantes ex consuetudine longa; per cæteram verò turbam languidorum, cæcorum, claudorum, & aridorum, jacentium

um ad piſcinam, peccantes ex negligentia, ignorantia, fragilitate & malitia, qui ſi velint, omnes ſanari poſſint.

1. *Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et ſuſtulit, ac ambulabat. Tum Iudæi: Sabbathum eſt, inquiunt, non licet tibi tollere. Et ille: Qui me ſanavit, juſſit.* Conſidera, tunc Dominum peccatori dicere: Surge quando condonato peccato, infundit illi ſuam gratiam. Tunc autem peccator tollit grabatum, cùm diſplicent, quæ priùs delectabant, ambulat verò, cùm gratiæ acceptæ cooperatur, exercendo ſe in operibus bonis. 2. Conſidera, Judæos arguere in paralytico, quod videbatur eis reprehenſibile, & non quod erat laudabile, nempe miraculum adeptæ ſanitatis, perverſi enim in aliis notare tantùm ſolent mala, quæ publicent, non autem bona; aut ſi nocent, in malam partem interpretantur. 3. Conſidera, grabatum eſſe bona hujus vitæ, opes, honores, & voluptates, in quibus homo æger decumbit, quando illis delectatur, quando verò pro onere reputat, ſignum eſt eum ſanum eſſe & ambulare.

3. *Iesus, cùm declinasset à turba, invento postea in templo paralytico, dixit: Sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Considera, Jesum ideo declinasse, ut doceret in bonis operibus non quærendum hominum applausum, deinde aliquando expedire digredi ab illis, qui ad calumniandum sunt proclives & optima intentione facta, in pessimam partem interpretantur. 2. Considera, paralyticum postea inventum à Christo in templo, ut discas, quoties gratiâ aliquâ à Deo ditatus fueris, gratias ei referre, non linguâ tantùm, sed religiosa etiam conversatione, frequentando Ecclesias, audiendo conciones, & vitam pristinam in meliorem commutando, ne subtracta à Deo per ingratitudinem nostram gratia, deterius aliquid nobis contingat, hoc est, in priora peccata relabamur, & in iis ex desperatione veniæ moriamur.

* * *

ME-

MEDITATIO XIII.

Nazareni Christum voluère præcipitare, Matth. 13. Marc. 6, Luc. 4.

1. JESVS *ingressus Synagogam in patria sua explicato loco Isaiæ, plicuit librum, dicens: Hodie impleta est hæc Scriptura.* Considera, Jesum noluisse initium prædicationis & miraculorum facere in patria Nazareth, ne videretur ad id potius humano in populares affectu, quam puro animarum zelo permotus. Noluisse tamen omnia illis præsidia subtrahere, tum quòd lege quadam naturæ, dilectionisque ad id esset obligatus, tum quòd officium ejus esset omnes ad salutem vocare. 2. Considera eum post quædam ex Isaia lecta plicuisse librum, ut indicaret non omnia omnibus promiscuè prædicanda, sed habendam rationem capacitatis auditorum. Deinde non dixisse ea de se scripta, sed tunc esse completa, ut indicaret, quàm modestè de rebus ad laudem vel honorem nostrum pertinentibus loqui debeamus.

2. Et

2. *Et omnes mirabantur ejus doctrinam, dicentes: Vnde huic sapientia, nónne hic est fabri filius Mariæ? & scandalizabantur in eo.* Confidera, stultos Nazarenos indignari Christo ob parentelæ humilitatem atque si homo sapiens, & miraculorum patrator non possit nasci ex humili prosapia, cùm & David tot regum radix, & Moyses ex humili pastorum stirpe orti sint. Deinde rectè Christum ab iis dici fabrum, vel filium fabri, quia filiis erat fabri illius magni, qui fabrificavit totum orbem terrarum. 2. Confidera, cur cùm Nazareni petierint etiam signum aliquod exhiberi in patria sua à Christo, sicut fecerat in Capharnaum, tamen non fecerit. Nempe, quia ex vanitate petierant, ne ipsorum civitas videretur contempta præ aliis; deinde, quia cùm esset sanctus sanctorum, & alii Christi parentes apud eos nati, tamen velut ingrati, tantum beneficium nihili fecerunt, & unde moveri debuerant, ut Christum magni facerent, nempe ex doctrina admiranda, & miraculis; inde ansam arripuerant eum calumniandi. Sed mirum

non

non est Nazareth non cognovisse suum Christum, cùm nec mundus, teste Joanne cap 1. cognôrit.

3. *Christus dixit eis: Nemo Propheta acceptus est in patria sua. Et repleti ira ejecerunt eum urbe, & in montem duxêre præcipitandum; ipse autem per medium illorum ibat.* Considera, Christum non celare veritatem Nazarenos, etiamsi sciat illos ægrè laturos, quia magno beneficio afficimur, dum nobis nostri defectus & imperfectiones patefiunt; licèt illud non agnoscamus. Nazarenos, autem qui Christo ideo mortem intentarunt imitantur omnes illi, qui concionatores & doctores veritati patrocinantes persequuntur. 2 Considera Christum præcipitare se conantibus non restitisse; sed quietè per medium illorum transiisse, ut discamus injurias nobis illatas dissimulare, & aliorum malignitatem patientiâ vincere.

* * *

ME-

MEDITATIO XIV.

De electione duodecim Apostolorum. Marc. 3. Luc. 6.

1. *CVm Iesus in oratione pernoctasset in monte, vocavit ad se discipulos; & ex iis elegit duodecim, quos & Apostolos nominavit.* Considera Christum digressum, à suis in solitarium locum prædicandi causâ, totamque noctem in precibus consumpsisse, non quòd ipse indigeret hac præparatione ad electionem Apostolorum, sed ut nos doceret exemplo suo, cùm pro rebus magnis seriò orandum est, ut digrediamur ab hominum turba, & in oratione perseveremus. 2. Cōsidera, in monte electos Apostolos, ut intelligerent, qui aliis præesse, eosque docere volunt, debere rerum cœlestium scientiâ, & vitæ sanctitate aliis præeminere & alienissimos esse à cupiditate rerum terrenarum, opum, honorum, & voluptatum hujus mundi. 3. Considera, vocatos esse Apostolos, id est, missos, nuntios, tabellarios, ut nomine ipso admonerentur humilitatis & obedientiæ.

ac cogitarent quidquid eſſent, quidquid poſſent, ſe non ſuis viribus, ſuâ ſapientiâ, ſuoque merito, ſed ſolâ gratiâ Dei & voluntate adjutos præſtare.

2. *Et præcepit eis, ne in via tollerent virgam, peram, panem, æs, nec duas tunicas haberent, & irent calceati ſandalis.* Conſidera, quomodo mittat Apoſtolos prædicatum, inſtar pauperum viatorum, prohibens ne ſecum ferrent quidquam ſupervacaneum, ſed tantùm neceſſaria: quo omni cura terrena ſoluti liberius invigilarent officio prædicationis. Incedebant quidem pannoſi, ſed charitate egregiè veſtiti, vacui nummis, divinâ autem virtute pleni; deſtituti adminiculo baculi, ſed firmâ fiduciâ nixi; atque ita conveniebat, ut qui aliis prædicaturi erant de contemptu mundi, ipſi jam ante eum contempſiſſent. 2. Conſidera, ſi ſis religioſus, quomodo Chriſtus eorum quos in Apoſtolos aſſumpſit, virtutem probarit: ut non mireris, in religionis ingreſſu unum vel plures

annos

annos probationis institutos, quibus solent tyrones in humilibus quibusque officiis exerceri, quo solidum fundamentum perfectionis Christianæ in humilitate jaciant. Sicut enim habitus virtutum non acquiruntur, nisi crebris actibus, teste philosopho, ita humilitas religiosa non acquiritur, nisi crebro & diuturno exercitio, ut ait S. Bernardus Epist. 87. humiliationis.

8. *Ecce ego mitto vos, ait, sicut oves in medio luporum. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete ab hominibus.* Considera, etiamsi terrere potuerit Apostolos talis missio, quâ præda fierent lupis, tamen contrà magno solatio illis fuisse, quòd mitterentur ab eo, qui defenderet eos à lupis; sed etiam virtutem dedisset convertendi immanes lupos, in mansuetos agnos. Monet verò eos, ut ex parte sua sint prudentes, ut serpentes, qui ad voces incantantium aures occludunt, hoc est, ne sinant se decipi, hostium blanditiis; & ad caput tuendum exponunt totum corpus, id est, ut sinant potiùs totum corpus

discerpi,

diſcerpi, quàm fidem & ſalutem animæ eripi. Deinde monet, ut ut ſimplices ſint, ſicut columbæ, hoc eſt, patientes, & malum malo non reddant, ſed potiùs bonum. Secundò conſidera, quod monet cavendum eſſe ab hominibus, hoc eſt, proſpiciendum, cum quibus agant, quia ſæpè inimici domeſtici ejus, & nonnunquam homo nequam malitiam cujuſvis ferocis beſtiæ, imò & dæmonis ſuperat; *Matth.* 10. tum quia lædit eos etiam, à quo nullo modo eſt læſus, ſed beneficiis affectus, tum quia nocet etiam juſtis & innocentibus quos dæmon accedere nõ audet.

MEDITATIO XV.

De ambulatione Chriſti ſuper aquas.
Matth. 14. Marc. 6. Joan. 6.

1. C*Vm Apoſtoli in mari ob ventum contrarium jactarentur, Ieſus in terra ſtans, & videns eos laborantes in remigando, venit ad eos ſupra mare.* Conſidera mare, eſſe curſum mortalis vitæ, in quo omnes navigamus, Venti contrarii

ſunt inordinatæ concupiſcentiæ noſtræ deſideria, quæ *militant*, teſte ſancto Jacobo,*in membris noſtris*. Caro enim aſſiduè pugnat contra ſpiritum. Contra hos ventos cum Apoſtolis remigandum eſt alacriter. Deus non deerit conatibus, Chriſtus in littore ſtabit, qui reſpicere ſolet, non in eos qui ſuaviter vivunt, & manibus ſtant complicatis, ſed qui ſibi imperantes pravorum deſideriorum fluctibus reſiſtunt. O quàm ſuavis eſt labor ei, qui cogitat oculos Chriſti in ſe intentos, & paratam habere pro perſeverante in finē immmortalē coronam Secundò, conſidera, Chriſtum cùm diſcipuli totâ nocte laboraſſent in mari,tandem ambulaſſe ſuper mare verſus illos, cùm ampliùs ventis obluctari nequirent, ut diſceremus, non ſtatim animum deſpondere, cùm aliquâ adverſitate convertimur, nam licet Deus ad breve tempus differat auxilium, ut noſtram probet fiduciam & patientiam, tamen tandem præſenti ope moram ſuam compenſat.

3. Cùm

2. *Cùm Iesus jam esset proximus navi vell tque præterire, Apostoli putarunt phantasma esse, præ metu clamantes. Et mox Iesus, Habete fiduciam, ego sum.* Considera, Christum potuisse discipulis propitios largiri ventos, sed noluisse ne tempori potiùs, quàm divinæ virtuti attribuerent. Voluit eos agitari fluctibus, ut probaret quantum suis viribus possent. Voluit tota nocte laborare; & non progredi, ut scirent se sine gratia Christi nihil posse. Voluit terreri viso, quasi à dæmone submergendi essent, ut divinum invocarent auxilium, quo invocato mox Christus jussit eos non timere dicens: Ego sum magister, salvator, Deus vester. Unde summam consolationem accepêre, ut discas nunquam desperare, quia dum pericula ad summum pervenêre, divinum præsto est auxilium. 2. Considera, ingenium hujus mundi esse, res divinas, & operum bonorum exercitia reputare phantastica, & hypocritica, cùm tamen in iis omnis salus nostra sit reposita.

3. *Tum Petrus: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et mergi incipiens, clamavit, Domine salvum me fac. Tum Iesus manu eum apprehendens; Modicæ, ait fidei, quare dubitasti? eoque navim ingresso cessavit ventus, & navis erat ad terram.* Considera, eximiam Petri fidem, quòd crediderit se quoque virtute Christi posse ambulare super aquas, deinde eximiam charitatem, quòd expectare non potuerit, donec Christus ad se venisset. In vero enim amore nulla est mora, nulla adversitatum formido, donec fruatur amato. 2. Considera, nihilominus Christum permisisse submergi Petrum, tum ut occultè eum moneret talia non esse ordinariè à Deo petenda, quæ omnes vires humanas superant, ne videamur curiosi: tum ut ostenderet fidem ejus non fuisse omni ex parte perfectam, & sic humilitatem coleret. 3. Considera, Christo in navem recepto cessasse omnes ventos & fluctus. quando enim intimè intra Ecclesiæ navim fide & charitate conjuncti sumus Christo, & illicò omnes tentatio-

num

num diabolicarum venti concidunt, omnes adversitatum fluctus franguntur, vel certè sine animi perturbatione tolerantur, non secùs quàm si ad terram applicuissemus, & in portu versaremur.

MEDITATIO XVI.

De transfiguratione Domini. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.

1. JESUS *assumpsit Petrum, Iacobum & Ioannem in montem excelsum, ut oraret.* Considera vitæ æternæ pulchritudinem non capi, nec veram Spiritus sancti consolationem accipi, nisi ab iis, qui vehementer amant cum his tribus Apostolis Christum, ejusque doctrinam; deinde montem mortificationis, aliarumque arduarum virtutum ascendunt, ac solitudinem diligunt, hoc est; soli Deo non mundo placere conantur. 2. Considera, mirabile Dei artificium, quo conatur nos ad vitæ æternæ desiderium & rerùm terrenarum contemptum accendere: nempe corporis gloriosi splendo-

rem oſtendit, ut cogites, tum quanta ſit
futura animæ gloria, tum ne refugiat
carnem cum anima exemplo Chriſti in
hac vita crucifigere. Non *enim condi-
gnæ ſunt hujus vitæ paſſiones*, teſte Apo-
ſtolo, *ad futuram gloriam.*

2. *Transfiguratus eſt ante eos, & fa-
cies ut ſol, veſtes autem ejus, ſicut nix
ſplenduère. Et apparuère Moſes & Elias,
loquentes de exceſſu ejus.* Conſidera,
Chriſtum inter orandum in monte eſſe
transfiguratum, ſicut & olim Moyſis fa-
cies, poſt ſermonem cum Deo habitum,
mirè reſplenduit, ut diſcamus nulla re
magis illuſtrari animam quàm luce gra-
tiæ, aliorumque donorum ſpiritualium,
ac beneficio ferventis orationis, vel col-
loquii cum Deo. 2 Conſidera, quanto
gaudio exſilierint Moſes & Elias, quòd
viderent Dominum in carne præſentem;
quem tamdiu expectarant, & quidem
tantâ majeſtate refulgentem, ſecumque
loquentem de exceſſu ſuo, id eſt, paſſio-
ne & reſurrectione, ipſorumque libera-
tione. 3. Perpende Dominum in ſum-
ma illa gloria, miſcentem tamen ſermo-
nem de ſe tam triſti, tum ut indicaret

quanto desiderio patiendi teneretur, tum ut nos doceret, ut *in die bonorum*, juxta Sapientem, Eccl. 1 *non simus immemores malorum*, rebusque prosperè fluentibus expectemus & adversa.

3. *Tum Petrus ad Iesum. Bonum est, inquit, nos hic esse. Faciamus tria tabernacula. Et ecce nubes lucida obumbravit eos, & voce audita de cœlo. Hic est filius meus dilectus, &c. Apostoli in faciem cecidêre, quos erigens Iesus, ait: Nolite timere, & tacere quæ viderant, jussit.* Considera Petrum cum guttulam delitiarum gloriæ æternæ degustasset; mox hujus mundi voluptates fastidisse, cœlestis enim consolatio, facit hominem esse extra se; & voluptatum mundanarum oblivisci. Unde disce & tu de futura felicitate animi & corporis cogitare & facilè mundi illecebras; & carnis commoda despicies, dicesque si religiosus sis, vel piæ congregationi adscriptus. *Bonum est nos hic esse*, hoc est, in cœtu, ubi occasio contemplandi res divinas, & multa bona opera exercendi, animamque salvandi. 2. Considera in hoc admi-

rando myſterio totam SS. Trinitatem apparuiſſe. Nam Patris perſona declarata eſt voce, Filii verò in carne, Spiritus ſancti autem in forma ſplendidæ nubis, quia ille eſt, qui nos divinarum conſolationum rore ſemper irrigat, & cœleſtium donorum imbre perfundit. 3. Conſidera Chriſtum Apoſtolis mandaſſe, ne cuiquam ante mortem ſuam hanc viſionem patefacerent, ut diſcas ea quæ ad honorem & gloriam nominis tui pertinent potiùs ſupprimere, quàm propalare multis.

MEDITATIO XVII.

De Lunatico ſanato. Marc. 9. Matth. 17. Luc, 9.

1. CHRISTO *de monte Thabor deſcendenti, quidam genibus provolutus obtulit filium lunaticum, quem ſpiritus allidebat, dicens, diſcipulos non potuiſſe illum ejicere.* Conſidera, Chriſtum poſt tantam tranſfigurationis gloriam, nō dedignatum iterum converſari cum ſimplici turba ægris, & energumenis cura-

tionis

tionis causâ adductis, ut discamus etiamsi excellamus magnis naturæ & gratiæ donis, demittere nos etiam ad informandos homines rudes & & pauperes, imò & peccatores, ac quotquot infirmi sunt spiritu, 2. Considera, tunc nos esse lunaticos, cùm variis animi perturbationibus nos agitari sinimus, easque non domamus, ac ita Deo non solùm, sed hominibus etiam reddimus exosos, ac tandem eò pervenimus, ut nec discipulorum Christi, hoc est, præceptorum & Patrum spiritualium monita audiamus.

2. *Cùm vidisset eum Iesus, statim à spiritu elisus in terram spumabat. Tum Pater: Si quid potes adjuva nos. Et Iesus: si potes credere, omnia sunt possibilia credenti. Tum ille: Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam: Et Iesus jussit spiritum exire, nec regredi.* Considera, hominem non solere tentationibus agitari, quando vitam solutam ducit secundum voluntatem dæmonis, sed dum conatur se ab ejus imperio abducere, & ad Christum per vitam piam redire. Unde Sapiens *Eccl.* 2. dixit: *Fili, accedens ad*

 servi-

servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. 2. Considera, quod dæmon miserum hunc adolescentem primò dejecerit in terram: tum variis modis afflixerit; Hoc enim præcipuum dæmonis munus est, ut hominem per peccatum etiam unicum lethale in terram dejiciat: nam semel prolapsum, facilè deinde in alia præcipitat. 3. Considera Christum mandasse dæmoni, non modo ut exiret, sed etiam ne rediret, ut indicet peccatorem tum perfectè resipiscere, quando non solùm pristina peccata deserit, verùm etiam in eadem non relabitur, unde qui facilè redeunt ad vomitum, declarant se non habuisse perfectam contritionem.

3 *Iesus tenens manum, elevavit jacentem, & surrexit. Discipulis autem secretò rogantibus, cur non potuissent ejicere spiritum, respondit, propter incredulitatem vestram, & quia hoc genus oratione & jejunio tantùm ejici queat.* Considera sanatum manu elevatum, ut intelligeret peccator, in manu sua quidem esse labi & peccare, sed non item surgere à peccato

cato, si absit Dei gratia: deinde ut sciret se, postquam peccata evomuit, non debere otiari, sed in sanctis operibus se exercere. 2. Considera, Christum non reprehendisse palàm, sed secretò discipulos suos: cùm enim essent futuri aliorum magistri non conveniebat eorum imperfectiones populo esse notas; unde discimus, opportuno tempore & loco arguendas esse quasdam personas: & non semper publicè. 3. Considera, quoniam non potuit spiritus ille fugari, nisi acriori remedio orationis & jejunii, nonnunquam ad extirpanda quædam vitia, ut quæ sunt consuetudine corroborata, opus esse asperioribus pœnitentiæ remediis, ut jejuniis crebris, ciliciis, disciplinis, confessione & communione.

MEDITATIO XVIII.

De muliere adultera. Joan. 8.

1. JESUS *rogatus à Pharisæis, sitne mulier adultera secundùm legē lapidanda*

da, inclinavit se, digito scribens in terra. Considera, tantam fuisse Christi misericordiam in peccatores, ut inde Pharisæi calumniandi ansam quæsierint: ut discas fiduciam in Christo ponere certus de remissione peccatorum, licèt gravia sint, & in lege gravi pœna mulctentur, modò ad cor redeas: si autem homini fidas, ille te coram Deo & hominibus accusabit. 2. Considera, cur Jesus distulerit responsum, nempe ut Principes & Judices discant, audita accusatione prius causam, & circumstantias ejus expendere, ne injustam sententiam proferant: deinde, ut quando nos audimus aliquem lapsum, non mox eum apud alios condemnemus sed potiùs excusemus, cogitantes nos quoque fragiles & è terra fictos, posseque labi. 3. Considera, non debere nos refugere etiam humiles actus & ritus, licèt videantur inciviles quando possumus ea re proximo prodesse.

2. *Cùm isti pergerent quærere, Iesus erexit se, dicens: Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat, & iterum in terra scripsit, & mox alius post alium discessit.*

ſit. Conſidera, hoc dicto Chriſti nos moneri, ne facilè malè loquamur vel judicemus de proximo, ſed conſideremus imperfectiones noſtras: Quantumcunque enim homo ſanctus ſit, ſemper, ſi bene conſcientiam examinet, & digito diſcuſſionis in terra cordis ſcribat, inveniet quod in ſe reprehendat, nec facilè lapidem in alios emittet. 2. Conſidera, ſicut adultera ab omnibus condemnata eſt, antequam ſiſteretur Chriſto, eo verò præſente omnes ſe ſubducere: ſic nos quando manemus in peccato, à dæmone & propria conſcientia condemnamur, ubi verò per cõfeſſionem humiliati nos ſubjecerimus Chriſto, abſolvimur. 3. Conſidera, Chriſtum denuò ſe inclinaſſe in terram, ne magis eos ſi diutius reſpexiſſet, pudefaceret, & liberiùs ſe inde ſubducerent: ut diſcas, cùm quis tua monitione ſatis eſt pudefactus, non amplius inſtare.

3. *Tum erigens ſe Ieſus, ait: Mulier, nemo te condemnavit? Reſpondit, nemo. Tum ille, nec ego te condemnabo, Vade, & jam amplius noli peccare* Conſidera,

quanti fecerit Christus ordinariam superiorum potestatem; nec enim mulierem antè absolvit, quàm intellexerit eam à nullo condemnatam: quo discas nunquam aliquem ab amore vel obedientia superiorum, abducere. 2. Considera clementiam Christi quòd nullo probroso nomine adulteram appellarit, sed mulierem, indicans sexûs fragilitatem, cùm tamen ipse solus hoc peccato offensus esset, sicut peccato Davidis, qui dixit: *Tibi soli peccavi, Psalm.* 50. gratior enim est Deo maximus peccator pœnitens, quàm superbus qui sibi videtur justus. 3. Considera Christum non absolvisse eam, nisi postquam locuta est: vult enim ut ex parte nostra, quoque cooperemur, confitendo peccata nostra, & laudes divinas prædicando. Deinde parum admodum ab ea postulare, nempe ut deinceps non delinqueret.

* * *

MEDITATIO XIX.

De cæco nato. Joan. 9.

1. *CHRISTUS cùm cæcum natum vidisset, & discipulis quærentibus, an ob pecata sua, vel parentum ita natus esset, respondisset, id factum ad manifestandum opera Deo, luto ex sputo facto linivit ejus oculos, & lavare in natatorio Siloe jussit.* Considera, Christum vidisse cæcum non otiosè & frustrà, sed ut ejus miseriæ opem ferret: ut disceremus, non satis esse cognoscere proximi ærumnas, nisi etiam operam demus ut ab illis liberentur. 2. Considera, modum, quo curavit cæcum. 1. eum respexit. 2. lutum imposuit oculis 3. ad fontem misit, sic tria peccatori facienda sunt, ut Deo reconcilietur. Primò enim opus habet auxilio divinæ gratiæ ut resurgat. Secundò agnoscere debet fœditatem peccati per confessionem. Tertiò abluere illud vel per baptismum, si sit infidelis, vel per lachrymas contritionis si sit fidelis, relapsus.

2. *Cæcus post visum receptum sæpius à Pharisæis rogatus quomodo vidisset, cùm constanter respondisset à Christo id factum, ejectus est ex Synagoga.* Considera cæcum nunquam in longa contentione hac verbum ullum defendendi sui causa effutivisse, sed magno zelo Christi patrocinium suscepisse, contempto honoris sui periculo: ut doceret nos, injurias nobis illatas non magnifacere, illatas verò Deo nullo modo tolerare. 2. Considera, eum Synagogâ pulsum, quòd nomen Christi tueretur, ut intelligas, simul atque inceperis servire Deo mundum tibi fore contrarium, & te ex sua societate exturbaturum, Christum autem te non deserturum.

3. *Iesus cæco jam foras ejecto, dixit; Tu credis in filium Dei? Tum ille; Quis es Domine? Et Iesus: Ego sum. Tum ille: Credo Domine, & procidens adoravit eum.* Considera Jesum ideo manifestasse apertè se esse filium Dei, (quod & Samaritanæ fecerat,) ut doceret omnes pios qui magnas afflictiones propter Christum subeunt, longè esse Christo cha-

chariores, & ideo plura & majora beneficia Christum illis conferre, quàm aliis qui earum sunt expertes. 2. Considera Christum quæsivisse cæcum, & tandem inventum rogasse, num crederet in filium Dei? ut discas, Deum ne minimum quidem opus nostrum bonum irremuneratum relinquere, sed statim gratiam suam nobis offerre, ut ad perfectionem vitæ Christianæ perveniamus, sed quia nostram cooperationem requirit, idcirco quærit à cæco, an credat in se. Et quia verè & perfectè credit, ideo & opere mox declaravit, adorando illum.

MEDITATIO XX.

De adolescente divite Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

1. CHRISTVS *adolescenti roganti, ut possit salvari, respondit: Serva mandata. Cùm autem addidisset, si vellet perfectus esset, bona sua daret pauperibus, abiit tristis.* Considera Christum primò juveni recitasse præcepta 2. tabulæ, deinde consilia, ut doceret nos, si ad

perfectionem vitæ Christianæ contendamus, opus esse, ut prius nos exerceamus in operibus ad charitatem proximi spectantibus, quæ sunt propria vitæ activæ. Deinde, ut intelligeremus nos non esse semper securos de salute, si præcepta servemus, quæ juvenis ille servarat: & ideo contendere debere ad majorem perfectionem, ac longius in cursu virtutis progredi, exemplo sagittariorum, qui ut scopum valde remotum attingant, arcum paulò altius attollunt. 2. Considera, hunc juvenem, licèt magno desiderio salutis teneretur (nam flexis genibus petiit instrui) tamen ubi de opibus deserendis mentio facta est, resiliisse, id enim multis aliis piis & devotis contingit, qui ubi prosperè illis omnia fluunt nec quidquam adversi in honore, & corporis commodis patiuntur, strenuè Deo serviunt, at ubi pati aliquid cœperint, ab amore proprio victi languescunt.

2. *Tunc Iesus: Quàm difficile est divitem introire in regnum Dei. Facilius est camelum per foramen acus transire. Tum discipuli: Quis ergo poterit salvus esse?*

esse? Et Christus Impossibile est apud homines, sed non apud Deum Considera, mirandam hominum cæcitatem, qui cùm sciant non à Salomone, sed æternâ Dei sapientiâ hanc prolatam de divite sententiam, inhiando opibus, in tam apertum salutis discrimen se conjiciant. De divite epulone, certè Scriptura nullam aliam damnationis affert causam, quàm quòd habuerit multa bona in vita sua. *Fili*, ait Abraham, *recordare quia recepisti multa bona in vita tua, & ideo nunc cruciaris*. Luc.16. 2. Considera, cur Christus dicat impossibile esse apud homines, ut dives salvetur, nempe quia generatim loquendo omnes homines *avaritiæ ferè student à minore usque ad majorem*, ut Prophetæ loquuntur. *Isa.*56. *Ier.*6. & loquitur Apostolus *Phil.*2. *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi.* Deinde, quia qui *volunt divites fieri*, eodem teste, 1. *Tim.* 6. *incidunt in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem*. apud Deum autem possunt salvi fieri, qui divinâ gratiâ muniti

non ſtudent avaritiæ, & amicos faciunt de mammona iniquitatis pauperes.

3. *Et Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Cui Chriſtus: Sedebitis mecum, ſuper ſedes duodecim judicantes tribus Iſrael: imò quotquot reliquerunt omnia propter me, centuplum accipient hîc, & poſtea vitam æternam.* Conſidera, cur cùm Petrus & alii Apoſtoli tam pauca reliquerint, nempe pauperes piſcatores, tamen tam magnificum præmium Chriſtus illis promittat. Nempe, quia non ſolùm facultates ſuas parentes, amicos & patriam reliquerant propter regnum Dei, ſed etiam affectum ad illa, ac cupiditatem plura habendi, deinde reliquerant ſeipſos, ſuamque voluntatem, eam ſubjicientes alterius voluntati, & obedientiæ. Et ideo voluit Dominus eos quoque eſſe de mercede ſecuros, ut quòd in die judicii eſſent ſecum futuri judices totius mundi. 2. Conſidera, quàm conveniens fuerit eos eſſe aliorum judices, qui tam boni fuerunt judices ſuiipſius, & verorum bonorum, ut qui ſcirent paupertatem opibus,

cru-

crucem voluptatibus sæculi anteponendam, maximè autem debebant esse judices tribuum Israel, id est, iniquorum judicum in Judæa, à quibus Apostoli erant injustè flagellati, & omni dedecore affecti. 3, Considera, secundùm responsum Christi in omnes fideles quadrans, esse illud quòd toti mundo persuasit contemptum mundi, quod complevit monachis deserta, & monasteria, quod omnes docuit vim inferre sibi & regno cœlorum. Hi enim sunt, qui pro desertis voluptatibus sæculi, centuplum illud quotidie experiuntur, id est, mille majores voluptates spirituales, quàm mundani; pro uno patre, matre, fratre, domo deserta habent centum patres, matres, domos.

MEDITATIO XXI.

De suscitatione Lazari. Joan. 11.

1. CHRISTVS, *audito nuntio de Lazari ægrotatione, per biduum substitit, ut evidentius foret miraculum.* Considera, Martham & Mariam sorores per

nuntium certiorem reddidiſſe Dominum tunc ultra Jordanem agentem, dicentes: *Ecce, quem amas infirmatur*, ut diſcas in omni adverſitate primò curare, ut reconcilieris Deo, ne fortè peccata tua cauſam dederint morbo, deinde uti oratione plena reſignationis, ut eſt iſta; quâ nihil petas, ſed omnia Deo, committas, dicendo: *Ecce quem amas, patitur hoc vel illud?* Quòd enim me ames, certiſſimis indiciis ſcio ex ſanguine pro me fuſo, aliiſque beneficiis mihi collatis, 2 Conſidera, cur Chriſtus biduum in eodem loco moretur cum tanto optimarum ſororum dolore, & ſinat Lazarum mori. Nempe, ut oſtenderet majorem erga eas amorem. *Quos enim amo*, ait Apocal. 3. *arguo & caſtigo* Suſcitatione enim Lazari quatriduani factum eſt, ut & ipſarum corda, diſcipulorumque & aliorum magis in fide confirmarentur, & Dei gloria per tam fidos & amicos teſtes ubique prædicaretur; ac imprimis ut dura Judæorum pectora magnitudine miraculi tandem frangerentur. Vide quomodo Chriſtus non aliud quærat in ſuis operi-

bus

bus, quàm Dei gloriam, & nostram salutem.

2. *Ait Christus discipulis : Lazarus amicus noster dormit sed vado ut à somno excitem eum. Martha & Maria Magdalena occurrerunt Christo venienti, & dicunt : Domine, si fuisses hic, frater non fuisset mortuus.* Considera, quòd Lazarum amicum suum Christus dicat dormire, cùm jam esset mortuus, quia amici Dei propriè non moriuntur, sed dormiunt iantùm, tum Dei, quia ei tam facile est ad vitam illos revocare, quàm dormientem excitare ; tum ipsis, quia justis mors est janua ad vitam æternam, & perpetuam quietem. 2. Considera, mulieres currere ad Christum pro antidoto contra mortem, quia congruebat mulierem primùm accurrere ad clementissimum redemptorem, quæ primò aures præbuerat pessimo seductori ; primam exorare vitam, quæ prima adsciverat mortem. Deinde perpende, licèt fides eorum non fuerit perfecta (quia putarunt Lazarum non potuisse sanari à Christo absente) tamen eas rectè dice-

re. Lazarum non fuiſſe moriturum, ſi adfuiſſet: quia ubi eſt vita, nequit eſſe mors, unde & dixit: *Ego ſum reſurrectio & vita: Qui credit in me.* Quibus verbis mota Martha dixit: *Ego credidi, quia es filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.*

3. *Chriſtus collachrymans, oratione facta, cùm lapidem juſſiſſet amoveri, clamavit: Lazare veni foras, excitatumque ſolvi juſſit.* Conſidera Chriſtum Mariæ & Judæorum lacrymis commotum, infremuiſſe, & voluntariè turbaſſe ſeipſum, ut diſcamus aliorum afflictionibus compati ex charitate. 2. lacrymaſſe, ad docendum nos, quòd flere debeamus, & pro nobis, quia omnes ſumus peccatores, per Lazarum ſignificati, & pro miſeriis ſpiritualibus proximiorum, maximè ſi ſint mortui coram Deo. 3. juſſiſſe, moveri lapidem à ſepulchro, quia nihil æquè impedit veram reſurrectionem à peccato, ac obduratum cor in peccando. 4. elevaſſe oculos in cœlum, ut diſcamus in ærumnis non fidere meritis noſtris, ſed confugere ad Deum. 5. clamaſſe,

maſſe,ut concionibus & inſpirationibus divinis pareamus. 6. juſſiſſe ſolvi vincula, ut per confeſſionem peccatorum abſolutionem à peccatis quæramus apud Apoſtolorum ſucceſſores, ſacerdotes. 7. juſſiſſe Lazarum abire, ut poſt acceptam peccatorum remiſſionem, ſobriè,piè & juſtè vitam inſtituamus.

MEDITATIO XXII.

De filio prodigo. Luc. 15.

1. *Prodigus extorta portione ſubſtantiæ in regionem longinquam abiit, eamque diſſipavit vivendo luxurioſè.* Conſidera prodigum eſſe peccatorem,vel in vocatione ſua deficientem, qui portionem ſubſtantiæ poſtulat, cùm quærit libertatem & vult ſui eſſe juris. Dicitur autem portio, quia omnis hujus mundi libertas, vel voluptas exigua eſt, ſi ad æternam gratiæ & gloriæ ſubſtantiam conferatur. 2. in regionem longinquam abiit,quia homo terrenis deditus & ſuo arbitrio vivens,non diu poteſt eſſe ſine peccato mortali,& ſic ſeparat ſe à Deo, & domo paterna, ac aliquando

vocationem ſuam deſerit, eoque pervenit, ut non poſſit pia loquentes audire. 3. diſſipat portionem ſuam, hoc eſt, gratiâ Dei ſpoliatur, virtutibus & donis ſpiritualibus, ac etiam bonis temporalibus, ut non habeat quod comedat, & quo induatur, ac demùm turpiſſimis ſe peccatis ſe dedat, menteque & corpore corrumpatur.

2. *Fame validâ coortâ factus ſubulcus, cupiebat ventrem implere porcorum ſiliquis, & nemo ei dabat. Et reverſus in ſe, ait: Ibo ad patrem dicens: Pater peccavi in cœlum, & coram te.* Conſidera peccatorem validâ fame premi, cùm avulſus eſt à Deo Patre, qui ſolus animam ſatiare poteſt, ſolus quietam & tranquillam reddere conſcientiam. Paſcere autem porcos, (quorum eſt in cœno volutari, & oculos nunquam in cœlum erigere) quando it poſt concupiſcentias ſuas; paſſionibus ſuis obſequitur, & omne reſpuit aliorum imperium & obedientiam, nulli quoque rei inhiat, niſi honori ſuo, & voluptati, beneficiorum Dei immemor, orationis, confeſſionis, & bono-

rum

rum operum. Cui peccatori id etiam contingit tandem, ut & ab aliis contemnatur,& nunquam voluptatibus, quas quærit, frui vel expleri possit. 2. Considera, sicut peccator in peccatis hærens, se porcum facit & bestiam, sic quando cogitat de emendatione, redit ad se; & fit iterum homo, dum adjuvante divina gratia, primùm aperit oculos, & agnoscit miseriam, vilitatemque suam, deinde dolet de petulantia sua, ac concepta fiducia de paterna Dei clementia surgit & in viam se dat pænitentiæ, ac procidens in terram peccata sacerdoti confitetur.

3. *Pater autem videns redeuntem à longè, accurrit, & osculatus eum, jussit ei reddi stolam primam, annulum, calceos, & convivium parari in gratulationem.* Considera Dei Patris benignitatem, qui statim ad peccatoris conversionem se convertit, etiamsi longè absit, id est, nondum plenam contritionem de peccatis habeant, novo auxilio occurrit; signa charitatis ostendit, osculatur, peccatorem sibi conjungit, primam justitiæ sto-

lam

lam facilè reddit, annulo charitatis eundem sibi desponsat, virtutibus tanquam calceamentis ornat, & mirabili consolatione, quasi convivio, reficit; Angelos, omnesque Sanctos in cœlo invitat ad illud, ut gaudeant super uno peccatore pœnitentiam agente. Considera, sæpè illos qui in magnis peccatis fuerunt, majori charitate in Deum ferri, quàm qui nunquam in gravia peccata sunt lapsi, ut non desperes, si aliquando graviter peccasti.

MEDITATIO XXIII.

De cœna apud Bethaniam. Matth. 26.

1. *CHRISTVS in domo Simonis leprosi cœnabat, & pariter Lazarus, Martha autem ministrabat.* Considera quanto solatio fuerit hæc cœna sex diebus ante passionem instituta, tum Christo, tum aliis convivis, Christo, quòd cœnaret in cœtu suorum dilectorum, à quibus sciebat se amore maximo, non in domum modò, sed etiam cor receptum. Aliis verò, quòd summoperè gauderet, se pro bene-

beneficiis ab eo acceptis posse aliquod grati animi signum ostendere. Hospes enim Simon à lepra curatus fuerat. Lazarus vitæ restitutus. Magdalena ex sordibus peccatorum extracta. Martha privilegium Christum hospitio excipiendi, eique ministrandi acceperat. Unde & nunc in aliena domo ministravit. 2. Considera, cur Lazarus, ut fertur, post suscitationem suam nunquam riserit, vel aliud lætitiæ signum dederit, nempe tria mirabatur, 1. horrendum Dei judicium & alterius vitæ supplicia improbis parata. 2. quòd Deus ex tanta majestate in tantam vilitatem, ob salutem hominis se dimiserit. 3. cæcitatem & ingratitudinem hominum tanti beneficii magnitudinem non æstimantium, nec futurum judicium metuentium.

2. *Maria fracto alabastro unguentum effudit super caput Christi, ejusque unxit pedes, & capillis tersit, & impleta est domus odore unguenti.* Considera officium Mariæ tantò gratius fuisse Christo, quantò amor ejus longius excedebat aliorum amorem. *Alabastrum enim illud non

erat

erat nisi cor ejus amore divino flagrans, fractio vero, nil nisi amoris impatientia in corde bullientis, nil nisi liberalis oblatio, quâ non solùm totũ suum amorem effunderet Christo, sed & cor suum, quo tanquam vase illo continebatur. 2. Considera, unguentum fuisse pretiosum, quia Deo offerenda sunt, quæ sunt pretiosissima. Eo autem ungimus caput Christi, cùm omnia opera nostra dirigimus ad gloriam Dei: pedes verò, cùm nostram & proximorum salutem iisdem sincerè quærimus. 3. Considera, odore unguenti totam domum impletam, nempe Ecclesiam, quia generosum hoc Magdalenæ factum ubique hactenus in ea celebratum est, & celebrabitur; ut discas magni facere opera charitatis & humilitatis, quæ tam bonum odorem ubique relinquunt.

3. *Cùm obmurmuraret Iudas, Vt quid perditio hæc? Respondit Christus: Quid molesti estis huic mulieri? Bonum enim opus operata est in me.* Considera, opera bona quò præstantiora sunt, hoc nonnunquam calumniis magis esse obnoxia,

etiam

etiam apud bonos, qui zelo quidem bono, ſed non ſecundùm ſcientiam ea carpunt: ſed non ideo à ſervis Dei omittenda ſunt, modò bona intentione ad majorem gloriamDei, & ſalutem animarum exerceantur. Fieri enim non poteſt ut in omnibus ſemper hominibus, ſimul & Deo placeamus. 2. Conſidera reprehenſum à Chriſto Judam, & alios diſcipulos, quòd putarent conſultiùs potuiſſe pretium unguenti dari pauperibus, nam miſericordiam in pauperes alibi ſæpè laudarat, ut diſcas, ſicut arguendi non ſunt qui bona ſua erogant in honorem Chriſti; pro extruendis Eccleſiis vel Monaſteriis, & unum bonum opus alteri poſſe præferri, neutrum tamen reprehendi.

MEDITATIO XXIV.

De ficu arefacta, & altera ejectione vendentium in templo. Luc. 19 Matth. 21. Marc. 11. Joan. 11.

1. *CHRISTUS manè è Bethania exiens eſuriit: & conſpecta ficu habente folia*

folia sine fructibus (non enim erat tempus ficorum maledixit eam, & mox exaruit.
Considera, Dominum illum, qui in cœlo pascit omnes beatos spiritus, & in terra omni animæ viventi providet cibum in tempore, ideo manè esurire, quia nullo pridie sumpto cibo pernoctavit in oratione, pro cæcitate Judæorum & tua curanda solicitus. 2, Considera, eum fame compulsum adire ficum, si fortè ad sedandam famem in ea fructum reperiret, & quia nihil reperit maledictam fuisse, ut discas tibi idem accidere posse si solis bonorum desideriorum, & propositorum parum firmorum foliis onustus inveniaris, quod fiet si instar ficus istius propinquus maneas viæ publicæ, id est, vitæ laxæ & mundanæ. 3, Considera, cur cùm non fuerit tempus ficorum, tamen ficus maledicta sit, nempe quia ira Domini non in illam arborem, sed in Synagogam Judæorum, & in omnes obstinatos in peccatis ferebatur, quibus semper tempus est faciendi fructus bonos pœnitentiæ. Hac fame cruciabatur Christus, ut passionis suæ merito videret obstina-

ſtinata noſtra corda molliri & converti, ſimul indicans, ſi tantam gratiam repellamus, fore, ut prorſus deſeramur, ſicut & Judæi verè deſerti ſunt.

2. *Et veniens Hieroſolymam, cùm introiſſet templum, cœpit ejicere omnes vendentes & ementes è templo dicens: Domus mea, domus orationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Conſidera, morem fuiſſe Chriſti, quoties Hieroſolymam veniret, primùm adire templum, ut formam nobis religionis veræ præſcriberet ne antè ad alia negotia nos convertamus, quàm in templo, vel alio loco opportuno per preces nos commendaverimus Deo. 2. Conſidera, ſi tam terribilem ſe declaravit erga materialis templi profanatores, quid ſit facturus contra profanatores templi ſpiritualis, id eſt, animæ noſtræ, quæ eſt templum Spiritus ſancti. Nam B. Paulus, 1. Corinth. 3. ait: *Qui hoc templum violaverit, diſperdet illum Deus.* 3. Conſidera, ſi domus Dei domus orationis eſt, quanta devotione & attentione in illa precibus vacare debeas, maximè cùm Chriſtum realiter

ter habeamus in altari præſentem. Si enim in locis ubi Reges mundi verſantur, ſumma ſervatur modeſtia & ſilentium, quanta ſervari debet, in præſentia Regis Regum, creatoris cœli & terræ.

2. *Et cœpit illis loqui in parabolis, & erat quotidie docens in templo, accedentes cæcos & claudos ſanans, & veſperâ factâ egrediebatur ex urbe.* Conſidera Chriſtum, cùm ſciret ſe quæri ad necem, non tamen à quotidiano aditu templi, & prædicatione abſtinere: ut intelligerent ipſum non refugere mortem, ſed ſpontè ad eam ſe offerre: idcirco enim in publico loco comparebat, ut faciliùs inveniri poſſet. 2. Conſidera, eum poſt totum diem in laboribus prædicationis & inſtitutionis popularis conſumptum, jejunum excedere urbe, quia nemo erat, qui neceſſitati ejus ſuccurreret; ut doceret nos pro laboribus in proximi ſalutem expenſis, non exigere temporale præmium, nec quærere apud eos quietem, qui proditiones machinantur; deinde non converſari diu cum ſæcularibus, ſed tantum quantum opus eſt, & deinde red-

redire in Bethaniam, id est, domum obedientiæ, ubi mandata Dei servantur.
3. Considera Christum in eodem templo misericordiam miscuisse cum severitate, quia licèt ejecerit sacrilegos, tamen cæcos & claudos sanavit, & alios in vitâ pia & sancta instituit.

MEDITATIONES DE APPARITIONIBUS RESIDUIS post Resurrectionem.

MEDITATIO XXV.

De apparitione facta B. Virgini.

CONSIDERA B. Virginem, instāte resurrectionis horâ, quam sciebat, nō dormitasse, sed in oratione subinde verba illà ingeminasse: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.* Psal. 56. Magnoque desiderio filii sui gloriosum reditum præstolatam. Deinde summo diluculo resplenduisse repentè conclave, & filium cum admirabili gloria illi astitisse, cor autem B. Virginis tantâ lætitiâ perfusum fuisse ex illustri aspectu, ut aliquamdiu ne verbum quidem profari potuerit. Si enim Patriarcha Jacob, Genes. 45. accepto nuntio de filio suo Joseph superstite vix apud se fuit, quid post tan-

tas contumelias, dolores & cruciatus filii tantâ gloriâ compensatos evenisse putamus Beatæ Virgini? 2. Perpende, non solùm Christum ei apparuisse, sed unà sanctissimos quoque Patres Adamum, Abrahamum, Davidem aliosque Prophetas, quibus summum gaudium erat oculis videre totius humani generis redemptoris matrem.

2. Considera, quænam fuerint colloquia filii & matris, quæ arcana matri filius enarrarit; ut, quid in ædibus Pontificum ante biduum perpessus fuerit, quomodo anima è corpore excesserit, quid apud inferos egerit, quantam gloriam sit adeptus, qua narratione omnem mœstitiam superiorum dierum detersit. 2. Perpende quanto gaudio affecta fuerit, cùm videret gratiosissimum filii vultum suo candori restitutum, quando sensit vultus sui lachrymas, sacris ejus manibus abstergi, cùm potestatem factam sibi videret, ut in suavissimos divinorum brachiorum rueret amplexus. Vide eam cum summa veneratione ad genua ejus, adorandi causâ se provolventem, & san-

ctiſſima vulnera pedum, manuum, atque lateris, cum incredibili conſolatione exoſculantem, & exclamantem! Verè, fili mi, *Secundùm multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ, nunc lætificaverunt animam meam*. Pſalm. 93.

3. Conſidera, quid B. Virgo totis 40. diebus quibus filius in terris redivivus apparuit egerit. Nec enim dubium eſt, quin filius qui toties Apoſtolis, & aliis ſe videndum exhibuit, crebrius etiam adfuerit matri, eam multis de rebus inſtruxerit, & mirifice conſolatus fuerit, multa de Eccleſia ſua, de fidei propagatione, de martyrum coronis, de ſua & beatorum gloria, aliiſque multis prædixerit: omnes deinde Chriſtianos, quibus illam conſtituit advocatam & patronam, illi commendarit. 2. Perpende, ſanctos Apoſtolos, & imprimis B. Joannem retuliſſe illi quæcumque à filio quoties apparuerat, audierint: ut de inſufflato in eos Spiritu ſancto de poteſtate peccata remittendi conceſſa, de Petro omnium fidelium paſtore conſtituto. Contrà verò B. Virginem quæ ipſa audiſſet Apoſtolis communi-

municasse, eosque consolatam fuisse, & erexisse ad perpetiendas fortiter omnes persecutiones nomine Christi inferendas.

MEDITATIO XXVI.

De apparitione facta Mariæ Magdalenæ. Marc. 16. Joan. 20.

1. *Petro & Ioanne digressis, Maria perseveravit ad monumentum foris plorans.* Considera Petrum & Joannem, qui simul cum Maria ad monumentum venerunt, timore occupatos abiisse, Mariam verò mansisse impavidam; cùm enim perdidisset magistrum super omnia dilectum, nihil putabat superesse in mundo quod perderet, quia cum ipso & vitam & omnem spem ipsam perdiderat. 2. Perpende, solam Mariam meruisse videre Christum, quia ibi perseveravit. Deus enim non remunerat actiones nostras, nisi in illis perseveremus. 3. Nota Mariam stetisse juxta sepulchrũ, & plorasse, quia vita animæ sanctæ in hoc exilio est semper stare juxta sepulchrum

Christi, considerando amarissimam ejus passionem, & peccata, propter quæ Salvator mortuus est, deplorando.

2. *Flens ergo inclinavit se, & prospiciens in monumentum vidit duos Angelos, dicentes: Mulier quid ploras? Et respondit: Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum: & conversa retrorsum, vidit Iesum, idem rogantem.* Considera Mariam, non cùm staret, sed cùm inclinaret se in monumentum, & intro-spexisset, dignam factam visione & Angelorum & Domini, ut discas tempore orationis & contemplationis rerum cœlestium, te demittere etiam ad considerationem tuarum imperfectionum & lapsuum, ac humiliare te coram potenti manu Dei tanquam gratiâ indignum, & illicò aderit Angelica consolatio. 2. Considera, quando in oratione non invenis statim Christum, hoc est, consolationem spiritualem, te non debere ab ea desistere, sed perseverare cum compunctione & desiderio, auxiliumque Sanctorum menti occurrentium implorare, usque dum compareat.

2. Pu-

2. *Putans autem Iesum, quem videbat, hortulanum esse. Domine, ait, si tu sustulisti eum, dic mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Tum Iesus; Maria. Et illa Rabboni. Tum Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meũ.* Considera Mariam quidem Jesum vidisse, quia amabat, sed non cognovisse, quia imperfecta erat in fide; ut discas, quando imperfectiones nimis multas miscemus amori nostro in Deum, fieri ut non magnum gustum spiritalem in divino servitio sentiamus. 2. Nota Mariam simul atque agnovit Dominum inconsideratè cucurrisse, ut illum amplecteretur, & ideo repulsam passam: ut discas, si quando ex singulari Dei gratia animus in oratione exardescat ad aliquod opus bonum faciendum, discretione & prudentia in eo exequendo utare & sedulò circumspicias, quid tempori, loco & personæ tuæ vel alienæ congruat. 3. Nota, Christum apparuisse in hortulani specie, ut discas imitari proprietates hortulani. Ejus munus est hortum colere, & instruere arboribus, stirpibus & herbis

fructiferis: & hominis pii atque Christiani, si salvus esse velit, est hortum animæ suæ colore & exornare optimis spiritualis doctrinæ, virtutumque documentis & exemplis.

MEDITATIO VXVII.

De apparitione facta septem discipulis piscantibus. Joan 21.

1. D*Iscipuli Christi septem cùm nocte piscantes nihil cepissent, & manè in littore Iesus petiisset, num pulmentarium haberent, id est, pisces: respondêre non.* Considera eos noctu piscari, & sine fructu laborare, qui opera bona exercent in peccato mortali, vel quòd in bonis operibus, non Dei gloriam, animarum salutem, sed sua tantùm commoda, vel humanam gloriam oculis propositam habent, vel qui pro judicio & voluntate, non Superiorum, nec invocato Chtisti auxilio, opus, licèt bonum, aggrediuntur. *Qui enim non colligit mecum*, ait Christus, Luc. 11. *dispergit.* 2. Considera Christum Apostolis apparuisse, mercatoris specie, quasi

quaſi piſces vellet emere, ut quæſtione illâ factus familiarior, tandem ad miraculum veniret, ut diſcant; qui alios Christo lucrari volunt, primùm familiares miſcere ſermones de mercaturæ, militiæ negotiorum aliorum ſucceſſu, quòd experti bonum conſilium, meliora conſulentibus deinde faciliùs credant.

2. *Ait Ieſus: Mittite rete in dexteram. Faciunt, & tot capiunt, ut rete attrahi non poſſet, Ioannes ait Dominus eſt. Petrus mox nudus in mare proſiliit, alii ad littus cum reti properant navigio.* Conſidera, mirabilem obedientiæ vim; quâ effectum eſt, ut longè minori labore Apoſtoli maximum fructum fecerint. Tota enim nocte ſuo nutu laborantes nihil ceperant, nunc alieno nitentes, piſces ſpe omni plures & majores. Noctu ad ſiniſtram infecerant rete, quia ſua tantùm commoda ſpectabant, nunc autem ad dexteram, quia quod egerunt, propter Deum & Chriſti gloriam egerunt. 2, Conſidera, Joannem ante alios cognoviſſe Chriſtum, quia illi ſunt capa-

ciores divinarum rerum, qui cum Joanne mente & corpore ſunt puriores & caſtiores, teſte Hieronymo Epiſt. ad Pammach. *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* Petrus autem nudus abjicit ſe in mare, quia quamprimùm anima guſtat, quàm ſuavis ſit Dominus, ejuſque jugum, mox nudus nudum, omnibus impedimentis abjectis, Chriſtum optat ſequi, & cum eo mare trrbulatiònum & crucis calcare, licèt alii malint trahentes rete, id eſt, onus temporalium bonorum, manenteſque in navi, id eſt, ſæculo, ad littus ſalutis paulatim tendere.

3. *Apoſtolis attractis* 153. *piſcibus in littus, ut viderunt prunis impoſitum piſcem, Ieſus ad prandium invitatis panem & piſcem diſtribuit.* Conſidera, ſicut Jeſus, dum illi piſcarentur nutu ſuo, paravit eis prandium, & coxit piſcem; ita dum nos hîc in divino ſervitio fatigamur, ipſum in cœlis parare convivium quo nos excipiat, & coronas, quibus laborem noſtrum remuneret. 2. Conſidere jucundum & felix hoc convivium.

Vide

Vide quomodo Dominus,qui paulò antè pro consueta humilitate sua & charitate cocum egerat, jam in prandio agat & ministrum,porrigat panem & piscem, simulque cum illis comedat. Stabant boni discipuli, non audentes loqui præ reverentia & stupore ,velut oves circum pastorem,aut filii circum amantissimum patrem, tantoque gaudio spiritu & corpore perfundebantur, ut in lachrymas solverentur: quæ non alia de causa facta sunt,quàm ut crederent verè eum resurrexisse, & post labores hujus vitæ, cùm ad littus,id est, ad vitam æternam venerint, se remunerandos. 2. Considera, per prunas ignem Spiritus sancti, per piscem assum, Christum passum in veru Crucis, per panem verò, memoriale passionis, id est, sacram Eucharistiam designari, ut tria tibi potissimùm commendata habeas in laboribus hujus maris vel mundi,primum ignem Spiritus sancti, id est,gratiam,vel ardentem in pectore charitatem in Deum & proximum, ex quo igne charitatis & Christus passus est. 2. crebram meditationem passionis Christi.

3. frequentem Communionem Euchariſtiæ, ſi ignem illum conſervare velis.

MEDITATIO XXVIII.

De apparitione in monte Galilææ Matt. 28.

1. *VNdecim diſcipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi conſtituerat illis Ieſus, & videntes eum adoraverunt.* Conſidera, hanc præcipuam fuiſſe Chriſti apparitionem, nam Chriſtus in ea oſtendit, quanta ſuam paſſionem ſecuta ſit gloria, & potentia, arcanum de vocatione gentium diſcipulis aperuit, Apoſtolos & Epiſcopos orbis eos fecit, & fundamentum Eccleſiæ jecit: ut diſcas, quanto gaudio ſoleat præteritas afflictiones compenſare, quas cum Apoſtolis pro Chriſto ſuſtinuerimus. 2. Nota, nos verum ſpiritum homines convertendi accepturos, quando cum Apoſtolis deſertâ valle, id eſt, hujus ſæculi commodis aſcenderimus montem perfectionis, & ſoli Chriſto, confixi cum eo cruci adhæſerimus.

2. *Et accedens ad eos Ieſus, dixit: Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo in totum mundum, docete omnes*

mnes gentes servare mea præcepta, & baptizate, &c. Considera summam humilitatem Christi jam gloriosi, qui cùm, ut Deus, omnem potentiam habuisset ab æterno, & ut homo, à primo momento conceptionis datam habuisset, tamen ita loquitur, ac si post resurrectionem priùs accepisset, ad confusionem nostram, qui in omnibus rebus gloriam & honorem nostrum quærimus, & dona nobis, non auctori Deo adscribimus. 2. Considera quantum gaudium obortum sit in Apostolorum animis, cùm primùm intelligerent Christo tantam potentiam post passionem & resurrectionem contigisse, ut non solùm ab omnibus hujus vitæ infirmitatibus & incomodis esset liber; sed tantus cœli & terræ Dominus, ut & opitulari eis possit deinceps in terra & in cœlo regnum æternum cōferre, deinde cùm audirent sibi etiam eamdem quadantenus potestatem conferri, ut nimirum toto orbe liceret Evangelium prædicare, peccatą remittere, & omnes homines ad salutem adducere. 3. Nota eos non ad quietem, sed ad magnos labores vocari.

3, *Qui crediderunt, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, ægros curabunt Et ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi.* Considera, illud esse veræ fidei vivæ per charitatem operantis argumentum, si zelum proximos juvandi habeamus, ut si efficiamus, ut dæmonia ejiciant, id est, peccata, per confessionem evomant, si ea loquamur, quæ gloriam Dei & salutem animarum promoveant; si dolos & fraudes serpentinas mundi aversemur, si vacillantes in via fidei vel vitæ sanctæ monitis nostris reducamus, si in persecutionibus constantes in pietate permaneamus, fiduciâ omni conjectâ in Deum, qui fidem suam non fallet, cùm hic promittat se nobiscum futurum, & quidem non serò, sed opportunè. *Ecce* enim præsens & opportunum designat tempus, quasi dicat, quoties opus erit adero. *Ego* autem significat eum, qui ex omnibus periculis liberare queat; ego scilicet, qui principem hujus mundi, mortem & mundum totum jam expugnavi.

MEDI-

MEDITATIONES DE COMMUNI SANCTORUM.

MEDITATIO I.

De communi Apoſtolorum.

Matth.9.20.Marc.6.Luc.6.9.

D*Ie facto, Ieſus vocavit ad ſe diſcipulos ſuos, quos voluit & elegit duodecim ex illis, quos vocavit Apoſtolos.* Conſidera neminem diſcipulorum ante vocationem ſe ad Apoſtolicum munus, id eſt, ut mitteretur ad prædicandum obtuliſſe, imò Chriſtus quemdam ultrò ſe offerentem & dicentem: *Sequar te quocumque ieris,* repudiavit. Unde diſcis, neminem, licèt idoneum ſe putet, debere ingerere ſe in functionem alios docendi vel regendi, ſed expectare donec ab iis, qui Chriſti vices obeunt, vocetur, ne dum vano pietatis zelo quærit lucrifacere a-

liorum animas, perdat suam. 3. Nota Apostolos à Christo vocatos in medio occupationum suarum, ut dum piscarentur, vel aliis negotiis temporalibus vacarent, ut indicaret servitium Dei omnibus hujus vitæ negotiis anteferendum. Unde habent, quod metuant, qui à Christo vocati, ob commoda temporalia, vel alios respectus humanos venire negligunt.

2. *Et misertus turbæ jacentis instar ovium non habentium pastorem, dixit: Messis multa, operarii autem pauci.* Considera, Dominum tum paucos discipulos ad opem toti mundo ferendam elegisse, ut indicaret, licèt reverà deberent esse multi prædicatores & pastores Ecclesiæ, tamen semper paucos fore veros operarios, multos autem mercenarios sua commoda quærentes. Semper enim pauci sunt, qui quærant labores, & animarum salutem, plurimi autem qui sectantur otium, & aucupentur honores, opes, & divitias. Quare rectè dixit Christus discipulis, ut Dominum rogarent pro operariis, nempe bonis & idoneis, in mes-

messem ablegandis. 2. Nota, Christum ut Apostolos extolleret super omnes Sanctos, voluisse eos coram mundo esse contemptos, & abjectos, & humilitati operam dare; ut metum injiceret iis pastoribus, qui semper ad majores honores & opes contendunt, ne tandem ad infimum locum detrudantur, si non in hac vita, saltem in futura.

3. *Apostolis item dixit? Nolite possidere aurum vel argentum, nec quidquam per viam portare, non sacculum, nec virgam, nec panem, nec duas tunicas.* Considera nusquam legi, Apostolos in totum orbem amandatos, secum tulisse ullum commeatum pro sua sustentatione, imò hic eis vetitum videtur, ut intelligant servi Dei studio juvandi animas accensi, non debere ipsos esse solicitos de victu vel amictu corporali, sed jactare omnem fiduciam in Deum, qui non est negaturus necessaria, cùm ad omnes ipse dixerit: *Nolite soliciti esse, dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur.* 2. Nota, quòd Dominus, in iis quæ ad alios pertinent, man-

darit, ne ferrent virgam, indicans non severè, & asperè, sed humaniter & benignè à pastoribus tractandas spirituales oves, nec duas tunicas, ne superfluis se onerarent, sed erogarent in pauperes.

II. PARS.

I. NOn *vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, ut quòd petieritis patrem in nomine meo, det vobis.* Considera, eos quibus incumbit cura animarum, non posse sperare laborum suorum fructum, nisi à Deo electi, & missi sint per eos, qui Christi locum tenent, & licèt putent se aliquem facere fructum, is tamen stabilis non est. Deinde, ut electi sint à Christo, non debent tamen fructum quem colligunt, suæ industriæ tribuere; sed gratiæ Dei; si enim opem ejus implorent, omnis sufficientia eorum ex Deo est, ut loquitur Apostolus 2. *Cor*. 2. Idque fit ut conserventur in humilitate, ne dum aliis prædicant, ut idem dicit 1. *Cor*. 6. ipsi à Deo reprobentur.

2. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret.* Considera, te ex his verbis posse scire, cujus partes sequaris; Deine, an mundi: nam si ob cultum veræ pietatis, & vitiorum fugam, ridearis, contemnaris, & graviter ab aliis affligaris, signum est te exosum esse mundo, ac proinde electum à Christo, qui dicit tales non esse de mundo, cùm sint potiùs de cœlo. Contrà verò, si quia conaris amicitiam cum mundo colere, amaris & honoraris ab omnibus, signum est te diligi à mundo, ac proinde vehementer dubitare, an manseris in numero eorum, qui sunt à Christo electi. Nemo siquidem potest simul placere Deo & mundo. *Quidquid enim est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ*, ut loquitur S. Joannes 1. cap. 2. qui sunt tres fontes omnium malorum, Deoque exosi.

3. *Ecce ego mitto vos, ut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Con-

 sidera,

ſidera, Dominum Apoſtolis, & per eos omnibus Chriſti ſervis conſulere, ut in converſatione cum hominibus imitentur ſimplicitatem columbinam, & prudentiam ſerpentinam; columba caret felle & malitia. Si pellitur, redit, ſi pulli ei tollantur è nido, gignit alios in eodem. Serpens verò pro defenſione capitis periculo exponit totum corpus: ſic Chriſti ſervus, cogitare debet bene de omnibus, dicta, factaque aliorum in bonam partem interpretari, malè agentibus benefacere, diligere inimicos, & beneficiis eos ſibi devincire. At ubi viderit in diſcrimen vocari gloriam Chriſti, vel animæ ſuæ ſalutem, inſtar ſerpentis, non ſolùm facultates ſuas temporales, ſed etiam vitam, ſi opus ſit, propriam, ad tuendum divinum honorem, ſuamque ſalutem debet exponere.

MEDITATIO II.

De iiſdem Apoſtolis.

1. CONſidera, ſicut Deus olim ad frangendam Pharaonis ſuperbiam ei immi-

immisit non leones vel tigrides, sed exiguas muscas; Holofernis, fœminam Hebræam; Madianitarum, paucos milites armatos lagenis & tubis; sic ad frangendam tyrannidem dæmonis & mundi, misisse simplices & rudes piscatores. nempe, ut fructus eorum, id est, conversio mundi tribueretur divinæ potentiæ, sciretur que Evangelii propagationem, non humanum, sed divinum opus fuisse. 2. Ut ipsi agnoscerent se non merito suo, sed ex gratia ad Apostolicam dignitatem vocatos. 3. Ut exuti curis temporalibus, in prædicatione essent promptiores; aliisque suaderent paupertatem Evangelicam. 4. Ut experientia propriæ fragilitatis & ruditatis discerent, aliorum infirmitatibus compati. Secundò, Nota numerum Apostolorum præfiguratum multò antè in duodecim fontibus deserti Helim, lapidibus pretiosis in Rationali, panibus propositionis in templo, lapidibus ex quibus erectum altare, bobus sustinentibus mare æneum, leonibus throni Salomonis, 12. fundamentis sanctæ civitatis Jerusalem *Apoc.*

21 ex quibus cognosci potest, quàm nobile & sublime fuerit officium Apostolorum, eorumque qui illis successerunt.

2. Considera, quam singularis gratia fuerit, eos ex toto orbe seligi, ut cum orbis Domino, familiariter conversarentur, ut fierent Novi Testamenti ministri, & divinorum mysteriorum dispensatores, ut post angularem lapidem Christum essent lapides primi & fundamenta Ecclesiæ, ut ipsi extruerent Ecclesiam, cujus materiem omnes Patriarchæ & Prophetæ comportarant ut donis gratiæ iisdem, & omnibus Regibus ac Principibus, qui fuerunt & erunt, præferrentur. Unde & in Scriptura vocantur Principes super totam terram regnantes, Pastores, & Doctores, Dii fortes, amici & fratres Christi, cœli montes, agni, sal terræ, lux mundi. 2. Nota, quàm magna & multiplex iis collata fuerit potestas. 1. Fuit consecrandi corpus & sanguinem Domini, ac offerendi, quam ne Angeli quidem habent. 2. Dimittendi peccata, & partiendi regnum cœlorum, quia facti sunt quasi Dii. 3. Pascendi oves, & regen-

regendi Ecclesiam. 4. Docendi novam legem gratiæ. 5. Scripturas canonicas edendi quia Spiritus sanctus per eorum ora loquebatur. 6. Miracula, quo doctrinam suam confirmarent, patrandi.

3. Considera, fructum quem fecerint, nam primò totum orbem Evangelio complerunt, falsorum Deorum cultum exciderunt, oraculis eorundem ora clauserunt, radices peccatorum evulserunt, igne spiritus sui sylvam mundi accenderunt, demùm quidquid boni hodie in Ecclesia cernitur, ab illis profectum est. Ab his manavit constantia Martyrum, justitia Confessorum, puritas Virginum, zelus Doctorum, sanctitas Sacerdotum, rigor Monachorum, unde admirans hunc fructum clamat Propheta: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Psalm* 131. Quòd si tanta fecerunt dum essent mortales in terra, quid jam facient immortales in cœlo? 2. Perpende, quantum laborum præmium eis cesserit in hac & altera vita. In hac quidem, pax conscientiæ, eis ante mortem relicta,

cùm Criſtus diceret: *Ioan*, 14. *&* 16. *Pacem meam do vobis.* 2. gaudium cordis, cùm ait, *Marc.* 10. *Iterum videbo vos, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Atque hoc eſt centuplum illud promiſſum relinquentibus omnia. 3. perſecutiones, cruces, & mors glorioſa pro Chriſto tolerata, nulla enim re homo ſimilior Chriſto fit, quàm qui pro eo patitur. Unde Apoſtoli gaudebant, quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati: & B. Paulus *Act.* 5. gloriabatur in ſuis tribulationibus. In altera verò vita primum præmium eorum fuit, quòd ſeſſuri ſint ſuper ſedes duodecim iudicaturi duodecim tribus Iſraël, imò ut ait Apoſtolus Paulus, erunt & iudices Angelorum. Alterum erit, quòd edant & bibant in menſa regni Chriſti, id eſt, omnibus delitiis, quæ mente excogitari non poſſunt, circumfluent, eoque amplius, quòd cæteris erunt beatiores.

* * *

ME-

MEDITATIO III.

De SS. Martyribus.

I. CONsidera opere Martyrii nullum esse præstantius. 1. Quia est nobilissimus charitatis actus. *Majorem charitatem nemo habet*, ait Christus, Joan. 15. *quàm qui ponit animam pro amicis suis.* 2. Quia est actus invictæ fortitudinis, quia contemnuntur omnia genera pœnarum, ac ipsa mors. 3. Quia actus insuperabilis patientiæ, de qua Christus Luc. 21. *In patientia possidebitis animas vestras.* 4. Quia excedit omnia alia sacrificia & oblationes, nam in his externa tantùm; in illo verò omnia externa & interna offeruntur Deo. 5. Quia reddit Martyres similiores Christo, nempe milites duci. *Qui vult venire post me*, ait Christus Luc. 9. *tollat crucem suam & sequatur me.* 2. Nota varios esse Martyres, & quidem propriè dictos Primò, qui pro fide & confessione Christi trucidantur, Secundò, qui ob defensionem veritatis,

ut S. Joannes Baptista, Isaias, Jeremias. Tertiò, qui ob observationem divinæ legis, ut Machabæi. Quartò, qui ob defensionem immunitatis Ecclesiasticæ, ut S. Thomas Cantuariensis. Quintò, qui ob probitatem suam, ut justus Abel.

2. Considera, quàm liberaliter Deus remuneretur hoc heroicum opus martyrii in hac vita & futura. In hac quidem, quia promittit illis in Evangelio se tantã efficaciam daturum eorum verbis, ut omnes eorum adversarii non possint iis resistere, & ideo non debere, vel præmeditari, quid respondeant. Secundò, etsi flammis ardeant, vel à bestiis discerpantur, ne unum quidem capillum eorum periturum. Tertiò, quia certò sciunt se mox à morte fore salvos, & ideo Augustinus ait, injuriam fieri martyri, si quis oret pro eo post mortem. Unde *Psalm.* 11. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Quartò, quia tanta solatia in ipsis tormentis Deus suppeditat, ut in corpore sæpè nullum dolorem sentiant, ut accidit S. Laurentio & S. Stephano videnti cœlum apertum. In al-

tera

tera verò vita Deus quoque copiosè remunerat martyrium, quia perfectissimè vicêre mundum, carnem suam & dæmonem, unde de iis dicitur *Psal.* 20. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Et coronam quidem duplicem. Unam auream, quæ est communis omnibus beatis, nempe gloria essentialis. Alteram aureolam, quæ est gloria accidentalis, debitam iis qui heroico opere victoriam ex hoste retulerunt. Quò pertinet & gloria, quâ post Apostolos in tota Ecclesia eorum festa celebrantur solemnius: patrociniumque à fidelibus invocatur.

3. Considera, & alios esse martyres, impropriè quidem ita dictos, sed, tamen veros, & ejusdem præmii cum superioribus participes, uti sunt illi, qui non in corpore, sed in animo acerbissima perpessi sunt, ut fuit B. Virgo *Luc.* 2 de qua S. Simeon vaticinatus est, quòd animam ipsius pertransiturus esset gladius, nempe cùm staret sub cruce filii, qui gladius ei tantum dolorem conciliavit, ut ea de causa dicatur plus quàm martyr, &

regina martyrum. 2. ii qui in anima & corpore multa pro fide, vel justitia perpessi, tamen occisi non sunt, ut B. Job, S. Joannes Apostolus, S. Athanasius, & innumeri eremitæ, virgines. aliique religiosi, qui per omnem vitam carnem suam crucifixêre cum concupiscentiis, & acerbitatem passionis martyrum, diuturnitate mortificationis non solùm æquarunt, sed etiam crebrò superarunt. Quis enim dubitet plus mereri eum, qui 20. 30. vel 40. annos in summa humilitate, castitate, paupertate, & obedientia antè Deo promissâ egit, multisque bonis operibus claruit, quàm qui brevi temporis momento ob fidem Christi occisus est; Unde S. Bernardus notavit Christum in Evangelio idem tribuisse præmium pauperibus spiritu (utrorumque enim ait esse regnum cœlorum) & martyribus, quoniam voluntaria paupertas sit quoddam martyrium.

MEDITATIO IV.

De SS. Confessoribus,

1. COnsidera Confessores vocari generatim eos, qui citra profusionem sanguinis in omni pietate & sanctitate vitam clauserunt, & confessi sunt Christum. Primò, corde, in eum credendo, eumque adorando ut creatorem cœli & terræ. Secundò, ore, eum assiduè laudando & benedicendo, gratiasque pro beneficiis agendo: deinde ejusdem honorem & doctrinam verbis & scriptis, ut fecerunt Ecclesiæ Doctores, defendendo. Tertiò, factis & operibus, id est, mandatis divinis parendo, & vitam Christiano homine dignam agendo.

2. Perpende & confiteri Deum eos cum merito, qui se accusant ob proprios defectus. *Iustus enim* ut habet Sapiens Prov. 12. *prior est accusator sui.* Confitendo enim peccata, fatemur Deum solum esse justum, & sanctum, solumque esse misericordem, qui possit peccata remitte-

mittere, ſicut monet S. Joannes: *Si confiteamur*, inquiens, *peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emendet nos ab omni iniquitate.*

2. Conſidera, ſpeciatim inter ſanctos Confeſſores numerari primò eos qui poſt exilia, carceres, aliaque tormenta pro Chriſto perpeſſa tandem in pace obiêre. Secundò, Doctores, qui ſanctitate vitæ & doctrina, ſcriptiſque libris orbem illuſtrarunt, & converterunt. Tertiò, qui omnibus hujus mundi bonis relictis, ſe in ſolitudines vel cœnobia abdidêre, & duriſſimam vitam duxêre in paupertate, caſtitate & obedientia. Quartò, qui eximii in charitatis operibus corporalibus vel ſpiritualibus fuêre,. ut Job, Tobias, Conſtantinus, & Carolus Magnus, S. Joannes Eleëmoſinarius & alii, qui in ſæculo ſanctè vixerunt.

3. Conſidera, quantum præmium hos Confeſſores maneat: nam Matth. 20 dixit Chriſtus: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Angelis Dei, & coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Quod ſine dubio futurum

rum est in extremo die judicii in totius Ecclesiæ militantis & triumphantis conspectu. Cogita, quanto gaudio exilient animæ eorum, qui tunc nominatim laudabuntur, & jubebuntur sedere inter primos divinæ & regiæ aulæ illius Principes, ut fulgeant sicut stellæ firmamenti in perpetuas æternitates. Vide & illos qui omnia sua hîc reliquerunt, ad sublimiorem gradum evehi, ut sedeant super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. *Matth.* 19. id est, omnes fideles. Ac denique lautissimum omnibus apparatum convivium, in quo Christus ipse transiens ministret, ut loquitur B. Lucas cap. 12.

MEDITATIO V.

De communi SS. Virginum.

1. CONsidera Christum cùm de cœlo in terram descendit, instituisse familiam Virginum, ut sicut ipse in cœlo adoratus erat ab Angelis, ita in terris Angelos haberet, qui ei servirent. Dedit fide-

fidelibus ſpiritum, ut ſe puros & caſtos ſervarent, ac corporis ſui vas, ut monet Apoſtolus 1. *Theſſ.* 4. in ſanctificatione & honore cuſtodirent; & non in paſſione deſiderii. Fuit virginitas in cœlo inventa, & ad homines delapſa, ac poſt judicii diem in cœlo, ubi neque nubent, neque nubentur ulli, ſed omnes erunt ut Angeli Dei, ſemper perſeverabit. 2. Perpende Chriſtum eam aliis conſuluiſſe & etiam ſervaſſe perfectiſſimè: quippe qui erat candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Matrem quoque ſuam Mariam omnium Virginum Reginam eſſe voluiſſe. Præcurſorem item ſuum Joannem Baptiſtam, & inter Apoſtolos chariſſimum Joannem.

2. Conſidera ſtatus virginei dignitatem. Primò enim Virgines ſunt Chriſti ſponſæ. Unde S. Agnes ad Tyrannum: *Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* Secundò, magis conformes ſunt Chriſto, ejuſque matri, & SS. Angelis. In carne enim eſſe, & non ſecundùm carnem vivere, non humanum, ſed Angeli-

cum

cum eſt. Tertiò, in parabola ſementis. *Matth.* 13. Sancti Patres Virginibus tribuunt fructum centeſimum, ac viduis ſexageſimum, conjugatis autem trigeſimum. Quartò, curis ſæculi ſunt ſolutæ. *Virgo* enim ait Paulus 1. Cor. 7. *cogitat quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Quintò; quia Virginitas, teſte S. Ambroſio, & mater Martyrum, imò & ipſa eſt martyrium, nam martyrium ſæpè brevi tempore abſolvitur, at virginum cum carne pugnantium diuturnum eſt martyrium. Sextò, quia voto continentiam perpetuam offerre, Origine teſte, eſt holocauſtum Deo gratiſſimum.

3. Conſidera Virginum præmium à S. Joanne Apoc. 14. deſcriptum. Vidit enim agnum ſtantem ſupra montem Sion, & cum eo 144. millia habentium nomen ejus, & Patris, ſcriptum in frontibus ſuis: audivit vocem citharœdorum, addens: *Iſti ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum quocumque ierit.* Mons Sion eſt Eccleſia triumphans, Agnus immaculatus eſt Chriſtus, quem con-

grue-

gruebat ſtipari à Virginibus mente & corpore puris, quæ in fronte nomen ejus habebant, quia opere fidem quam in corde habebant profeſſæ ſunt. Citharas, quæ habent chordas ordine extenſas, pulſabant, quia mortificantes membra ſua quaſi extenſæ fuêre & confixæ cum Chriſto in ligno crucis, dum viverent, & ſuaviſſimum in auribus Dei ſonum reddiderunt.

MEDITATIONES DE BENEFICIIS DIVINIS.

MEDITATIO I.

De Beneficio creationis.

1. CONSIDERA opus ipsum, quid ab æterno usque ad diem conceptionis tuæ in utero matris fueris, nempe putum purumque nihil, quod quâlibet creaturâ etiam minimâ & vilissimâ vilius est. Secundò, cùm nihil esses, & nihil referret te esse aut non esse, Deum ex mero amore tui te creasse, & totum tibi dedisse, quod es, Tertiò, cùm Deus potuerit te aliud facere quàm hominem, ut bestiam, lapidem, vermiculum, fecisse te creaturam rationalem, omnium aliarum corporalium dominam, Quartò, hominem non

non ſtultum, cæcum, claudum, leproſum ſed ſanis & integris membris. Quintò, ad imaginem & ſimititudinem ſuam. Ad imaginem quidem, quia intellectu, voluntate & memoria præditum. Ad ſimilitudinem verò, quia omnium virtutum pulcherrimarum capacem, quæ ſunt quidam divinæ naturæ quaſi characteres.

2. Conſidera, tuæ creationis finem, qui eſt ut viciſſim Deum creatorem ex toto corde, tota anima, & tota mente, & omnibus viribus tuis ames, quia totum te, quantus es creavit. Si enim parentibus ſecundùm Ariſtotelem, non poſſumus reddere æquivalens, qui corpus genuerunt quomodo poterimus Deo, qui totum hominem condidit. 2. ut omni humilitate & pietate Deo ſervias, obſequendo ejus & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ mandatis. 3. ut eum ob beneficia præſtita, maximè autem creationis perpetuò coles, laudes & glorifices. Si enim in Veteri Teſtamento vix ullum beneficium populo Iſraëlitico contulit, quod non voluerit anniverſaria, & ſolemni recoli memoria, quid non exiget à nobis pro

hoc

hoc beneficio creationis immenſo nobis præſtito, quod non ſolùm ad imaginem ſuam nos condidit, ſed animam immortalem impertiit, ut immortalibus aliquando bonis frueretur? Unde rectè quidam Sanctus concludit, hominem non toties reſpirare, quoties tenetur Dei ſui recordari. Sicut enim ipſe ſemper eſt, ita debere Deo ſemper gratias agere pro immortali eſſe quod ab eo accepit. 4. ut poſtquam dicta in hac vita præſtiteris, tandem felicitatis æternæ cum Deo particeps efficiaris, quo nullum majus bonum excogitari poteſt.

3. Conſidera finem creationis aliarum creaturarum corporalium, qui eſt ut nobis ſerviant, & auxilio ſint ad conſequendum finem noſtrum. Creavit enim Deus cœlos, Solem, Lunam, & ſtellas, ac elementa, ut nobis ad diſtinctionem dierum & noctium uſui eſſent, ut ſuo influxu hæc inferiora pro noſtra neceſſitate afficerent. Deinde varia animalium genera, alia ad ſublevandos labores, alia ad præſtandum victum & amictum, alia ad recreationem, alioſque uſus quotidia-

tidianos Similiter Deus aliis omnibus donis suis naturalibus & supernaturalibus nobis concessis,ut ingenio,prudentiæ,fortitudini corporis sanitati, doctrinæ, divitiis, honoribus, &c. hunc finem præstituit, ut serviant nobis ad salutem. Et ideo si non serviant, contraria potius nobis esse optanda & eligenda, ut ægritudinem potius quàm sanitatem, mortem quàm longam vitam, paupertatem quàm divitias, religiosam vitam potiùs, quàm sæcularem.

MEDITATIO II.

De Beneficio conservationis.

1. CONsidera Deum postquam te fecit,etiam conservare & gubernare,quod non est minus beneficium priore. Illud enim semel tantùm tibi factum est; hoc autem semper repetitur. Quotidie enim Dominus quodammodo te creat, quia semper conservat, quem semel creavit: nec minor vel potentia, vel amor requiritur in uno, quàm in altero.

Si igitur multum illi debes, quia subitò te creavit, plus debebis, quòd jugiter te conservet. Quotquot enim temporis momenta habuit, & habet, & habebit vita tua, tot partes sunt istius beneficii, quia nec in uno illorum subsistere potuisses, si Deus oculos suos à te avertisset.

2. Considera Deum omnia alia bona mundi condidisse, ut juvarent ad tui conservationem & gubernationem, ac imprimis Angelos ipsos qui assistunt semper ante faciem ejus. *Omnes enim,* teste B. Paulo Hebr 1. *sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Idem dicendum est de omnibus aliis creaturis corporeis totius mundi, quæ diriguntur à Deo in hunc finem, ut hominem in suo esse conservent, cœlum cum planetis, aër cum avibus, mare & flumina cum piscibus, terra cum bestiis, fructibus, floribus, coloribus & odoribus, quod mirabatur Propheta Psalm. 8. dicens: *Quid est homo, Domine, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Gloriâ & honore coronasti*

 eum,

eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi.

3. Considera, sicut omnia bona sunt nostra beneficia, sic etiam omnia mala esse nostra beneficia, quia ab illis Deus nos conservavit. Alios enim videmus affligi calculo, alios podagrâ, alios leprâ, alios epilepsiâ, aliisve morbis. Mundus enim hic nihil aliud est, quàm infinitarum ærumnarum, & laborum pelagus, nec in ea vel una domus invenitur, in qua non sit aliqua calamitas. Itaque si ab his liber & immunis sis, est quòd Deo pro tanto beneficio gratias agas. Cùm enim omnia mala, aut ex natura, aut culpa oriantur, & in te utraque causa adsit, cur non similes in te existunt effectus? quis malorum illorum diluvium impedivit, quò minus te obruerit, nisi divina gratia & beneficentia?

MEDITATIO III.

De Beneficio redemptionis.

1. Consídera à quo ſis redemptus, nempe à Filio Dei tuo creatore & conſervatore, qui humanam naturam aſſumere dignatus eſt, ut perfectiſſimo modo te redimeret à peccatis, & perpetua damnatione inferni, quam per peccatum merebaris. 2. Conſidera quantum amorem in hac re erga te & omnes homines Deus demonſtravit, nempe quantum maximum potuit. Nam cùm non poſſet pro ſuis peccatis ſatisfacere ullus homo, ſi Deus non fieret homo, ipſe pro homine voluit fieri homo, & quidem mortalis & paſſibilis, ac potiùs mori pro homine, quàm ut periret homo. Non ſecùs, ac magnus Rex aliquis pro viliſſimo mancipio, quod pro graviſſimis ſceleribus nullo ſupplicii genere compenſare poſſet partis læſæ offenſam, vel ſeipſum, vel filium ſuum mactandum offerret.

2. Considera, quo modo sis redemptus, nempe perfectissimo. Poterat enim Deus sola voluntate, verbo vel nutu, antequam fieret homo, nos redimere, sicut uno verbo creavit. Et factus homo poterat una oratione, uno gemitu, una gutta sanguinis etiam in circumcisione sua profusa totum genus humanum redimere, sed voluit totius sanguinis effusione, passioneque omnium acerbissima, & ignominiosissima redimere. 2. Considera, tantam acerbitatem fuisse, ut ipsi in horto oranti, cogitatio sola futurorum cruciatuum sudorem sanguineum toto corpore expresserit. Flagris sic concisus, colaphis contusus, sputisque oppletus est, ut videretur leprosus. Manus, pedesque clavis obtusis confossi, caput spinarum aculeis per cranium transfixum. Et super hæc trabem crucis ipse suis humeris jam convulneratis gestare coactus est, sed supra vires, quia sub onere corruit. 3. Considera, quàm ignominiosa fuerit tota passio Primò enim à proprio discipulo proditus, deinde funibus & catenis per vias in habitu alieno velut stul-

tu:

tus, pertractus, per ludibrium tanquam Rex adoratus, Barrabæ latroni posthabitus, in medio latronum velut sceleratissimus, crucifixus, & in ipsa cruce variis conviciis lacessitus.

3. Considera, à quantis malis sis redemptus. Primò enim redemptus es à peccatis, quorum tanta est gravitas, ut expiari non potuerint nisi sanguine Filii Dei. Secundò, à perpetua tyrannide & servitute diaboli, cui per peccatum eras mancipatus. Tertiò, ab igne æterno diabolo & Angelis ejus parato. 2. Considera quanta bona ex hac redemptione consecuta sint. Primò enim ex filio diaboli factus est filius Dei. Secundò, ex hærede æternæ damnationis factus est hæres æterni regni. Tertiò, factus est particeps gratiæ & amicitiæ divinæ, omniumque donorum spiritualium. Quartò, ut si in peccata vetera relabaris, iterum possis per pœnitentiam in gratiam restitui. Quintò, ut in gratia existens merearis augere gratiam, & vitam æternam. Sextò, ut suscipias fontem gratiæ, nempe in SS. Eucharistia, ac etiam, (ut pro tot

beneficiis à Deo acceptis dignum aliquid reddas,) Patri cœlesti eundem offeras, quod fit in sacrificio Missæ.

MEDITATIO IV.

De Beneficio vocationis ad fidem Catholicam.

I. CONsidera non prodesse nobis beneficium redemptionis, nisi subsequatur beneficium vocationis ad veram fidem, & justificationem. Sicut enim emplastri nullus est usus; si non applicetur vulneri, sic nec passionis Christi in nobis ulla sequitur utilitas, nisi per fidem, & Sacramenta fidei nobis applicetur. 2. Considera, sine peculiari ope & auxilio divino neminem vocari ad veram fidem. *Nemo potest venire ad me*, inquit ipse Christus, Joan. 6. *nisi Pater meus traxerit illum.* Sicut enim lapis naturâ suâ semper cadit deorsum, nec potest tendere sursum nisi auxilio externo, sic homo propter peccati corruptelã semper inclinatur in amorem rerum terrenarum, nec potest ad amorem cœlestium mentem erigere, nisi dexterâ excelsi adjutus.

3. Con-

2. Conſidera quot millia non dico hominum, ſed nationum infidelium & hæreticorum ab initio mundi, & ante Chriſtum,& poſt Chriſtum,ac etiam hoc ſæculo juſto Dei judicio hanc neceſſariam ad ſalutem vocationem conſecuti non ſint,ac proinde perierint ac pereant in ſua infidelitate vel hæreſi. Cogita, quid de te factum eſſet, ſi inter ethnicos natus eſſes, ſi ligna & lapides adoraſſes. Deinde ſi hæreticos parentes, cognatos, patriam habuiſſes. Vide quantas gratias debeas Deo tuo,quòd in tanta reproborum multitudine voluerit te inter domeſticos Eccleſiæ ſuæ Catholicæ Romanæ naſci,lacte Apoſtolorum nutriri, & ſanguine Chriſti inebriari. Quòd voluerit te per ſacrum baptiſmum renaſci, filium Dei & vitæ æternæ hæredem fieri.

3. Conſidera,quot millia Chriſtianorum ſint, qui per veram fidem in Chriſtum & baptiſmum à peccatis & damnatione æterna quidem ſunt liberati, & divinæ gratiæ & amicitiæ reſtituti, ſed tamen vel in hæreſin, vel in gravia pecca-

ta relapſi ſint, ex quibus non emerſerunt; tu autem toties relapſus, & naufragium paſſus; arreptâ pœnitentiæ tabulâ ad portum ſalutis redieris: quàm patienter tecum ſæpè Deus egerit, quòd vel gravia peccata committentem, vel diu in illis hærentem, & non dolentem, imò alios etiam ad illa ſollicitantem, ſuſtinuerit. Quòd in medio peccatorum multas ſæpè inſpirationes pias ſuggeſſerit, & ad reſipiſcendum vocaverit eum, qui nil aliud faciebat, quàm quòd vocantem offenderet. Quòd denique clamore tam alto vocarit, ut non ſecùs, quàm Lazarum à morte ad vitam revocarit, ac tantâ gratiâ ornarit, ut etiam ſuave ſit & jucundum à priſtinis peccatis abſtinere, & Deo ſervire.

MEDITATIO VI.

De Beneficiis peculiaribus, cuique propriis.

CONſidera ſi quæ peculiaria à Deo beneficia tibi totâ vitâ tuâ contigerint, quæ

quæ non ſunt aliis, etiam Catholicis, inter quos vixiſti, communia, ſive ſint naturæ, ſive fortunæ, ſive gratiæ. Naturæ & fortunæ eſſe poſſunt hæc: Quòd infans non ſis in utero materno extinctus. Quòd non ſis natus ex parentibus infamibus, illegitimis, hæreditario morbo infectis, corpore vitiatis, magis & veneficis, mendicis, latronibus, aliiſque nebulonibus. Quòd à parentibus piis ab infantia educatus, & ab iiſdem pædagogis, magiſtriſque Catholicis ac probis traditus inſtituendus. Quòd ſeveriore diſciplina domeſtica & ſcholaſtica fueris à ſocietate petulantium laſcivorumque puerorum, & à variis peccatis abſtractus.

2. Conſidera beneficia particularis gratiæ, maximè poſt annos pueriles. Quòd tibi præceptores obtigerint docti & pii, qui ſimul veram pietatem Chriſtianam cum litteris inſtillarint. Quòd occaſionem habueris multas conciones & exhortationes audiendi. Quòd ad eas ſcholas, Academias, hominumque piorum ſodalitates perveneris, in quibus frequens eſt uſus ſanctiſſimorum Sacra-

mentorum Confessionis & Eucharistiæ: ubi multa præclara exempla veræ pietatis publicè, privatimq; cernuntur. Ubi vigent exercitationes repetitionum quotidianarum, disputationumque privatarum & publicarum. Ubi nulla est juventutis vanitas & dissolutio, ubi summa erga præceptores obedientia & reverentia. Ubi denique liberè exercitationi omnium bonorum operum, ipsique honestati; sine cujusquam ludibrio & convicio, quisque vacare potest.

3. Considera alia beneficia magis arcana & occulta, tibique omnino propria, ut si sis à parentibus hæreticis natus, in hæresi ab hæreticis præceptoribus instructus, & tamen tandem mirabiliter ad veram fidem traductus: si in ea perstiteris, etiam postquam à parentibus vel amicis es exhæredatus, vel derelictus. Item, si à societate malorum singulari gratia abstractus. Si ex sordibus gravis alicujus peccati in quod diu hæseris, emerseris. Si à periculo singulari, vel amici vel corporis liberatus, ut à naufragio, à morte post lethalia vulnera, à gravissima

tentatione, verbi causâ, se necandi, vel ab alijs periculis tibi ignotis. Quis enim scit, à quot tentationibus te Deus præservarit? à quot occasionibus peccandi? quoties laqueos inimici in via existentis ruperit, ne illis implicareris? Quare sicut pro occultis peccatis quotidie oras cum Propheta, Psalm. 18. *Ab occultis meis munda me Domine*, ita & pro occultis istis beneficiis debes gratias agere.

MEDITATIO VII.

De Beneficio æternæ Prædestinationis.

1. CONsidera hoc beneficium non esse commune, sed peculiare, eorum dumtaxat, qui ab æterno à Deo electi sunt ad vitam æternam, quod est omnium beneficiorum maximum, & gratia gratiarum, non solùm quia datur ante omne meritum, ex sola immensa Dei bonitate; sed etiam quia cæterorum est fundamentum. Cùm enim homo electus est ad vitam æternam, mox quoque Deus, qui ad illam consequendam requiruntur media impertitur. *Quos enim prædestinavit*, inquit Apostolus,

P. P.rm Camal: Eremitar.

lus, Rom. 8 *hos & vocavit & justificavit.* Sicut enim Pater carnalis, qui filium educat, ut aliquando Ecclesiasticus fiat, curat ut à teneris annis litteris operam det, & moribus Ecclesiasticis assuescat, sic æternus Pater semel ad gloriam æternam electos, paternâ suâ curâ dirigit in via justitiæ, donec ad finem destinatum perveniant.

2. Considera, etiam si hoc prædestinationis beneficium in hac vita nobis maneat occultū, tamen signa quædam illius haberi posse: inter quæ maximum est perseverantia in vita pia & sancta. Qui enim multis annis in timore Domini vixit, atque omni studio peccata mortalia fugit, piè potest credere, quòd, uti Apostolus loquitur 1. *Cor.* 1 confirmabit eum Dominus usque in finem sine crimine in diem adventus Domini, & quòd uti incepit, sic finiet. 2. Considera, neminem quidem de hac perseverantia posse esse securum, nam & Salomon, cùm diu piè vixisset, tandem defecit, tamen quia una hyrundo non facit ver, & proverbium est: *Adolescens juxta viam*

*viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea: Prov.*22.humiliter de infinita Dei bonitate præsumi potest, quòd qui ita perseverat, electorum numero sit adscriptus, sicut præsumit se salvandum hoc enim illud præsupponit.

3. Considera, quanti faciendum sit hoc beneficium, ac proinde quantæ gratiæ tibi pro eo sint agendæ Deo Opt. Max. Primò enim nihil excellentius, vel sublimius esse potest fine & scopo prædestinationis; est enim ipse Deus, vel æterna divinæ visionis, & omni voluntate plenissima fruitio; quod bonum est omnium maximum, quo majus desiderari non potest. Deinde prædestinatio est antiquissima; quæ non incæpit cum mundi constitutione, sed mundo multò antiquior, imò ipsi Deo coæva; qui quemadmodum ab æterno est, sic ab æterno dilexit suos, & te. Tertiò, quia est electio immutabilis, quod enim Deus semel voluit & decrevit, immutari non potest. *Ego Deus,* inquit ipse, apud Prophetam, *& non mutor.* Quartò, quod te cum paucis aliis inter tot

centena millia hominum, qui sæpe meliores fuerunt, dignatus sit eligere in numerum prædestinatorum, idque ab omni æternitate; quòd pectori divino tui memoria insculpta fuerit ante omnia sæcula, quòd pro filio Dei adoptivo habitus sis, & in splendoribus Sanctorum, cùm Pater cœlestis dixit filio naturali: *Ego hodie genui te.*

MEDITATIO VIII.

De beneficio vocationis ad Religionem, quæ est pro Religiosis.

1. CONsidera, si religiosus sis, aut desiderio ingrediendi religionem tenearis, hoc beneficium quoque esse peculiare, & post divinam prædestinationem omnium maximam, paucisq; concessum, & ideò Christus dicebat de illo Matth. 19. *Qui potest capere capiat.* Et: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Religio enim est status perfectionis, non quòd omnes perfecti

esse

esse debeant qui eam suscipiunt, sed quòd quotidie proficiendo per observationem non solùm præceptorum, sed etiam consiliorum divinorum debeant ad vitæ Christianæ perfectiones tendere. Hæc est, dempto martyrio angustissima via quæ ducit ad vitam æternam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. *Matthæi* 7. in hac, si quis convenienter suæ regulæ in vita pia & sancta perseveret, probabilissimum argumentum habet se esse in numero prædestinatorum.

2. Considera causam cur hoc beneficium tanto sit in pretio habendum. Una est, quia in Sacra Scriptura sola temporalium facultatum in pauperes propter Christum distributio, amplissimam habet promissionem à Christo, ut quòd magnum thesaurum ejusmodi habituri sint in cœlo. *Matthæi* 19. deinde, quòd centuplum in hoc sæculo accipient, quoad domos, agros, & fratres, & in futuro vitam æternam. *Marci* 10. Quid ergo habebunt, qui præterea se castrant propter regnum Dei, & volun-

tatem suam, ac judicium subjiciunt voluntati hominis loco Dei & hoc palam solenni vel simplici professione Deo, & omnibus Sanctis vovent, ut faciunt omnes veri religiosi: Altera est, quia sancti Patres comparant ingressum in religionem alteri baptismo, eò quòd per illum homo, sicut per baptismum liberetur ab omnibus peccatorum pœnis. S. Gregorius addit, sicut holocaustum excedit alia sacrificia, sic ingressum religionis, omne genus pœnitentiarum vel satisfactionum etiam publicarum excedere. Beatus Bernardus verò & Petrus Blesensis etiam comparant religiosam vitam & labores continenti martyrio.

3. Considera, cur sancti Patres his comparationibus sint usi. Prima causa est sancti Thomæ Aquinatis, quia paucis eleëmosynis potest homo satisfacere pro pœnis peccatorum, juxta illud Danielis 4. *Peccata tua eleëmosynis redime*, ergo multò magis satisfacit, qui non solum omnia sua dat pauperibus, sed etiam seipsum tanquam servũ offert Deo

&

& religioni, imò vovet se nihil amplius proprium possessurum. Secunda causa est , quia tota professio veri religiosi consistit in continua deportatione crucis suæ, hoc est, abnegatione proprii judicii & voluntatis, mortificatione sensuum, passionum, omniumque cupiditatum pravarum carnis & mundi ; secundùm illud Luc 9 *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam* , *quotidie*, & hoc est spirituale Martyrium. Unde Sapiens dicit Prov. 16. *Eum qui dominatur animo suo*, *meliorem esse expugnatore urbium.* Imo Seneca Philosophus gentilis agnovit epist. 423. *imperare sibi maximum est imperium.*

MEDITATIO IX.

De novem bonis religionis à S. Bernardo descriptis, hoc rithmo.

IN RELIGIONE HOMO VIVIT puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, quiescit securiùs irroratur crebriùs, purgatur citiùs moritur confidentiùs, muneratur copiosiùs.

I. CONsidera primùm, cur *Vivit puriùs*, nempè 1. ob puritatem intẽtionis, quia omnia facit ad Dei gloriam, & animę salutem. *Si oculus tuus fuerit simplex*, ait Christus Matth. 6. *totum corpus tuum lucidum erit*. 2. ob puritatem à peccatis mortalibus, quæ sola animam verè impuram faciunt, quia boni religiosi malunt mori, quam scienter peccare mortaliter. 3. ob puritatem mentis & corporis angelicam, quia promiserunt Deo & religioni castitatem. II. Cõsidera, cur *cadat rariùs*, nam, quia, in ea rara vel nulla sunt offendicula, vel lapides scandali, in quos impingat. 2. nulli la-

li laquei dæmonis, ratione opum, bonorum, vel voluptatum mundi, quas appetat *Qui enim volunt divites fieri*, ait Apoſt. 1. Tim. 6. *incidunt in laqueum diaboli.* Hic autem non ſolùm non vult dives fieri & magnî haberi, ſed etiam paupertatem amat tanquam matrem, & cupit ab omnibus contemni. 3. quia econtra multa in ea ſunt adminicula Superiorum, Confeſſariorum, & Præfectorum ſpiritualium, à quibus ſuſtentetur ne cadat. III. Conſidera, cur *ſurgat velociùs*, quia lapſus ejus ordinariè nō ſunt niſi veniales, qui multis modis expiari queunt, oratione Dominicâ, aquâ benedictâ, tunſione pectoris, confeſſione generali, gemitu, actu ferventi charitatis, &c. 2. quia à multis ſociis fratribus poteſt ſublevari. Unde dicitur Eccleſ. 4. *Væ ſoli, quia non habet ſublevantem ſe.* 3. quia angelica miniſteria in angelico iſto ſtatu ei ſunt promptiora, & divina præſidia nomine *centupli in hac vita*, ſunt promiſſa.

2. Conſidera bonum quartum, cur *incedat cautiùs*, nempè I. quia ſicut Deus

nullum relinquit peccatum impunitum, sic religio omnes lapsus expiat per pœnitentiam. 2. quia in religionum regulis omnes ferè imperfectiones prohibentur, in quos aliquis incidere possit. 3. quia omnes Superiores, æquales & inferiores habent suorum morum inspectores, & quasi observatores, quibus cavet, vel minimam dare occasionem offendiculi. II. cur *quiescat securius* nempè quia 1. expers est omnis curæ rerum ad victum, vel amictum necessarium. *Nemo militans Deo*, ait B. Paulus, 2. Tim. 2. *implicat se negotiis sæcularibus*. 2. quia nullum bellum vel exiguum habet cum mundo, quem deseruit in carne, quam per mortificationis virtutem crucifixit cum vitiis & concupiscentiis. 3. quia summâ fruitur conscientiæ pace. *Secura mens*, ait Sapiens Prov. 15. *quasi juge convivium*. III. Considera bonum sextum, cur *irritetur crebrius*, nempe 1. quia in quotidianis exercitiis spiritualibus orationum, meditationum, sacrificii Missæ, & Communionis sæpè particeps fit divinarum inspirationum. *Super*

quem

quem requiescet spiritus meus, ait Dominus Isaiæ ultimo, *nisi super humilem & quietum, & contritum corde.* 2. consolationum cœlestium etiam in mediis afflictionibus, ut jejuniis, disciplinis, ciliciis. 3. novarum virtutum & donorum Spiritus sancti.

3. Considera bonorum septimum, cur *purgetur citiùs*, nempe 1. quia in ea usitatum est quotidianum examen conscientiæ tam particulare, quam generale, in quo inquirit in singulos lapsus, dolet & emendationem proponit. 2. quia crebrò iteratur confessio sacramentalis, & post illam devota communio. 5. quia in ea frequentes sunt satisfactiones pro expiandis pœnis peccatorum, tum sponte cœptæ, tum à Superioribus, Confessariis, vel regula injunctæ, quas si sedulò servet, purgatione opus non erit in altero sæculo.

II. Considera, cur *moriatur confidentiùs*, nempe 1. quia scit promissionem generalem, & specialem esse infallibilem. Generalem, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth 10. &

l.9 Et specialem, *Vade & vende omnia, & habebis thesaurum in cœlo*.2.quia scit, proverbium esse, qui benè vixit, & angustam viam tenuit,non posse malè mori, secularesque solitos sub mortem dicere:Utinam in religione tali vel tali vixissem. 3.quia,ut supersint adhuc aliquæ imperfectionum reliquiæ expiandæ,novit se habere in extrema hora ex privilegio Ordinis indulgentiam plenariam, ac ante & post mortem communionem omnium sui Ordinis precum & sacrificiorum, aliorumque operum bonorum.
III. Considera, cur *remuneretur copiosius*, nempè 1.quia qui relictis omnibus secuti sunt Christum, sedebunt super sedes duodecim judicantes. *Matth*.19. & centuplum accipient in hac vita, & in futuro vitam æternam. *Matth*.10. Centuplum accipiunt, quia pro Patre uno relicto in religione plures spiritales patres, pro fratre plures fratres, pro una domo plura collegia vel cœnobia. 2. quia teste Apostolo Rom.2.*Deus reddet unicuique secundum opera sua. Et qui seminaverit in benedictionibus, de benedi-*

ctionibus

ctionibus & metet. 2. Corinth.9. at religiosus quotidie vacat operibus vel religionis orando & laudando Deum, vel humilitatis, vel misericordiæ corporalibus aut spiritualibus. Deinde quælibet ejus opera etiam adiaphora, ut dormire, comedere, studere, sunt meritoria, tum quia semper ferè est in Dei gratia, tum quia omnia ad Dei gloriam refert, & facit ex obedientiæ virtute. 3. quia præter ea quæ omnibus beatis sunt communia, religiosis maximè competunt tres aureolæ, Martyrum scilicet, Virginum & Doctorum; quæ sunt accidentalia quædam præmia.

MEDITATIONES de Peccatis.

MEDITATIO I.

De gravitate peccatorum ex parte Dei.

Considera *Peccatum* secundum Beatum Augustinum *esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*, hoc est, prævaricationem divinorum mandatorum. 2. expende, quantum malum sit, & idcirco summo studio cavendum quatuor de causis Primò quia Deo maximè exosum. *Odio est Deo impius*, ait Propheta Sap. 14. *& impietas ejus* 2. quia expiari non potuit nisi sanguine filii Dei. 3. quia ex diabolo est, & diabolo acceptissimum. *Qui enim peccatum facit*, ait B. Joannes 1. cap. 3. *ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat*. 4. quia nihil æquè homini noxium.

2. Considera, unde constet Deo esse exo-

exoſum, nempè ex graviſſimis, quibus illud caſtigavit pœnis, primò in Angelis; deinde in hominibus. In Angelis quidem, quot unà cum Principe Lucifero, cùm eſſent omnibus naturę & gratiæ donis in ſua creatione ornati; Deoque gratiſſimi, ob unam ſuperbam animi cogitationem, quaſi pares divino numini eſſe vellent, è cœlo ad teterrimum, obſcuriſſimumque inferni carcerem deturbavit. 2. Conſidera, quid ibi agant. Nimirum, nec quidquam boni facere, nec quidquam mali omittere ibi poſſunt perpetuò dolentes de amiſſa felicitate, tum naturali, quâ beati fuêre, tum divinâ, quâ eſſe potuerunt, deſperantes omnem reſipiſcendi facultatem, furentes odio in Deum, ſibi graves, nobis invidentes, & omnibus fraudibus ac inſidiis homines ſanctos circumvenientes, ac denique flammas ſempiternas, quibus adurantur, ſed non conſumantur, ubicumque ſint, ſecum deferentes.

3. Conſidera quomodo in hominibus Deus illud caſtigarit. Et primò in

omnium hominum principe Adamo, quem ſua manu formarat, cui imperium orbis terrarum detulerat, quem plurimis naturæ gratiæque dotibus locupletarat, cui æternam felicitatem promiſerat, & in Paradiſo loco omnium totius mundi pulcherrimo collocarat, hunc enim vita cum conjuge ſua ob decerptum è medio Paradiſi contra mandatum Domini pomum de repente omnibus gratiæ opibus exutum ejecit è ſumma felicitate ad ſummas miſerias, ad laborem manuum, ad ſudorem vultus, & quod cogitantem reddat attonitum, totam cum eo poſteritatem, id eſt, omnes homines qui ſunt, fuerunt, & futuri ſunt uſque ad mundi finem. Nam omnes hujus ſæculi & futuri ærumnæ, ut peccatum originale, & alia, morbi, paupertas, fames, bella & damnatio æterna ex illo ſolo Adæ lapſu, prodierunt. 1. Conſidera quam graviter ſubinde variis ſæculis alia quædam peccata in hominibus caſtigarit; nam tempore legis naturæ & Noë, totum mundum perdidit diluvio, Sodomam & Gomorrham

rham igne & sulphure. Tempore verò legis scriptæ murmur Dathan & Abiron, inobedientiam Saulis, & David adulterium. Ac in nova, mendacium Ananiæ & Sapphyræ *Act.* 5. notum est, quam duriter puniverit, & puniat quotidie, vel in uno peccato mortali decedentes in hac vita, nempè æternis inferni flammis.

MEDITATIO II.

De gravitate peccatorum, ex parte Christi, pro peccatis mortui.

I. CONsidera tantam esse peccatorum nostrorum gravitatem ut filium Dei de cœlis in hanc terram traxerit, & ad carnem humanam assumendam, in qua pro iis expiandis pati posset, cōmoveri. Nam cùm malitia peccati letalis sit infinita, utpote contra bonitatem Dei infinitam, non potuit nisi satisfactione infinita deleri. Unde vel infinita pœna toleranda erat, quæ in creaturam finitam convenire nequit, vel tempore infinito, sicut luunt damnati in inferno,

vel

vel infinitæ dignitatis perſona ſubſtituenda, quæ actione aliqua infiniti meriti Deo ſatisfaceret, cujuſmodi fuit perſona Chriſti, quæ hoc negotium ex incredibili ſuo amore erga ſalutem noſtram ſuſcepit. 2. Conſidera inde conſequi, ſicut peccatori ſua peccata in inferno ſedem parant, & ſicut furi parant ſua furta ſupplicium, ſic peccata cujuſque noſtrûm Chriſto humanam carnem aſſumendi, & moriendi neceſſitatem attuliſſe.

2. Conſidera Chriſtum, ut peccatorum noſtrorum, quæ in humeros ſuos ſuſcepit, gravitas magis elucerct, non ſolum vitam duxiſſe laboribus & afflictionibus pleniſſimam, ſed etiam mortem ſuſtinuiſſe omnium acerbiſſimam, contumelioſiſſimamq;, quò non ſolum infinitatem culpæ, infinita ſatisfactione, (quod fieri poterat unâ guttâ ſanguinis, uno gemitu, unâ oratione, uno actu charitatis) plenè expiaret, ſed etiam abſolutiſſimo juſtitiæ modo, id eſt, atrociſſimo cruciatu & pœnâ expiaret.

3. Conſidera, non inde magnitudinem

nem peccati extenuari, quod non pro tuis solius, sed totius mundi peccatis Christus tam atrocia passus sit, sed potiùs declarari passionis virtutem. Ut enim si Solis hujus clarissimi solus lucē & calorem percipias, non magis tibi soli ille lucebit, quam si ejus splendore & ardore cum cæteris mortalibus perfruaris; utque non minus hominem occidas, si solus eum gladio confodias, quam si decem alios ad cædem faciendam tibi adjungas, sic unum peccatum mortale tuum, ad quod expiandum necessaria erat passio filii Dei, non est minus causa passionis Domini, quam si cum reliquis peccatis totius mundi cogitetur conjunctum. Nec minus utilitatis nobis adfert passio Christi pro totius mundi peccatis suscepta, quam si pro te solo eamdem suscepisset.

MEDITATIO III.

De gravitate peccatorum ex parte dæmonum, quia eis maximè placent.

1. CONſidera, inde quoque cognoſci peccati maximè mortalis fœditatem, & ideò magnopere eſſe fugiendum, quòd nihil æquè exhilaret antiquum noſtrum hoſtem diabolum: quod ex tribus ſignis colligitur. Primum eſt, quia in tota rerum natura non aurum, non argentum, non lapides preꝫtioſos, non cibi potuſve lautitias quærit, ſed tantùm animas, quemadmodum in Geneſi cap. 14. adumbratur, ubi dicit rex Sodomorum in perſona diaboli. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Ita enim B. Gregorius exponit: Animas autem capere non poteſt, niſi laqueo peccati letalis. Quam autem anima ſemel eſca peccati capta exhilaret dæmonem, B. Anſelmus libr. Similium cap. 189. declarat exemplo pueri, qui filo alligatam aviculam manu retinet, & ſi quando laxato fune longius avolare eam permittat,

tat, tamen cum magno gaudio & risu retrahit.

2. Considera alterum signum, ex quo cognoscimus dæmonem amare peccatum, nempe assiduas tentationes, quibus hominem oppugnat; numquam enim fatigatur in eo ad peccatum solicitando. Sex jam millia annorum sunt, quod huic uni studio incumbat quo homines peccare faciat, novosque quotidie modos delinquendi excogitet, & quo plures in errorem inducit, hoc alacrior & ardentior ad tentationes augendas redditur; quemadmodum colligitur ex libro Job. Cùm enim Deus illum rogasset, unde veniret, respondit: *Circuivi terram, & perambulavi illam. Iob.* 1. Adeò enim occupatus est in peccato promovendo, ut dormiendi tempus illi non suppetat, sicut testatur Job cap. 30. cùm ab eo tentaretur: *Qui comedunt*, inquit, *non dormiunt.*

3. Considera tertium signum unde liquet dæmoni acceptissimum peccatū: nempe, quia numquam eo potest satiari. Licet enim infinita hominum millia, pro-

propter impietatem, & peccatorum fœditatem hactenus in tartara præcipitata sint, & in dies præcipitentur, non tamen fames ejus expletur, sed pergit *circuire sicut Leo rugiens, quærens, quem devoret*, ut loquitur Apostolus Petrus 1. cap. 5. *Absorbebit fluvium*, ait Job. cap. 40. *& non mirabitur, habebit fiduciam, quod Iordanis influet in os ejus.* Os ejus infernus est, fluvius in illud influens sunt peccatores, qui magno cum impetu, velut rapidissima flumina, hiatu inferni absorbentur. In vitis Patrum narratur principem dæmoniorum summo honore satellitem quemdam suum dæmonem affecisse, & in throno regio collocasse, quòd monachum quemdam, cui per quadraginta annos insidias struxerat, ad unum luxuriæ peccatum pertraxisset. 2. Considera, sicut mali Angeli magnopere ex lapsu hominis exhilarantur, sic contrà bonos Angelos summoperè lætari hominis conversione, *Gaudent enim super peccatore*, ut est apud B. Lucam c. 15 *pœnitentiam agente.*

ME-

MEDITATIO IV.

De gravitate peccatorum ex parte effectuum.

1. Considera, animam tuam ad imaginem & similitudinem Dei conditam, dum perseverat in gratia & amicitia Dei, tam splendidam esse, totq; donis spiritalibus ornatam, ut creator ipsius delectetur habitare in illa, simul atque verò in peccatum letale consenserit, jam spurcam & abominabilem reddi, ut peccator, si copia eam videndi daretur, aspicere eam præ horrore non possit. Nam omnibus beneficiis divinis spoliatur, & cum plurimis malis obruitur. Quod ad beneficia attinet. Primò Deus ab ea recedit. 2. perdit ejus gratiam & amicitiam, 3 familiaritatem Spiritus sancti. 4. participationem meritorum Christi. 5. paternam Dei providentiam, 6. virtutes infusas, & dona Spiritus sancti. 7. pignus regni cælestis. 8. communionem bonorum Ecclesiæ. 9. pacem & securitatem conscientiæ 10. meritum & fru-

fructum omnium bonorum operum, ipsamque vitam æternam.

2. Considera, quanta mala adferat consensus in idem peccatum. Primò enim Dei odium conciliat & iram. 2. turpissimis sordibus animam conspurcat. 3. ream efficit æternæ damnationis. 4. delet è libro vitæ. 5. præsidio Angelico destituit. 6. servituti dæmonum subjicit. 7. remorsum affert conscientiæ. 8. periculum in graviora peccata labendi. 9. obligationem peccati deflendi, pudorem confitendi, & laborem pro iisdem satisfaciendi. 10. hominem commutat in bestiam, secundùm illud Psalm. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: similis factus est jumentis insipientibus.* 2. Considera, cùm hæc fide Catholicâ verissima esse credamus quàm horribile sit, quod tam facilè in peccatum mortale labamur. Cùm tamen ad nomen solum peccati mortalis ita exhorrescere deberemus, ac si fulmen de cælo caderet, vel si infernus ipse ad nos absorbendos dehisceret.

3. Considera, etiam peccato veniali

Deum offendi, licet, non tam graviter, ut propter illud gratiam suam nobis subtrahat; & ideò pietatis amantibus est fugiendum ob sequentes eorum effectus. 1. quia obligat ad pœnam hujus vitæ vel futuræ in purgatorio: 2. animam nonnihil deturpat. 3. minuit charitatis fervorem, sicut aqua flammam. 4. animi vires debilitat, sicut onus ambulantem. 5. retardat gloriam æternam. 6. minuit meritum & gloriam vitæ æternæ. 7. disponit ad peccatum mortale. 8. obstaculum ponit novæ gratiæ. 9. impedit devotionem in orando, & progressum in vita spirituali, atqui ut Deum non perfectè amemus. 10. quia displicet Deo, & Angelis, & ideò non licet peccatum veniale committere, etiamsi spes effulgeret totum mundum per illud convertendi ad Christum. 2. Considera dicta Patrum, nam S. Augustinus ait nullum peccatum esse tam parvum, quod contemptum non fiat magnum. Sanctus Hieronymus dicit non esse in peccatis levibus considerandum, quod sint parva, sed quòd magnus sit Deus, cui displi-

difplicent. S. Gregorius fcribit, veniale aliquando periculofius effe mortali, eò quòd hoc facilè notetur, illud non item. Sic multæ parvæ guttæ fubeuntes carinam, quia notatæ non funt, tandem fubmergunt navem; quam magni fluctus non fubmerfere.

MEDITATIONES DE MISERIIS, IN QUAS NATURA humana per peccati malum prolapfa eft.

MEDITATIO I.

De miferia nativitatis humanæ.

1. CONSIDERA folos primos parentes noftros Adam & Evam, ut docet S. Gregorius perfectè cognoviffe humanæ vitæ miferias, quia foli felicitatem, in qua creati erant, experientia ipfa didicerant; nos

nos autem, qui in miseriis nati sumus & educati, velut phrenetici miserias nostras non sentimus, & ideo sicut illi qui loca malè olentia incolunt, fœtorem non olfaciunt, tollente sensum longa cõsuetudine, ita nos non abhorremus etiam perpetuò, neglecto cælo in hujus vitæ miseriis perdurare. 2. Perpende, quomodo possis à tam gravi errore liberari; nempè si accuratè meditando examines primùm nativitatis humanæ miserias, deinde totius vitæ curriculum.

2. Considera, Deum hominem creasse, ut docet Scriptura *Gen.* 1. ex limo terræ, id est, ex vilissimâ totius mundi materiâ. Itaque licet Rex sis, Cæsar vel Papa, tamen non es nisi gleba, fimus & limus, qui omnium calcatur pedibus: modum conceptionis humanæ esse tam fœdum, ut Christus, licet illudi & conspui se passus sit à vilissimis mancipiis, & non homo, sed vermis haberi, tamen eo modo concipi noluerit. 3. quid miserius muliere parturiente: quis dolor intolerabilior, quis planctus miserabilior. 4. bestiæ, dum nascuntur,

prodeunt vel calceatæ, vel lanâ, squamis, corio, aliisve rebus tectæ: Solus homo nudus prodit cum immunda tunica & gallero immundiori. Item illæ simul ac natæ sunt, natant, volant, currunt & quærunt necessaria, sine magistra: solus homo nihil scit, nihil potest, nisi aliorum ulnis portetur; aliorumque manibus foveatur, sed nec edendi bibendique modum habet, nisi doceatur. Natura nihil demum ei docuit, nisi plorare: & vix ante quadragesimum diem post ortum ridet.

3. Considera, quid aliud sit corpus humanum, quàm testa putrida, aut vas corruptum, cui quidquid infunditur mox acescit. Quid aliud quàm saccus stercoribus fartus, & candida nive tectus, qui foris quidem pulcher apparet, sed intus excrementis & sordibus plenus est: ubi gentium tam sordidum volutabrum reperitur? ubi terrarum existit stagnum, tot fœtores infrà supraque exhalans? Arbores, herbæ, bestiæ multæ gratissimi odoris excrementa effundunt, at homo solus tam abominanda ejicit, ut

ut non nisi cloaca quædam sordium videatur. Hoc Ethnicus Plotinus quondam perpendens, nunquam passus est corporis sui effigiem depingi, satis esse sibi asserens, quod onus tam immundum, & animâ suâ indignum, toto vitæ tempore circumferre cogeretur.

MEDITATIO II.

De miseria brevitatis humanæ vitæ.

1. Considera, raro ad annum septuagesimum, aut, ut maximum, ad octogesimum pervenire. Nam Propheta ait Psalm. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* 2. Considera, si numerum dierum subtiliter inire velis, tempus infantiæ, pueritiæ, & somni esse excludendum, nam vita infantis & pueri potius bestiæ est quàm hominis, cum in ea nihil discatur vel agatur homine dignum. Dormiens quoq; potius mortuus, quàm vivus censetur, ob rationem, sen-

ſusque ſepultos. Unde & Poëta ſomnum vocavit gelidiſſimæ mortis imaginem. Cum autem homo quotidie octo horas & ſæpè plures ſomno tribuat, ſequitur tertiam partem vitæ ſolo ſomno illi detrahi, ac proinde etiam in longævis vitam eſſe per brevem.

2. Conſidera, ſi hanc vitam cum æternitate conferas, quàm brevis futura ſit. Sapiens ait Eccli. 18. vitam hominis longiſſimam eſſe 100. annorum. Quid autem ſunt centum anni, ſi cum æternitate conferantur? certè nil aliud quam guttula aquæ cum immenſo mari. Si enim in totus mundus collatus cum cælo extremo eſt inſtar puncti, quid tempus vitæ noſtræ collatum cum æternitate erit, niſi minùs quam momentum, imò nihil? Hanc brevitatem cum æternis pœnis, ſuis collatam agnoſcunt damnatiin in ferno, dum ita apud Sapientem cap. 5. loquuntur, *Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt omnia tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam navis, quæ pertran-*

sit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit, non est vestigium invenire: aut avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris illius: aut tanquam sagitta in locum destinatum. Ita & nos nati continuò desinimus esse & nullum virtutis vestigium valuimus ostendere.

2. Considera hinc sequi, nullam posse majorem esse amentiam, quàm sempiternas, intolerabilesque pœnas momentaneâ tantillæ vitæ voluptatula sibi mercari. Et cum hæc vita tam brevis sit; futura verò tam longa, quæ potest stultior esse amentia, quàm hujus vitæ res tam solicitè accumulare, & de his quæ ad vitam æternam pertinent, nolle semel cogitare. 2. Considera, cur æterna sapientia voluerit hanc vitam esse brevem, nempè primò, quia sciebat hanc vitam nobis non esse nisi continuam militiam, exilium, & miseriam, ac idcirco ab ea citò nos liberaret, & ad patriam cœlestem revocaret. 2. quia summo amore nos complectitur; jam autem constat eum, qui aliquem amat, ægrè dici posse

abesse ab eo quem amat. 3. ut eo magis vitam præsentem contemneremus, & adspiraremus ad æternam.

MEDITATIO III.

Me miseria incertitudinis humanæ vitæ.

1. CONsidera brevitatem vitæ, si nobis certò constaret, fore tolerabiliorem, ut si v. c. constaret nos 50. 60. 70. annis victuros, at hoc quoque incertū est. *Nescit homo*, ait Sapiens Eccles. 3. *finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo supervenerit.* Unde scitè dictum est: *Morte nihil esse certius, horâ verò mortis nihil incertius.* Atque ideò Sapiens quidam vitam humanam comparat bullis tempore pluviæ super aquam natitantibus, quarum quædā mox ut ebullierunt, resident, aliæ verò paulò quidem diutiùs fluctuant, sed omnes tandem evanescunt. Alii enim homines in utero materno pereunt, alii in infantia,

fantia, alii in pueritia, alii in adolescentia, vel virili ætate, alii in senectute. Deinde, alii sani subitò pereunt, vel morbo, ut apoplexia, vel casu, ut submersione, vel vi aliunde illatâ, ut gladio, sclopo, lapide. Alii extinguuntur morbo brevi vel diuturno.

11. Considera, cùm terminus vitæ nostræ tam sit incertus, quanta sit nostra temeritas, quòd tam securè, tamque negligenter vivamus, immemoresque simus verborum Christi toties clamantis, Matt. 24. *Vigilate, quia nescitis qua hora filius hominis venturus sit*, quasi dicat: cum horam nesciatis omni hora vigilate, & quia diem nescitis, omni die vigilate, &c. considera, ut energiam verborum Christi intelligas, cur excubiæ perpetuæ in urbibus & castris hosti vicinis habeantur; certè non alia de causa, quàm quòd præsidiarii ignorēt, quãdo hostis vēturus sit, si enim scirent, tunc certè tempore intermedio somno & quieti vacarent. Cùm ergo eadem prorsus incertitudo sit de hora mortis nostræ, cur non similiter vigilemus?

lemus? Certè anima nostra pretiosior est omnibus mundi urbibus & castris, & si spectes lytrum quo redempta est, etiam Angelis. Deinde hostes animæ sunt plurimi, potentissimi & callidissimi, qui noctes diesque insidiantur, & jactus aleæ, in hoc consistit, ut simus parati ipso momento quo mors venit, ut liquet ex parabola de fatuis virginibus, *Matth.* 25. quibus imparatis clausa est janua,

3. Considera, cur Deus voluerit nobis incertum esse exitum vitæ. Una causa est, quia multi, si scirent se 60. vel 20. annis victuros, differrent pœnitentiam, & graviora peccata committerent; dum verò nesciunt, non differunt pœnitentiam ne fortè in peccatis moriantur. 2. si è contra scirent, se non diu victuros, multa bona opera proximo salutaria omitterent, ac tantum propriæ saluti vacarent. Deinde in conversatione humana forent melancholici, tetrici, & fastidiosi, communemque pacem & concordiam turbarēt. 3. si quis æger sciret infirmitatem suam non fore ultimam,

nonconfiteretur, non communicaret, non invocaret Sanctos, non implorarer auxilium aliorum in Missis, & alia bona omitteret: quia autem nescit, sæpè diligentissimè confitetur, & quidem de tota vita, vota edit, eleemosynas in pauperes profundit.

MEDITATIO IV.

De miseria fragilitatis humanæ naturæ.

1. CONsidera vitam nostram non tantùm esse brevem & incertam, sed etiã fragilẽ multisque periculis expositã, sicut vitrũ non sit fragilius. Pestilens odor, infectus aër, sol ferventior, hyems acrior sæpè vitam nobis eripiunt, non solùm infantibus & pueris, sed etiam viris Si rogaris, cur iste vel ille obierit? Responsio in promptu est. Ex haustu aquæ frigidæ, quem sumpsit avidius, ex potu vini quo se obruit, ex nimio dolore, vel terrore, ex spina hærente in gutture, ex ictu serpentis, ex demorso digito à fele, &c. 2. Considera dictum Isaiæ cap. 40. de hac materia: *Vox*

dicentis, inquit, *clama & dixi, quid clamabo. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Quæ enim firmitudo in carne? ait in illa verba Ambrosius lib. 3, Hexam. c. 7. quæ salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum, grata specie, suavi colore, crastina die tibi facie & ore mutatus occurrit. Hodie nobilis & dives triumphat, cras in carcerem rapitur.

2. Considera eandem fragilitatem, quæ est in corpore, cerni etiã in anima nostra; unde D. Paulus 2. Cor. 4. scripsit nos thesaurũ, nempè gratiæ gestare in vasis fictilibus. Tam enim multa sunt in hoc mundo pericula lapsus, tot sunt ubique laquei à mundo, carne, & dæmone ad irretiẽdas animas dispositi, ut Propheta dixerit Psal. 10. *pluet Deus super peccatores laqueos.* Quos aliquando in visione conspiciens S. Antonius exclamavit: *O Domine quis tandem evitet omnes istos laqueos?* Hinc est, quòd tot animæ pereant quotidie, sic ut B Bernardus,

nardus non vereatur dicere, ſicut ex decem navibus in Oceano vix una in portũ pervenit, ſic ex decem animabus vix unam laqueos mundi evadere, & ad vitam æternam pervenire. Nec in cœlo ſecuritas fuit, unde cecidit Lucifer cum tot Angelorum millibus. Nec in paradiſo, unde expulſus eſt Adam cum Eva, nec in ſchola Chriſti, in qua periit proditor Judas, nec in primo cætu Chriſtianorum, in quo Ananias cum Sapphira extinctus eſt, ut diſcas te, etiamſi in ſanctiſſima religione vivas, necdum eſſe ſecurum.

3. Conſidera, cauſam cur Deus tam fragilem humanam vitam eſſe voluerit, nempe ut ea ob oculos poſita citiùs à perverſa vita reſipiſceres; quod enim aliud eſt interſtitium inter te & tartarum, niſi caduca & fragilis iſta tua vita? quæ hodie florens, cras forte exareſcet? Quod ut meliùs intelligas imaginare tibi te videre hominem aliquem è tenui filo pendentem cui ſubjectus ſit puteus profundiſſimus: & cogita quanto ille in metu ſit, ne filo rupto in illum

lum corruat: quid non offerat, ut periculo illo eximatur; In non minori ruinæ periculo, imò majori eſt quivis homo exiſtens in peccato mortali, filo enim vitæ ſemel rupto corruet in puteum altiſſimum inferni, in flãmas perpetuas, è quibus nunquam emerſurus eſt. Quis verò in tanto periculo luxuriari, voluptati indulgere, ridere queat?

MEDITATIO V.

De miſeria inconſtantiæ vitæ humanæ.

Conſidera vitam humanam illam quoque habere miſeriam, quod mutabilis ſit, & inconſtans. Unde Job 14. *Homo,* inquit, *natus de muliere brevi vivēs tempore, multis repletur miſeriis: qui quaſi flos egreditur, & cõteritur, & fugit velut umbra, & nũquam in eodẽ ſtatu permanet.* Homo enim nunc ſanus eſt, mox æger; nunc lætus, mox triſtis; nunc quietus, mox turbatus: nũc timidus mox certus; nunc dubius, mox audax; nunc vult, mox non vult; nunc ridet,

det, mox flet. Breviter tot ſunt mutationes, quot occurrunt circumſtantiæ, & accidentia, ut nec Luna, nec Euripus ullus ſæpius mutetur, mare non movetur, niſi cùm venti mutantur, ſed in homine ſunt continuæ mutationes, ſive ſæviant venti, ſive tranquilla ſit malacia.

2. Conſidera hanc mutabilitatē maximè cerni in Salvatore noſtro, qui quo die cū maximo gaudio populi receptus eſt in urbem Hieroſolymam, eodem ab omnibus ſub veſperam derelictus eſt. Priùs obviam proceſſerant Chriſto cum ramis virentibus; quatriduo verò pòſt aridis ramis percuſſerunt ejus caput. Antè veſtimentis ſuis ſe exuerunt, ut ſternerent in via, poſt verò eum veſtibus propriis ſpoliarunt, ut flagellarent & crucifigerent. Priùs clamabant: Benedictus qui venit in nomine Domini, paulò pòſt autem acclamarunt Pilato: Reus eſt mortis, crucifige eum. Nonne hæc magna & ſubita fuit mutatio? Hinc diſce, quis ſit exitus honorū & dignitatum hujus ſæculi; nec amplius confide ejus amicitiæ & proſperitati, quia

inconstans est & mutabilis. Confide autem in solo Deo, ejusque gratia & amicitia. Ille enim solus immutabilis est, & verus amicus in adversis æquè ac prosperis.

3. Considera quanta mutatio & vicissitudo sit etiam in rebus maximis hujus vitæ, ut in regnis & imperiis. Monarchia hujus mundi cæpit quidem in Assyriis, sed non perstitit diu, migravit enim ad Persas, & paulò pòst ab his ad Lacedæmonios, & ab his ad Romanos, à quibus tandem transiit ad Germanos. Quod si imperium, in quo summa totius mundi dignitas consistit, toties translatum est, quid in hoc mundo firmum esse potest & stabile? 2. Considera S. Joannem c. 2. scribere tres columnas, quibus insistit mundus, tremere & trãsituras. *Omne*, inquiens *quod est in mundo, est concupiscentia carnis, cõcupiscentia oculorum, & superbia vitæ, & transit mundus & concupiscentia ejus.* Quis ergo non fugiat ex illo? nemo manet in domo minante ruinam.

MEDITATIO VI.

De miseria fallaciæ vitæ humanæ.

1. Considera, hanc miseriam longè pejorem esse superioribus, nā ut vulgo dicitur: Ficta sanctitas duplex est impietas: sic ficta apparēsque felicitas duplex est miseria. Unde enim tam lōga Dei nobis subrepit oblivio, unde divitias tanto studio quærimus, ad honores anhelamus, nulla mortis curâ tangimur; nisi quòd falso persuademus, vitam forte diuturnam, & cassa spe annorum multorum spatia nobis pollicemur? *Quotidie*, inquit B. Hieronymus epist. ad Nepot. *morimur, & quotidie commutamur, & contra fidem atque experientiam ipsam nos esse æternos credimus.* Et iterum: *Nemo enim tam fractus viribus, & sic decrepitæ senectutis est, ut non putet se adhuc annum unum supervicturum.* Denique de vita haud secus indicamus, quàm si ejus brevitas vel longitudo esset in arbitrij nostri potestate.

2. Considera, de officiis honoratis

& dignitatibus, ac omnibus voluptatibus quàm blanda specie se nobis offerant; & quot confestim, ubi ea recepimus, afflictionibus, periculis, curis, invidiis & laboribus sint obnoxia. Virgo gaudens pergit ad ædes sui sponsi, non enim videt aliud quàm quod foris apparet: at si videret sementem miseriarum quæ illo die seminatur, justiorem causam haberet plorandi, heu quot molestias illa feret? quot noctes insomnes ducet? quot in re domestica patietur difficultates? 2. cogita, si mundus tibi hic blandiatur, id fieri, ut te fallat, si exaltet, ut te deijciat, si exhilaret, ut postea magis affligat. Dat multa bona, sed cum felle & dolore mixta. Dat tibi liberos, ut gaudeas, sed postea tollit, ut gaudium compenset majori luctu. Et nescio, quomodo natura ita comparatum sit, ut magis semper affligant mala quàm exhilarent ejus bona.

3. Considera omnem hanc fallaciam oriri ex nimio amore nostri ipsorum, qui sic excœcat nos, ut apparentia bona semper veris anteponamus. Quia enim

enim nimiùm amamus hanc vitam, odimus mortem, immò nec ferimus de ea mentionem fieri, & ideò non possumus nobis persuadere eam esse vicinam, ne in mœrorem aliquem ex cogitatione incidamus. Hinc fit, ut & alios citò morituros, facilè credamus, non autem nos: nempè quia non ita tenerè alios, quàm nosipsos diligimus. 2. Considera, & aliam esse causam hujus fallacis opinionis, quod plus æquo fidamus vel ætati, vel viribus & sanitati corporis, & non consideramus mille modis hominibus, licet sanis, quotidie abbreviari vitam.

MEDITATIO VII.

De multitudine miseriarum hujus vitæ.

Considera, breve, incertum, & fallax, quod in vita nostra est, variis, multisque corporis & animæ miseriis, esse permixtum, sic ut mors potius quàm vita appellanda sit. Unde rectè Sapiens Eccli. 40. *Occupatio*, inquit, *magna*

creata est hominibus, & jugum grave super filios Adæ, à die exitus de vētre matris eorū usq; in diē sepulturæ in matrē omniū.
2. Considera nullum temporis punctum præterire, quo non ad mortē festinemus. *Hoc ipsum*, inquit S. Hieronymus, *quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur, quot puncta notavi, tot meorū damna sunt temporū.* Et si vita nostra aliud non est, quàm iter ad mortem, & hora mortis eadem sit quæ judicij, quid vita nostra est, nisi iter ad horrendum Christi tribunal, qui potest corpus & animam mittere in gehennam?

2. Considera, etiamsi vita nostra brevis sit, brevisque ejus voluptas, longam tamen revera esse propter innumeras miserias eoque longiorē, quo minus nos miseros, velut phrenetici, agnoscimus. Quoties homo timore, mœrore, dolore exagitatur, etiam sine ulla causa, ut possit dicere cum Job c. 7. *Quare posuisti, ô Deus, me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?* Quantas molestias & labores sustinet homo, antequam

quam panem lucretur? Aviculæ, aliæque bestiæ sine sudore necessaria sibi parant, solus homo noctes diesque sudare debet, *per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes*. 2. Considera homini illud Psalm. 89. verè convenire: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, id est, nos in annis nostris velut aranea meditamur. Aranea enim ut victum sibi paret se totam eviscerat, & noctu diuque in teti texendo laborat, & tandem quid capit? vilem musculam. Sic homo noctu diuque laborat pro vili lucello, & tandem vix panem sibi liberisque necessarium parat. 3. Considera, ut homo liber sit à labore & cura, aliunde tamen alias ei obrepere miserias, primò innumerorum morborum, quibus pleni sunt Medicorum libri, deinde bellorum, caritatis annonæ, terræmotuum, eluvionem, furtorum, aliorumque infortuniorum à bestiis & ipsis hominibus. Quot enim quotidie homines in bellis & extra, gladio, bombardis, aliisque armis ab hominibus conficiuntur? Julius Cæsar, paucis copiis plus quàm decies centena

 homi-

hominum millia trucidavit, & tamen omnium Imperatorum clementissimus dicitur. Quid fecisset, si fuisset tyrannus.

3. Considera, præter hæc omnia, singularum ætatum proprias miserias. Quid aliud est infans, nisi bestiola rationis expers in specie humana. Quid adolescens? nisi equus indomitus, vel vitulus? quid senectus, nisi omnium morborum & molestiarum saccus? Senex deserit mundum; & à liberis suis deseritur, deserunt eum propria membra & sensus: deserit & seipsum, cùm sæpè delirus sit; & ratione uti nesciat. Et tamen optant omnes, quacumque in ætate sint, fieri senes. 2. Considera, nullum hominem sua sorte esse contentum, quantumvis sit potentissimus. Quot Imperatores se sponte imperio abdicarunt? Quot Episcopi Episcopatu? vivunt homines omnes, sicut infirmus, qui nihil aliud agit, quàm ut se ex uno latere in aliud volvat, & revolvat sperans majorem quietem, quàm non invenit, & nescit causam inquietudinis suæ esse internam infirmita-

firmita-

firmitatem. 3. Considera Deum tot amaritudinibus miscuisse vitam nostram, ut ad ejus fastidium nos provocaret, & ad vitam æternam omnium miseriarum expertem pelliceret. Si enim jam cùm tot ærumnis quotidie obruimur, tam ægrè ex statione vitæ hujus discedimus? quid faceremus, si omnia prosperè & jucundè nobis in hac vita succederent?

MEDITATIONES DE QUATUOR NOVISSIMIS.

MEDITATIO I.

De Morte.

ORATIO præparatoria erit. Posito ob oculos Deo rogare eum præsentem, ut omnes cogitationes tuas, verba, & opera dirigat ad suam gloriam, tuamque salutem.

I. Præludium. Imaginare teipſum recumbentem in lecto, morti vicinum à medicis deſperatum, depoſito ad caput cereo, ad pectus imagine crucifixi, extremam jam animam ducere.

II. Præludium. Ora Deum ut gratiam tibi concedat, fructum aliquem ex conſideratione mortis capiendi.

1. Conſidera, ex una parte mortem eſſe certam & inevitabilem *Statutum eſt enim*, ait Apoſtolus Hebr. 5. *hominibus ſemel mori*: ex alia vero parte quoad tempus & horam, locum etiam & modum eſſe incertiſſimum. Imò maximè hominem perſequi ſolere, cùm minimè de ejus adventu cogitat, juxta illud Pauli 1. Theſſ. 2. *Dies Domini ſicut fur in nocte veniet, cùm enim dixerunt, pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* 2. Conſidera quomodo affectum ſe ſentiat is, qui omne ſuum ſolatium in vita diuturniore poſitum habet, quando monetur medicum nullam ſpem dare vitæ. Talis enim

enim mox objicit oculis mentis perpetuum suum ex mundo exilium, videt jamjam se abstrahendum à parentibus, cognatis, amicis, sociis, favore Principum, dignitatibus, palatiis, agris, vineis. Deinde, quod longè acerbius, animam vi à corpore tantoperè amato avellendam, quam pœnam nullus exprimere potest, quia nullus expertus est, nisi qui extremum spiritum reddidit.

2. Considera, quàm anxius idem sit futurus, cùm sentiet se incertum de salute. Primò ob multitudinem peccatorum. 2. quòd tunc multorum recordabantur, antè oblitorum. 3. quod quæ aliàs levia visa sunt, tunc gravissima apparebunt. 4. quòd tunc maximè dubitabit, sitne in odio vel amore Dei. 5. quòd anceps hærebit, an veram de peccatis habeat contritionem: ac tandem ita attonitus sit, ut nesciat, quò se vertat. 2. Considera, si Deum respexerit, imminebit Deus ei iratus, distringens instar vindictæ gladium: si oculos depresserit, vide-

bit sepulchrum tetrum odorem exhalans suo corpori paratum; animæ verò, quam negligenter habuit, apertam inferorum abyssum: si seipsum ingressus fuit, inveniet turbam peccatorum quorum conscientia eum æternis addicat suppliciis. Si verò circumspexerit, videbit circumstantium dæmonum copias, codicem criminum explicantes, & patulis faucibus in prædam inhiantes. Volet quidem miser fugere seipsum, sed fieri non poterit: Volet terga vertere, sed non concedetur.

3. Considera extremum conflictum cum vita, agonem & angorem mortis, quando cereus accenditur, & in aurem inclamatur, ut corde saltem, si non ore, se Deo commendet. Quo puncto etiam sanctissimi quique magno metu concuti solent, ut S. Hilarion clamans: *Egredere anima mea, quid times, septuaginta annis servivisti Deo, & mori times?* perpende, quomodo tunc totus pallescat, extrema manuum, pedumque frigeant, oculi concidant,

dant, corpus totum sudore madescat, pulsus languescat, anhelitus ægrè trahatur, pectus constringatur, & palpitet, ac mox subeat lethalis oppressio, & aculeus mortis, quo cogitur anima è corpore migrare. 3. expende, quomodo anima egressa corpus tam lautè & honorificè antè ornatum & tractatum, tam deforme & horribile redditur, ut omnes ab eo intuendo & tangendo abhorreant, ac ipsi amici mox laborent, ut inter quatuor vel quinque asseres cum veteri indusio inclusum in terram à vermibus consumendum defodiatur.

Concludes colloquio cum Deo, quo petes hæc tuo animo ita infigi, ut deinceps, sic vitam instituas tuam, quemadmodum velles instituisse, quando ad agonem mortis perveneris: qui enim bene vivit, non potest non bene mori.

MEDITATIO II.

De morte justorum & piorum. Sap. 3.

Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

1. CONsidera mortem, licet in se, ut dictum est, sit horrenda, eam tamen ab hominibus piis & religiosis, qui eam habent pro ærumnarum hujus vitæ termino, & æternæ felicitatis principio, cum desiderio expectari: qui cum S Propheta dicunt Psalm. 43. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et cum Apostolo Philip. 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* 2. Considera inde non sequi justos non reformidare mortem naturaliter, cùm Christus, ut homo, timuerit, sed longè aliter quàm peccatores; hi enim causam timendi habent, & sæpè de salute desperant, justi verò, etsi ex infirmitate natu-

ræ, dum mors instat, turbentur, tamen quia sciunt post mortem se felicius victuros, gaudent. Itaque timendo lætantur, & lætando timent; sicut S. Martinus qui in morte astanti dæmoni fidenter dixit: *Quid hic astas cruenta bestia, nihil in me funeste reperies: sinus Abrahæ me recipiet.* Et S. Ambrosius. *Non timeo mori, quia bonum Dominum habemus.*

2. Considera, justis dolores & angores ægritudinis & mortis apparere jucundos & dulces, ob ingens desiderium, quo flagrant patiendi pro Christo, & pœnas meritas expiandi. Deinde exiguum metum illis ab hoste humani generis, quem dum vixerunt sæpiùs expugnarunt, posse injici, contrà verò præsto futuram multorum Angelorum tutelam & consolationem, Beatam Virginem, atque ideò ipsum, non rarò Christum. Tertiò, eosdem ob bonæ conscientiæ testimonium, percepta Sacramenta omnia, & fiduciam in divina misericordia positam, tantam sensuros pacem & consolationem, ut omni metu depulso initium quoddam voluptatum

ptatum patriæ sint deguſtaturi. Denique nec ullo dolore afficiendos, quòd divellantur ab omnibus rebus creatis, quia jam dudum in vita illis renunciarunt, ſcientes ſe per illas impediri, quo minus perfectè ſuo creatori conjungi poſſint.

3. Conſidera, eos potiùs gaviſuros, quàm triſtaturos de ſeparatione animæ à corpore, qua agnoſcent eam in illo tanquam in carcere fuiſſe detentam, in morte autem primò ſolutam vinculis reſtitui veræ libertati, & avolare in ſuam patriam. 2. nec de ſtatu corporis ſui poſt mortem ullum mœrorem capturos, tum quòd certò credant, illud ſuo tempore cum maxima gloria reſurrecturum, tum quòd, ſicut in vita commoda corporis ſectati non ſunt, & nudi Chriſtum nudum ſequi parati fuerunt, ita etiam ex humilitate gaudeant illud ex terra factum in terram redire. Unde ſanctus Franciſcus voluit nudus in terra mori, & tamdiu poſt mortem nudus relinqui, donec miliare unum conficì poſſit. S. Arſenius verò optavit il-
lud

lud projici canibus devorandum post mortem.

MEDITATIO III.

De judicio particulari.

1. CONsidera animam vita defuncti solam ineuntem iter in regionem ignotam, ut sistatur judicio particulari Dei, quod non minus metuendum est quàm universale, in fine mundi futurum, quia qualem inveniet Deus hominem, inquit B. Augustinus, in suo novissimo die, talem judicaturus est in mundi novissimo die. 2. considera quatuor personas in judicio illo futuras. Prima est anima judicanda, quæ in conscientia descriptam geret totam anteactam vitæ historiam. 2. est Christus judex simul & testis atroci vultu animæ impiæ minas & pœnas spirans. 3. Sancti Dei summa indignatione eandem detestantes. 4. dæmones peccata exaggerantes, & bona opera extenuantes. Cogita ad quas angustias redigetur misella anima, quando ipsa conscientia teste, verissi-

veriſſimas fatebitur omnes contra ſe prolatas accuſationes.

2. Conſidera examen ipſum quod inſtituetur factorum, dictorum, cogitatorum, in quo tria ſunt metuenda. 1. multitudo rerum, de quibus reddenda eſt ratio: nam *cui plus datum eſt, plus exigetur ab eo. Luc.* 12. 2 Judicis exactiſſima de ſingulis inquiſitio, & ſevera punitio nam non ſolùm noviſſimum quadrantem repoſcet, ſed etiam de omni verbo otioſo & cogitationibus occultiſſimis rationem exiget. 3. acerrima judicis de rebus exiſtimatio. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; neque viæ meæ, viæ veſtræ, dicit Dominus.* Qui ſtudioſus eſt munditiei, non poteſt etiam parvas ſordes in pretioſa veſte ferre. Sic Chriſtus ipſa puritas non poteſt ferre etiam minimas in anima noſtra ſordes. Nos exigua quædam peccata cenſemus, quæ Deus graviſſimè punit. Imò pro peccatis habet, quæ nos peccata eſſe non putamus, ut 2. *Reg.* 6. quod Oza Levita arcam cadentem attigit. Unde David Pſal. 18. exclamat: *Delicta quis intelligit?*

3. Con-

3. Considera, discussis, cognitisque causis procedendum ad pronuntiationem sententię multis nominibus formidabilem 1. ob constantiam judicis, qui nullis precibus, lachrymis, intercessione, vel excusatione à justa sententia ferenda deduci poterit. 2. ob magnitudinem rerum de quibus agetur, non enim de pecuniis vel agris, sed de summis bonis vel malis, in omnem æternitatem duraturis tractabitur. 3. ob immutabilem sententiam judicis quæ nullo judicio retractari poterit. Deus enim cùm summus sit judex, & qui falli in judicando non potest, ab eo non erit ad alium appellatio. Secundò cogita, quanta trepidatio miseram animam invadet, quando elevata manu, conversis in eam oculis judex Christus æternam & irrevocabilem proclamabit sententiam. *Discedite maledicti in ignem æternum. Matth.25.* Dei faciem numquã visurus, nihil boni unquã à me habiturus. Deus bone, quæ desperatio, qui fletus quæ lamẽta hic erunt? Tertiò è contra cogita quãto gaudio exultabit anima, cùm audiet optatissima verba:

Veni

Veni benedicte Patris mei, possíde regnum tibi paratum à constitutione mundi.

De judicio universali.

VIde Meditationem 26. Dominicæ post Trinitatem, & primam Dominic. 2. Adventus.

MEDITATIO V.

De inferno.

ORatio præparatoria, ut suprà, de Morte.

I. Præludium. Imaginare infernum, locum esse tenebrosum, vastum & profundum sub terra positum instar latissimi putei, pice, sulphure, flammâ, fumo, viperis, bufonibus, & serpentibus pleni, in quo nil audiatur præter gemitus, suspiria, maledictiones tortorum, & eorum qui torquentur cum perpetuo planctu, & stridore dentium.

II. Præludium. Pete gratiam à Deo, ut cordi tuo gravitatem pœnarum, quas damnati sustinent, imprimat, ut hinc juveris ad vitanda peccata.

2. Con-

2. Conſidera, in infelici hoc loco tria genera pœnarum inveniri, pœnam ſenſus, pœnam damni. & vermem conſcientiæ. Quod ad ſenſus pœnam attinet, ſcias nullum membrū, nullū ſenſum eſſe, qui non ſingulari ibi dolore excrucietur, ſecundum multitudinem, & gravitatem criminum per illos commiſſorum: oculus impudicus horrendo dæmonum aſpectu, aures confuſione lamentorum ibi reſonantium, nares tetro fœtore: guſtus tabidâ fame & ſiti; tactus ardore & frigore inexplicabili, memoria præteritarum voluptatum recordatione, & intellectus conſideratione bonorum amiſſorum & malorum impendentium in omne ævum. 2. Conſidera ſingulares pœnas, quibus nonnulli puniantur. Alia enim pœna ſuperbi, alia invidi, avari, luxurioſi, &c. punientur, qua in re maxima apparebit Dei ſapientia & juſtitia exactiſſimè ſingulorum exceſſus debitè caſtigantis Unde in Apocal. 18. in meretricem ſuper aquas ſedentem, talis pronuntiata eſt ſententia: *Quantum glorificavit ſe, & in delitiis fuit tantum date ei tormentum.*

2. Con-

2. Confidera pœnam damni abſq; omni comparatione priore majorem, quę conſiſtit in viſionis Dei & perpetui cum omnibus ſanctis conſortii privatione. Et licet omnibus damnatis cõmunis futura ſit, tamen acerbior erit Chriſtianis omnibus, ac imprimis clericis & religioſis, qui majorem occaſionem habuerunt ad viſionẽ illam perveniendi. 2. Conſidera & tertiam pœnã, nempè conſciéntię vermem, qui continenter rodens nunquam conſumetur, ſed perpetuo ſcelera commiſſa exprobrabit. Ah quæ ſuſpiria ab ea erumpent, cùm ſentiet tam ſæpè inſtinctus divinos, quibus ab hoc vel illo malo retrahebatur, & ad bonum incitabatur, repudiatos? Quis cogitabit, cùm ob illos neglectos advertet ſe addictam ardoribus ſempiternis & intolerandis.

3. Conſidera, ſi omnis moleſtia quantumvis brevis, exuſtio digiti in flamma candelæ modica tibi intolerabilis nunc videtur, quid facies in igne infernali acerrimo, ad quem comparatus noſter ignis, etiam maximus, pictus videtur? Quid in tanto calamitatum & cruciatuũ

Oceano,

Oceano, quantum nullus mortaliũ ſatis animo concipere poteſt? quid dices, vel audito nomine æternitatis? O æternitas, æternitas, quem tui conſideratio nõ movet ad malam vitam deſerendam, is aut fidem non habet, aut ſi habet, cor nõ habet! 2. Conſidera, horrẽdas blaſphemias, in quas ob nunquam finiendas pœnas infelices animæ erumpent, & contra Deũ tanquam inimicum, & contra Chriſtum tanquam iniquum judicem, & cõtra Sanctos, tanquam alteri parti nimium addictos. Deinde execrationes & maledicta, quæ evoment filii in parentes, & parentes in filios, diſcipuli in præceptores, quòd ſuâ indulgentiâ has flammas pararint, ſocii denique in ſocios, quòd pravis colloquiis, exemplisque ſe mutuo ſeduxerint. Atque hæc tanto fient cum ſtrepitu & clamore, ut ſi inter nos tale quid audiretur, præ horrore planè ut arentia ligna rigidi ſtaremus.

Colloquio cum Deo meditatio concludetur, quò gratiam petemus ſemper ob oculos habendi pœnas æternas inferni, ut eo faciliùs à peccatis abſtineamus.

MEDI-

MEDITATIO VI.

De cœlesti gloria.

ORatio præparatoria eadem cum superioribus.

I. Præludium. Pone tibi ob oculos amœnissimum, altissimum, amplissimũque locum eo ornatu, qui cœlo Empyreo inest, ita nominato quòd luce, pulchritudineq; reliquos cœlestes orbes superet.

II. Præludium. Pete à Deo gratiam, ut intimè gloriam patriæ cœlestis intelligas, quo magis exciteris ad serviendum ipsi in vitæ puritate.

1. Considera qualis sit beatorum locus, nempè vastissimus & pulcherrimus; civitas nempè immensa, tota ex auro purissimo, cujus mœnia sint pretiosæ gemmæ & margaritæ, portæ ex smaragdis & sapphyris excisæ, viæ argenteæ, & instar Chrystalli perlucidæ, ubi nulla nox, nullæ tenebræ, nullus æstus, nullum frigus, sed summa amœnitas, ubi Sol justitiæ nunquam oritur, nunquam occidit, sed amabilem suam lucem mira cum

volu-

voluptate omnium diffundit. 2. Confidera, si tectum hujus machinę, Solis, Lunæ, errantium & non errantium stellarũ tanto splendore collucet, qualis erit cœlestis illa patria, ubi quia est magni regis regum, Dei omnipotentis, qui charissimis sibi filiis multò majora pręstare vult & potest, quam nos possimus comprehendere. Ideo dicebat David Psalm. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

3. Considera, qualis illa sit domus Dei, omnino nimirum jucundissima & amabilissima, ubi omnium bonorum est copia, ubi nec quidquam quod offendat, adest, nec quidquam quod delectet, abest; ubi amor perfectus, timor nullus, dies æterna & unus omnium spiritus, ubi facie ad faciem contemplantur sanctissimam Trinitatem, & omnia in illa, eandemque ex toto corde, omnibusq; viribus complectuntur & amant. Ubi sanctissimam vident Christi humanitatem, in quam desiderant Angeli prospicere. B. Virginem item, ut matrem Dei, & in glo-

ria Christo proximam, tum Angelorum choros, & varios hominum ordines, Apostolos, Prophetas, Patriarchas, Martyres, Confessores, Virgines, Innocentes, parentes, cognatos, socios & omnes instar solis splendidos, tantaque charitate flagrantes, ut nullus minus de aliena gloria, quam de sua gaudeat. 2. Considera multitudinem & plenitudinem gaudiorum quæ erit in omnibus. Tanta enim erit multitudo, ut solus Deus ea numerare possit, tanta magnitudo, ut solus Deus norit æstimare, tanta varietas & perfectio, ut nihil habeat hic mundus cũ illis comparandum. Summum autem gaudium capient ex perpetua securitate, quod non solùm ab insidiis dæmonis & mundi liberi sint, sed quod inferni pœnas, ad quas tam multi detrusi, evaserint.

3. Considera, quanta sit futura gloria corporum; habebunt enim quatuor singulares dotes, subtilitatem, agilitatem, impassibilitatem & claritatem, quæ tanta erit, quod teste Christo Matth. 13. *justi fulgebunt ut Sol in regno Patris.* Nec explicari potest quanta in voluptate ibi fu-

turi ſint omnes ſenſus, quæ ibi lux, quæ colorum venuſtas, qui concentus, qui ſapores, qui odores Nam Iſai.64. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*. 2. Conſidera, quanto gaudio exilient, qui multos labores in corpore ſuſtinuerunt, multa pro Chriſto perpeſſi fuerint, ciliciis, diſciplinis, jejuniis ſe contra tentationes munierint, qui pravis carnis cupiditatibus ſedulò reſtiterint, eaſque crucifixerint. 3. cogita tu quoque quid hactenus egeris, quid agas, quid agere cogitas pro gloria cœleſti: Perpende, quibus mediis uſi fuerint Sancti omnes qui nunc cum Chriſto in cœlo regnant, ut gloriâ illâ non exciderent, eoſque ſtrenuè imitare.

Colloquio cum Deo meditationem conclude quo petas veniam ob tempus hactenus negligenter actum, & decernas te deinceps velle ſedulò percurrere viam mandatorum Dei.

MEDITATIONES DE SANCTISSIMO SACRAMENTO EVCHARISTIÆ, pro iis qui crebriùs communicant.

Insulæ Vigron

MEDITATIO I.

De excellentia Sacramenti Eucharistiæ.

CONsidera in isto Sacramento contineri, primò Christi divinitatem, fontem gratiæ omniumque donorum spiritualium: *In Christo enim inhabitat*, teste Apostolo Coloss. 2. *omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in eo sunt reconditi.* 2, animam Christi, omnis sapientiæ, gratiæ, & virtutum plenissimam omnes creaturas corporales & spiritales perfectione superantem. 3 sanctissimam Christi carnem à Spiritu sancto ex purissima carne, sanguineque gloriosæ Virginis Mariæ formatam, & hyposta-

postaticè divinitati unitam. 3. sanguinem sacratissimum, à Christo primum adhuc infantulo, dum circumcideretur, deinde verò in ara crucis copiosissimè effusum, ut tu discas quoque circumcidere & resecare pravos tuos affectus, & inordinatas animi perturbationes mortificare.

2. Cōsidera excellentiam hujus Sacramenti posse nobis constare. Primò, quia Deus illud in veteri testamento præstantissimis figuris præmōstravit, ut panis & vini à Melchisedech oblati Abrahæ, panum propositionis, panis subcinericii Heliæ, agni Paschalis, Mannæ, arcæ fœderis, & farinæ Helisæi, 2. variis nominibus appellavit in testamento novo, ut panis, potus, carnis & sanguinis, Eucharistiæ, communionis, corporis Domini, calicis, viatici, sacramēti, sacrificii. 3. multis admirandis miraculis, variis locis & temporibus illustre reddit. 4. quia angeli magno numero, ubi hoc sacramentum conficitur, & reverentia, ut loquitur B. Chrysostomus, assistunt, & supplices illud venerantur. 5. quia omnes sancti Patres multis laudibus illud prosequuntur,

& pro nobilissimo mysterio, imò omnium sacrificiorum veteris testamenti complemento prædicent. 6.quia Ecclesia non solùm quotidie illud conficit, & ad venerationem conservat, sed etiam solennibus festis & processionibus, quotannis celebrat. 6 quia nihil æquè horrent dæmones ac Eucharistiam.

3.Considera miracula stupenda, quæ sunt in hoc uno sacramento. Primò enim consecratione à Sacerdote peractâ panis in corpus Domini, & vinum in sanguinem transsubstantiatur: imò utrumq; in totum Christum, uti jam est in cœlo.2.accidentia panis, ut quantitas, figura, & qualitates ibi manent sine subjecto.3.licet hostia variis modis afficiatur, pungatur, comedatur, calefiat, &c. nihil tamen inde patitur corpus Christi, quia est incorruptibile, sicut in cœlo. Quartò, unum corpus Christi non solùm est in duobus locis simul ut in cœlo & in altari, sed in mille, id est ubicumq; sunt hostiæ. 5.nec solum est totus Christus carne, anima & divinitate in hosti sed etiam in qualibet hostiæ parte,

fo

fortè frangatur. 6. totus est in minima etiam particula, quæ speciem panis vel vini retinet, cum omni sua quantitate & accidentibus. Et alia plura. Quæ omnia Christus fecit ex solo amore tui, ut tecum esse posset, tibique prodesset.

MEDITATIO II.

De causis institutionis hujus Sacramenti.

I. CONsidera, primam & præcipuam causam esse, ut declararet quanto amore, nempè infinito & immenso, nos prosequeretur, unde Joannes de ultima cœna acturus cap. 13. *Cùm*, inquit, *dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Dedit enim Christus nobis in hac institutione, non aurum, non gemmas, sed thesaurum omnium thesaurorum, corpus suum & sanguinē, animam & divinitatem, Deum & hominem, quo nihil minus & præstantius dari potuit. Secundò, hoc donum nobis præparavit eo tempore, quo Judæi præparabant virgas, spinas, contumelias, bla-

ſphemias, clavos, crucem, & omnis generis tormenta Chriſto. Unde intelligis, quantum obſtricti ſimus viciſſim amare donum & donatorem, & crebrò hoc Sacramentum uſurpare.

2. Conſidera, alteram cauſam eſſe ut nobis vivam ſuæ paſſionis, imò totius vitæ memoriam relinqueret. Unde & præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Matt. 26. Tertiam verò, ut ſua præſentia reali & perpetua continuo ſolatio ſponſæ ſuæ, quę eſt Eccleſia, & cuique animæ fideli eſſet. Quartam, ut membra capiti in uno corpore conjungeret, ſic ut illud membris ſemper poſſet ſe communicare, & in ea influere, ſine quo influxu illa mortua eſſent. Quintam ut hac eſca & potu ſpiritali ſuæ ſanctiſſimæ humanitatis nos invitaret & traheret ad contemplationem & amorem ſuæ divinitatis.

3. Conſidera & alias cauſas, ut ſextam, ad conſervandam ſcilicet vitam noſtram ſpiritualem, cùm iſte panis ſit ſpiritualis, qui facit nos creſcere in ſpiritu; ſicut & cibum corporalem nobis providet, ut creſca-

crescamus in corpore. Septimam, ut medecinam nobis contra quotidianas infirmitates, id est contra peccata relinqueret, sicut & reliquit contra vulnera & morbos corporum. Octavam, ut non careremus sacrificio vero ad divinam majestatem placandam, quam quotidie offendimus: & ad gratias agendas pro beneficiis, quæ in dies recipimus. Nonam, ut nobis occasionem præberet admirabili modo exercendi tres virtutes Theologicas, fidem, spem, & charitatem, cum in hoc sacramento id maximè requiratur Decimam & postremam, ut intimè ipsi Deo conjungeremur, quippe cùm ipse sit hujusmodi cibus in hoc sacramento, qui manducantem in se convertat.

MEDITATIO III.

De dignitate, quæ homini accedit ex hoc Sacramento.

Considera, dum communicas, te fieri templum Spiritus sancti, & tabernaculum totius Trinitatis, circumdari-

dariq; infinito Angelorum numero canentium, *Sanctus, Sanctus, Sãctus*. Ut ergo templũ semper debet esse mundum & ornatum, sic cogita debere esse cor tuũ purum, & virtutibus ornatum. 2. animam tuam fieri thecam reliquiarum corporis & sanguinis Domini, quæ longè omnes sanctorum reliquias excedunt. Ut ergo ejusmodi thecæ sunt aureæ & argenteæ, margaritisque & gemmis ornantur, sic cura, ut anima tua auro charitatis, & argento castitatis, & aliorum donorum cœlestium gemmis sit instructa.

2. Considera te communione fieri quasi matrem Dei, sponsam Jesu, fratrẽ Christi imò B. Virginis filium: quoties enim communicas, gignis in te Christũ, & gigneris à Christo, quia corpus tuum & animam tuam in suam carnem transformat. Operam ergo dare debes, ut & imiteris B. Virg. maximè in humilitatis virtute, quâ facta est mater Dei. 2. te fieri sepulchrum vivum Christi, non mortui sed viventis, in quo non tantùm 40. horis, ut in illo lapideo, sed perpetuò quiescat, ut ergo sepulchrum illud erat novum

& mundum, & corpus Christi involutũ in syndone munda continebat, (unde & in altari ponitur in corporali mundo) sic cura animam tuam ante communionem semper expurgari ab omnibus peccatis etiam venialibus omnibusque carnalibus affectionibus.

3. Considera te, dum communicas, fieri hospitem Christi, si Christus cùm adhuc degeret in terra, vel semel in domum tuam divertisset, certè beatissimũ te reputasses. Quantò beatior nunc es, dum quoties voles non in domum, sed in corpus & animam tuam, eumque immortalem & gloriosum recipis, nec solùm benedictam ejus vestem vel carnem tangis, manusq; vel pedes osculans, sed ore ipso sumis & intimè complecteris. 2. fieri te ex crebra communione, Dei aulicum & cubicularium, assidere mensæ regiæ, & vesci epulo pretiosissimo carnis & sanguinis Domini. Nulla unquam mater inventa est, quæ carne sua paverit proprium filium: at Deus hîc proprii filii carnem manducandam apponit. Vide ergo quam debeas esse

* humi-

humilis, verecundus, comptus & omni virtute ornatus.

MEDITATIO IV.

De effectibus & fructibus hujus Sacramenti.

1. CONsidera te quoties corpus Domini sumis, os applicare lateri Christi, & sanguinem ejus pretiosissimum exsugere, ut loquitur S Chrysost. ac ideò participem fieri Spiritus Christi, omniumq; virtutum. Ut enim qui cibum sumit, eũ sibi ejusque vim sibi propriam facit, sic qui Christum sumit, ejus bona & dona sibi propria facit: Unde sicut Patriarcha Jacob *Genes.* 25. indutus vestibus fratris Esau benedictiones ejus accepit, sic nos induti carne Christi omnes benedictiones spirituales hæreditamus. 2. Considera, omnia mala per communionem pelli, ut peccata venialia, & aliquando mortalia, cùm sunt occulta & incognita, cõcupiscentiam carnalem minui, tribulationes leniri, pœnas purgatorii alleviari & dæmones fugari.

2. Considera per communionem gra-

riam in anima mirificè augeri, intellectum illustrari, voluntatem accendi, cor confortari, conscientiam exhilari, amorem mundi in Dei amorem converti, devotionem excitari, familiaritatem cum Deo iniri, pignus gloriæ divinæ accipi, omnes virtutes capere incrementum. 2. ejusdem beneficio te posse & debere multas exercere virtutes, quas abstinendo à sacramento non exerceres; nam qui communicare vult, primò templũ adit. 2. cogitat de vita emendanda. 3. dolet de peccatis. 4. humiliter confitetur, & absolutionem consequitur. 5. pœnitentiam injunctam explet. 6. orat devotiùs. 7. ædificat proximum. 8. exercet actus religionis. 9. profitetur fidem, 10. exercet actum amoris erga Christum.

3. Considera quot millibus hominum in mundo ignotus sit hic thesaurus, & ut notus sit multis, quam pauci illum quęrant. Et ut voluntas sit quærendi, tamen deest occasio: ac ut sit, non permittantur eâ uti. Quot sunt in Germania sola, qui optarent vel micas de mensâ Domini colligere, & copia non datur; Quot re-

putarent se beatos, si vel semel in mensæ possent esse convivæ Christi? Imò quot monachis & monialibus potestas communicandi adempta est? 2. considera, si nobis Dominus dedit, quod tot hominibus negavit, & quotidie negat, quātas debeamus pro tam singulari beneficio, agere gratias? Et quò minus dignas reddere possumus, eò pluris debemus hoc sacramentum facere, & crebrius frequētare, ut ipsemet sibi id nobis, & per nos eas reddat gratias, quas nos reddere deberemus.

MEDITATIO V.

De præparatione ad communionem.

1. CONsidera à scriptura S. nos moneri de hac præparatione verbis & exemplis. verbis, nam in 1. Reg. c. 7. dicitur: *Præpara te Israel in occursum Domini Dei tui, quia ecce veniam & manebo in medio tui.* Et in Epist. B. Pauli 1. Corinth. 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*, quam probationem Ecclesia intelligit de contritione & confessione

ne sacramentali peccatorum mortalium, Exemplis verò. Quia si ad manducandum panes propositionis, qui erant typus sanctæ Eucharistiæ, tanta munditia requirebatur, & ad sumendum agnũ Paschalem opus erat tot cæremoniis. S. Joan. Baptista indignum se reputabat, ut tangeret Christum, & Petrus, ut secum esset in navi, ac Centurio, ut intraret sub ejus tectũ, quomodo nos digni erimus sine præparatione? Certè de primis Christianis, qui quotidie communicabant in Actis cap. 4. scribitur, quod multitudinis credentium cor unum erat & anima una, & perseverantes erant in oratione.

2. Considera, si natura & ars longè melius opus producant, quando materia prius bene est disposita, & si homines hujus sæculi honoratissimè se vestiant, dum invitantur ad nuptias, atque item magno studio se comparant, quando Princeps aliquis vel dux hospitio recipiendus est quid non facere debeamus, cùm suscipiẽdus est rex regũ, & domin⁹ dominantium, maximè cùm non veniat

ſicut principes terreni, ut tantum hoſpitio ſuſcipiatur, ſed ut animam tuam cœleſtibus donis ornet ac locupletet? Deinde, ſi in communione anima noſtra conjungitur Deo, ſicut revera conjungitur, quomodo dignè fieri poteſt iſta conjunctio animâ exiſtente impurâ, & tepidâ, cùm Deus ſit puriſſimus, & ignis conſumens.

2. Conſidera, animam ut Deo dignè conjungatur primò purgandam eſſe à peccatis, maximè letalibus, ne judicium ſibi manducet & bibat, idque per contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, ac timorem extremi judicii & pœnarum inferni. 2. ab omni averſione à proximo, cōtentionibus & rixis, memor verborum Chriſti, Matt. 5. *Quando offers munus tuum ad altare, &c. vade reconciliari fratri tuo.* 3. ab omnibus affectibus inordinatis, & rerum terrenarum cupiditate, ut per amorem anima Deo, à quo receſſit, iterùm purè uniri poſſit, ab omni turpium cogitationum ſpecie, quia corpus ſumitur puriſſimū; imò ab omnibus peccatis venialibus, quia devotionem

nem impediunt. 2. Considera cum Centurione te esse omninò indignum sacrâ communione, & ideò supplex precare Deum, ne respiciat tuam indignitatem, sed dignum te secundum magnam misericordiam suam, movendo ad veram contritionem faciat. *Cor contritum enim & humiliatum Deus non despiciet.* Ps. 50. Fatere te infirmum mortiq; vicinum, & ideò confugere ad medicum, pauperem & mendicum, & ideò pulsari ad januam divitis; esse filium prodigum & ideo te in terram prostratum clamare Luc. 15. *Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.*

MEDITATIO VI.

De fine vel intentione communicantis.

1. Considera, inter ea quæ ad præparationem sunt necessaria, principem ferè tenere locum rectã intentionem vel finem, quem in communicãdo habere debes, *Si enim oculus tuus fuerit simplex,* ait Christus, Matth. 9. *totũ corpus tuum lucidum erit: si autem fuerit*

nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. 2. Conſidera intentionem vitioſam, vel certè minus laudabilẽ eſſe poſſe. 1. ſi communicares, ut mũdo habereris pius & ſanctus, hæc enim eſſet hypocriſis & vana gloria. 2. ſi principaliter communicares ad impetranda bona terrena: nam cùm hujus ſacramenti cibus ſit ſpiritualis animæ, non debet primariò referri ad caduca & terrena. 3. ſi primariò ſpectares conſolationem vel voluptatem ſpiritalem, quia talis intentio naſcitur ex amore proprio. 4. ſi tantùm id faceres ob conſuetudinem, vel quia alii id faciunt.

2. Conſidera rectam intentionem eſſe poſſe. 1. ſi communices ad obtinendam remiſſionem peccatorum, quia hoc ſacramentum etiam eſt ſacrificium, quod offertur pro peccatis. 2. ut libereris à gravi aliquo malo, afflictione, tentatione. 3 ut impetres ſingularem aliquam gratiam vel donum ſpiritale. 4. ut gratias agas pro beneficiis tẽporalibus & ſpiritualibus, tibi, aliiſq; collatis. 5. ut colas, laudeſq; Deum & Sanctos, cum hoc ſit

ſacri-

ſacrificium omnium maximum. 6. ut tantò familiarius te conjungas ex amore cum Chriſto, & fias unum cum ipſo. 7, ut juves proximos viventes, & defunctos. 8. ut Chriſto gratum præſtes officium quem ſcis ſummo deſiderio teneri ut nobiſcum ſit. *Delitiæ meæ*, inquit Prover. 8. *eſſe cum filiis hominum.*

3. Conſidera ex omnibus finibus optimos eſſe eos ob quos præcipuè eſt inſtitutum hoc ſacramentum 1. eſt, ut habetes memoriale paſſionis Dominicæ, & ideo Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* 2. eſt, ut ſicut cibo corporali corpus, ita hoc ſpiritali cibo anima paſceretur. Unde Chriſtus Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitā in vobis.* 3. eſt, ut transformareris in Chriſtum, eſſes in Chriſto, & Chriſtus in te. *Qui manducat meam carnem*, inquit ipſe, *& bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* 3. eſt & primarius, ut imbibas ſpiritum Chriſti, per quem vivamus, inquit ſanctus Bonaventura, cū illa humi-

litate, charitate, obedientia, amore paupertatis, mortificatione corporis, contemptu mundi, & desiderio multa patiendi, sicut Christus vixit.

MEDITATIO VII.

Quid in ipsa communione, & post eam considerandum.

1. COnsidera summo mane ejus die quo communicabis, Dominum magno desiderio te in Ecclesia expectare, ut in anima tua requiescere possit: Deinde adeundo illã cogita, quanto gaudio afficiatur Angelus tuus custos, dum te comitatur euntem, ut suũ tuumque Dominum hospitio recipias. Tertiò eandem ingressus conspecto altari, in quo est sacramentum, humilem illi in corde exhibeas reverentiam, auxiliumq; B Virginis aliorumve SS. Patronorum tuorum invoca, ut te postea ad communionem euntem comitentur, & gratiam, dignè, & cum fructu communicandi tibi impetrent.

2. Dum accedis altare cogita tibi dici

Matth.

Matth. 15. *Ecce sponsus venit: exite obviam ei.* Venit ille plenus desiderio tecũ manendi, plenus charitate, benignitate, & omni bono. Tu quoque illi obvia plenus devotione, gaudio, reverentiâ, & humilitate, dicens cum B. Virgine, cùm esset conceptura Christum. Luc. 1. *Ecce ancilla*, ecce servus Domini, *fiat mihi secũdum verbum tuum.* 2. dum jam sumis, tecum sic loquere: *Vnde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me?* simulq; considera quis ille sit, qui venit nempe creator & redemptor tuus, ac illud S. Francisci usurpa: *Deus meus & omnia. Quis es tu? & quis ego sum?* adorans interim tota submissione cordis eum tanquam Deum.

3. Dum ab altari recesseris, age primò maximas Deo gratias, quòd dignatus sit animæ tuæ domum intrare. 2. teipsum tuaque omnia illi in holocaustum offer, sicut ille se totum tibi obtulit. 3. exerce actus amoris, quasi spiritualiter eum amplexando, tangendo, manus & pedes osculando, rogandoque ut tecum maneat. 4. expone eis miserias tuas, inser-

viendi ei desidera, & pete, ut domum tuam optimis virtutibus exornet, gratiamq; largiatur, ut diem illum in omni pietate transigere valeas, ne facilè calor devotionis pereat.

MEDITATIO VIII.

De frequentanda communione.

1. CONsidera, in Ecclesia primitiva quæ ab Apostolis gubernabatur frequenter, imò quotidie communicatum esse, à qua frequentia omnem sanctitatem & ardorē spiritus ejus Ecclesiæ manasse certum est. Constat enim, quò usus ille postea magis elanguit, hoc sanctitatē populi Christiani plus imminutam. Unde & hoc sæculo, quò multis in locis usus ille est réstitutus, videmus quoq; pristinam reflorescere pietatem & ardorem; Ecclesiamq; multis novis sodalitatibus & religionibus augeri.

2. Considera, cùm hoc sacramentum sit animæ cibus, quò ipsa in vita spirituali alitur & roboratur, manifestè consequi quo sæpius hoc cibo alitur robustiorem

&

& perfectiorem in vita ſpiritali reddi. Adde, quod ſub ſpecie panis & vini Chriſtus id inſtituerit, ut indicaret nos eo ſæpius uti debere; nam ut panis communis ſæpius comeſtus vitam conſervat temporalem, ſic ille ſpiritualem. Unde & SS. Patres in Dominica oratione, per *Panem quotidianum* intelligunt S. Euchariſtiam. Si autem raro ſumitur, inquit Ambroſius, quomodo eſt quotidianus? 2. expende, cùm hoc ſacramentum ſit omnis perfectionis & ſanctitatis fons, ſuoſque ſalutares effectus omnibus dignè communicantibus communicet, certum eſſe, quò quis communicat crebriùs, hoc ampliùs eorum effectuum participem reddi.

3. Conſidera, cùm inter beneficia Chriſti maxima ſit ejus paſſio, noſtraque redemptio, nulla re nos magis ingrati animi notam effugere, quam crebra communione, quia hac, ſecundum inſtitutionem Chriſti, illius renovatur memoria. Dixit enim Joan. 6. *Hoc facite in meam*, id eſt, in meæ paſſionis, *commemorationem*. 2. perpende quòd Chri-

ſtus

ſtus ſe deſideret à nobis recipi, & propoſita promiſſione, quòd velit manere in nobis, & vitam æternam donare, ad recipiendum invitet: non poteſt igitur fieri, ut verè amemus Chriſtum, vel deſiderio teneamur cùm illo manendi, ſi non recipiamus eum ſæpiùs.

MEDITATIONES DE SACERDOTUM dignitate & virtutibus.

MEDITATIO I.

De dignitate Sacerdotum generatim.

Conſidera, quam præclara nomina à ſacris Scripturis, & SS. Patribus Sacerdotibus tribuantur. Vocantur enim primò Angeli Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Ange-*

Angelus Domini exercituum est. 2. Vicarii Christi. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* 3. Sal terræ, lux mundi, & lucernæ super candelabra positæ. Matth. 5. 4. pastores, doctores & dispensatores mysteriorum Dei. Joan. 10. & 21. Ephes. 4. 1. Corinth. 4. 5. Episcopi, Pontifices & Præpositi. 3. Timoth 3. Tit. 1. Hebr. 5. 1. 3. 6. mediatores inter Deum & homines, clavigeri cœli, cubicularii Christi, Principes populi, primitiæ Domini, primogeniti Israel.

2. Considera, quanto honore affecti fuerint, tum in veteri, tum in novo testamento, imò etiam apud gẽtiles. Nam in veteri hæreditatem non habuerunt inter cæteros Judæos, ut est Numer. 28. sed Dominus erat hæreditas eorum. In novo quoque ex redditibus Ecclesiis vel cœnobiis piè oblatis vitam traducunt, ideò clerici dicti, quia in sortem Domini vocati sint, vel quia pars Domini, & ideò singulari quodam ritu à solis Episcopis ad hunc gradum Deo consecrantur. Sed nec ullus sibi hunc honorem assumere potest, nisi vocatus sit à

Deo tamquam Aaron Hebr.4. Deinde, Conſtantinus Imperator tantopere eos veneratus eſt,ut dixerit : Si Sacerdotem viderem peccantem cum fœmina pallio meo contegerem. Sanctus Martinus Epiſcopus Turon.prandens cum Cæſare prius ſocio ſuo, quòd eſſet Sacerdos, poculum porrexit,quam Cæſari. B.Ambroſius dicit Regum ac Principũcolla genibus ſubmitti Sacerdotũ,eoſq; oſculatâ dexterâ ſe credere eorũ orationibus adjuvari.B.Gelaſius PP in ep.ad Anaſtaſium Imperatorem. Duo ſunt, inquit, Imperator, quibus principaliter hic mũdus regitur. Auctoritas ſacra Pontificum,& Regalis poteſtas, in quibus tantò gravius eſt pondus ſacerdotum, quãtò etiam pro ipſis regibus hominum in divino examine ſunt reddituri rationem.

3. Conſidera,ſanctiſſimos quoſque ob ſummam ejus dignitatem refugiſſe ſacerdotium , ut S. Antonium, S.Pachomium, S.Benedictum, & S.Franciſcum, cui hærenti , an fieri deberet Sacerdos, cum eſſet diaconus in via occurrit Angelus,

gelus, geſtans vitrum pellucidum clariſſimo liquore plenum, dixitque ſacerdotis animam ſimilem eſſe debere illi liquori. Unde ille Sacerdos fieri noluit, quia tantam ſuæ animæ puritatem eſſe non putavit. Multi quoque ſancti & ætate provecti Eremitæ monaſteria deſeruêre, ne ad ſacerdotium proveherentur, alii verò jam ad illud provecti, vel etiam ad Epiſcopatum, in remotas terras abierunt, ne agnoſcerentur, ut Joannes Silentiarius, & alii. S. Marcus quoque dicitur abſcidiſſe pollicem, ne fieret Sacerdos, & S. Ammonius aures, ne fieret Epiſcopus.

MEDITATIO II.

De cauſa dignitatis Sacerdotum novæ legis.

1. Conſidera dignitatem ſacerdotum novæ legis, ſumi ex duplici poteſtate illis collata, ordinis & juriſdictionis Ratione ordinis poſſunt conſecrare corpus & ſanguinē Domini; ratione juriſdi-

risdictionis possunt homines absolvere à peccatis, & Ecclesiam gubernare. 2. expende quam admiranda sit illa potestas consecrandi. Magnum beneficium credimus præstitum Josue, quòd imperio suo fecerit sistere solem, *Obediente Domino*, ut loquitur Scriptura Josue 10. *voci hominis*, sed multò majus præstitum est cuique Sacerdoti. Ille enim fecit stare solem, ubi ante erat, at Sacerdos sistit Christum in cœlo existentem, ubi ante non erat, id est, in altari: illi creatura obedivit, huic creator: illi sol semel loquenti obedivit, huic Deus: quoties verbis consecrationis eloquitur, obedit. Quis Sacerdos tam stupidus est, qui considerans tam stupendam Christi erga se obedientiam, summi Regis ad subditum, Dei ad creaturam, non vicissim libenter obtemperet Dei mandatis? Quis cum Beato Joanne Baptista, non dicat, Matth. 3. *Ego à te debui baptizari*, tibi debui obedire, *& tu venis ad me*, tu mihi obedis?

2. Considera honorem qui ante incarnationem datus est Angelis, ut in persona

ſona Dei Exodi 3. dicerent: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*, nunc deferri omnibus Sacerdotibus, qui apud Malachiam etiam vocantur Angeli. Nam non in perſona ſua, ſed Chriſti di-cunt in conſideratione Euchariſtiæ: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*. Matth. 26. Unde ſunt vicarii Chriſti, & quaſi Chriſtus ipſe. Quod qui cogi-tat, quomodo non poteſt non vitam ducere ſanctiſſimam ab omnibus ſordi-bus impudicitiæ alienam? Quid enim Chriſto ſanctius? Quæ conventio Chri-ſti cum peccato, & Belial? 2. Conſidera præſepe, crucem, ſepulchrum, domum Bethlehem, quia attigerunt Chriſtum, res ſanctas haberi, ad quas ſpectandas, tangendaſque homines longa itinera conficiunt, cur ergo non ſit ſanctus Sa-cerdos, ad quem Chriſtus non jam mor-talis, ſed immortalis & glorioſus quoti-die divertit?

3. Conſidera quanta dignitas Sacer-doti accedat ratione poteſtatis & juriſ-dictionis cum priori conjunctæ, nempè ut parem quaſi poteſtatem cum Deo ob-

tineat,

tineat, nempè remittendi peccata, & ligandi. Dei enim solius est remittere peccata, & infundere gratiam, & tamen tam efficax ei potestas ea dimittẽdi data est, ut quæ ipse dimiserit dimissa etiã sint in cœlis, ut liquet ex c.16. & 18. Matthæi. Ac proinde dum cõfitentes absolvit, dilertè dicit: *Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Unde sequitur ejus linguã esse clavem, quâ clauditur infernus, & cœlũ aperitur.

2. Considera eundem Sacerdotem esse constitutum mediatorẽ & sequestrum inter Deum & homines, ut sacrificia offerat pro hominum peccatis, ut precibus suis iram Dei avertat, ut verbo & exemplo oves sibi subjectas pascat, & animã suam pro salute earum curanda ponat, cum obligatione rationem reddendi in die judicii, si vel una earum pereat. Unde fit, ut cùm in Ecclesiam ab omnibus convenitur, toto populo in genua procumbẽte solus Sacerdos erectus stet ad altare, velut pro toto populo unus decertans. Quis verò tam ingratus sit ut consi-

derans

derans in quam ſublimi gradu à Deo ſit collocatus, adhuc ſe abjiciat in lutum peccatorum, & fiat Sacerdos ſicut populus.

MEDITATIO III.

De virtutibus quas ineſſe Sacerdoti vult Apoſtolus Paulus 1. *Tim.* 3. *& Tit.* 1. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c.*

1. CONſidera nomine Epiſcopi intelligi ſacerdotem; maximè Curatum, vel qui aliorum curam gerit. Epiſcopus enim Græcè, Latinè, idem eſt quod ſuperintendens, itaque poſſunt eo nomine quoque intelligi confeſſarii, & concionatores, quorum eſt ſaluti aliorum promovendæ incumbere. 2. Conſidera has virtutes requiri à B. Paulo in ſacerdote. 1. ut ſit ſobrius in potu. 2. prudens prudentia ſpiritali, & moderatus, ne manus citò imponat ordinandis, vel Eccleſiæ dignitate ordinandis, alioquin enim communicabit peccatis alienis 1. Timoth. 5. 3. ornatus, id eſt, mode-

modeſtus, in habitu & inceſſu. 4. pudicus in verbis & factis. 5. benignus & manſuetus. 6. iuſtus. 7. ſanctus. 8. modeſtus, non turbulentus. 9. hoſpitalis. 10. amplectens fidelem ſermonem, id eſt, zeloſus in fide Catholica. 11. Doctor, & aptus ad docendum, ut potens ſit eos qui contradicunt coarguere. 12. continens ab uxore, ſi quam fortè ante ordines duxit. 13. ſuæ domui bene præpoſitus Si quis enim domeſticorum curam non habet, eſt infideli deterior, 1. Timoth. 5.

2. Conſidera Apoſtolum item velle: Primò, ut ſacerdos non ſit ſuperbus. 2. non iracundus. 3. non litigioſus. 4. non percuſſor, vel manu, vel lingua, id eſt, detractor & calumniator. 5. non vinolentus 6. non turpis lucri cupidus, nec avarus. 7. irreprehenſibilis, id eſt, quem nemo iure queat reprehendere, quique nullam det occaſionem iuſtæ querelæ, vel etiam qui nullius mali ſibi ſit conſcius. 8. ut ſit unius uxoris vir, hoc eſt, qui defunctâ uxore priori non duxerit ſecundam, vel qui plures ſimul uxores non habeat.

3. Conſi-

3. Considera ideò tantam perfectionem ab Apostolo exigi in sacerdote, quia, ut omnes Patres docent, quò quis est sublimioris status & ordinis, hoc ad ampliorem virtutum perfectionem tenetur, secundum illud Luc. 12. *Cui plus datum est, plus exigetur ab illo*, Et Sap. 6. *Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur*, & S. Gregorius: Sicut prælatus, inquit, & tot coronas sibi multiplicat, quot Deos animas lucrifacit, sic si perversa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit. 1. Considera sacerdotem debere esse omnium virtutum, maximè autem fidei, spei, charitatis in Deum & proximum, humilitatis, pietatis & castitatis speculum & exemplar: si enim lux est mundi & lucerna super candelabrum posita, debet luce doctrinæ suæ, & vitæ exemplaris illustrare omnes. *Matth.* 5. si sal est terræ, debet omnes à corruptione peccati conservare, si pater & magister omnium fidelium, debet in se ostendere, quod omnes imitentur.

MEDITATIO IV.

De præstantia fidei & spei in sacerdote.

I. CONsidera sacerdotem imprimis debere esse in fide Catholica Romana sine qua impossibile est placere Deo, constantissimum & certissimum, quia ejus velut magistri & Pastoris est populum in fidei articulis instruere, eandem contra hæreticos, hoc tempore maximè, diligenter & ardenter defendere, modum item resistendi tentationibus dæmonis, mundi & carnis tradere, imò si necesse sit etiam pro ea sanguinē profundere. Bonus enim pastor animam suam dat pro ovibus suis, in vera fide conservandis, Joan. 10. *Labia sacerdotis* ait Malachias cap. 2. *custodient scientiam, & legem Dei requirent ex ore ejus.* 2 Cōsidera, hoc præfiguratum in veteri lege Numer. 10. ubi jussi sunt sacerdotes dum iniretur prælium, inflare tubas, ut earum clangore miles redderetur animosior.

mosior. Cùm autem bella ſpiritalia periculoſiora ſint & crebriora, quàm illa corporalia, ardentiùs ſanè & frequentiùs tuba oris ſacerdoti inflanda eſt pro fide & ſanctis moribus per conciones & exhortationes, *Victoria enim quæ vincit mundum*, ſecundum B. Joannem, *eſt fides noſtra*. Et D. Paulus in Epiſtola ad Hebræos c. 11. omnia fortia veterum Patrum facta tribuit eximiæ eorum fidei.

2. Conſidera non ſolùm fidem, quâ credimus omnia, quæ Eccleſia Romana credenda proponit, excellentem debere eſſe in eo, ſed etiam ſpem, vel fiduciam, quâ omnia poſſibilia redduntur credenti, ita ut etiam montes queat transferre, ut ait Chriſtus apud Marcum cap. 8. & Lucam cap. 17. S. Jacobus autem cap. 1. vult illam fiduciam debere eſſe firmiſſimam, non hæſitantem. *Qui enim hæſitat*, ſupple, ſe impetraturum quæ à Deo petit, *ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur: nec æſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino*. Unde Chriſtus Math. 8. & 9. ferè omnia miracula illi firmæ fiduciæ adſcri-

adſcribit. Fiat, inquiens, tibi ſicut credidiſti, vel fiat ſecundum fidem tuam. 2. perpende rationem hujus eſſe, quia Sacerdotis maximè eſt orare pro aliis, & vitam piam, ſanctamque inſtituere, ut poſſit petita impetrare, quia ad hoc à Deo, tanquam mediator inter Deum & homines, eſt conſtitutus. Hebr. 5. Unde & aliis in genua ruentibus tempore Miſſæ ſolus ipſe ſtat, quaſi integritate vitæ fretus audeat pro aliis metu conſternatis orare, vel certè quia hortatur Apoſtolus Hebr. 2. ut cum fiducia ad thronum gratiæ adeamus, quo miſericordiam conſequamur.

3. Conſidera eum fidei debere habere quoque divinæ Scripturæ rerumque Theologicarum pro officii magnitudine conjunctam ſcientiam & ſapientiam, & attendere, ut Apoſtolus monet Timothæi 1. cap. 4. *lectioni, exhortatione, doctrina*. Quilibet enim Sacerdos curam habens animarum, tenetur exponere Evangelium, catecheſin fidei Chriſtianæ tradere, & eos qui contradicunt redarguere. Si enim S. Petrus 1. cap. 3. vult

omnes

omnes esse *paratos ad satisfactionem omni poscenti de fide quæ in ipsis est*: quantò magis debent esse Sacerdotes, quia aliorum sunt Magistri & Doctores? Quid turpius est, quàm Sacerdotem non posse respondere alicui garrulæ mulierculæ, vel protervo adolescentulo hæretico objectanti, ut hoc tempore fit scripturæ testimonia? Unde Chrysostomus scribit Sacerdotem in omnibus debere esse sapientissimum, & mille instructum oculis, ut non solùm sibi, sed etiam toti populo serviat. Deus verò apud Osee Prophetam comminatur repulsam à dignitate sacerdotii imperitis, *quia*, inquit, cap. 4. *tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et B. Paulus 1. Cor. 14. *Qui autem ignorat*, nempè ea quæ scire tenetur, *ignorabitur*, nempè in die judicii, cùm dicetur, *nescio vos.*

MEDITATIO V.

De charitate quâ flagrare debet Sacerdos.

I. CONsidera Sacerdotem nullâ magis virtute, quàm charitate debere flagrare, tum quia fides, spes, aliæque virtutes omnes, teste Apostolo, 1. Cor. 13. sine illa nihil prosunt; tum quia officium sacerdotis vel Pastoris, tam ratione potestatis, ordinis, ut dignè conficiat, & administret Sacramenta, quam jurisdictionis, quatenus curam animarum habet, id omninò postulet. 2. nota typum hujus gessisse veteris testamenti sacerdotes, quorum functio erat ignem sacrum quotidie in altari fovere, *Levit.* 6. Quid enim aliud ignis ille designabat, nisi sacram Eucharistiam, Deum & hominem in se sub specie panis & vini continentem? *Deus autem ignis consumens est*, *Deut.* 4. quem sacerdotes nostri non solùm quotidie conservant, sed etiam conficiunt. Deinde vestiti esse debebant cocco bis tincto, ut

ut indicaretur sacerdotē debere duplici charitate flagrare, in Deum scilicet, & proximum.

2. Considera, Christum sacerdotum secundum ordinem Melchisedech principem, Psalm. 109. cujus vices obeunt omnes sacerdotes nostri in consecrando corpore, ut diximus, Christi, dum ajunt, *Hoc est corpus meum*, maximè declarasse charitatem erga nos, cùm instituit Apostolos in Sacerdotes. Nam B. Joannes cap 13. de extrema cœna acturus præmittit: quòd *in finem dilexerit illos*. Deinde ex mero in eos amore instituit S. Eucharistiam, id est, cogitavit modum, quo perpetuò nobiscum realiter maneret. Adhæc longum habuit sermonem de novo mandato charitatis. Postremò, ex nimio amore sanguinem suum pro nobis profudit. *Majorem enim charitatem nemo habet*, inquit ipse Joan. 15. *quàm si animam quis ponat pro amicis suis*.

3. Considera, quòd Christus instituturus principem Sacerdotum & Pastorum Petrum, de charitate tantùm eum

percunctatus est. Joan. 21. *Simon diligis me plus his?* Et ille tandem respondit: *Domine, tu scis quia amo te.* Christus verò. Pasce ergo oves meas, indicans ad pascendas doctrina, & exemplo oves, & ad gubernandum Ecclesiam maximè opus esse ardenti charitate in Deum & proximum. Verè siquidem pastoris est, *Luc.*15. ovem perditam requirere, & inventam, relictis licet 99. ovibus, humeris sublatam in ovile portare. Ejusdem est, adveniente lupo, & persecutione exorta, non cum mercenario, qui non est pastor, fugere, sed animam ponere pro ovibus. *Ioan.* 10. Ejus est cognoscere omnes oves, easque exemplo vitæ sanctæ præcedere, efficereque ut se suamque doctrinam & vitam sequantur, quod non facilè impetrabit, nisi multis beneficiis, & amoris indiciis eas sibi devinciat, ac tandem clave sua cælesti, quam accepit, regnum cœlorum illis aperiat.

MEDITATIO VI.

De humilitate Sacerdoti necessaria.

1. CONsidera humilitatem esse omnium virtutum fundamentum, ac in primis, teste Chrysostomo, officii sacerdotalis, & ideo ea quoque excellere debere sacerdotes. Ut enim quò domus altius ædificatur, hoc profundius requirit fundamentum, & arbor, quò ramos altiùs educit, hoc profundiùs agit radices, & quò fructibus onustior est, hoc magis se in terram inclinat; sic quò sublimior est sacerdotis dignitas, hoc major debet esse ejus humilitas, juxta illud Sapientis Eccles. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* 2. perpende esse & custodem omnium virtutum, ut vult B. Hieronymus & S. Augustin. *Qui enim sine humilitate*, inquit, B. Gregorius homil. 6. in Evang. *virtutes congregat, quasi pulverem in ventum portat.* Conservat autem eas, cū quia sicut qui jacet, non habet unde ca-

dat,sic humilis non facilè labitur in peccatum, tum quia sicut ignis sub cinere, & fructus sub foliis, ita virtutes sub humilitatis operculo, & absconduntur & faciliùs conservantur.

2. Considera servos Dei humilitate magna præditos, maximè fuisse à Deo laudatos & exaltatos. Abraham qui pulverem & cinerem se vocabat, Pater omnium fidelium factus est, *Gen.* 18 David qui pulicem, vir secundum cor Dei, 1. *Reg.* 24. S. Joannes qui indignum se faciebat, ut solveret corrigiam Christi, dignus redditus est. qui Christum baptizaret, & digito monstraret, *Matth.* 2. S. Petrus, cum Domino diceret, Luc. 15. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*, audivit statim ab eo: *Ex hoc eris homines capiens*: & postea factus est caput totius Ecclesiæ, & claviger regni cœlorum. Centurio dicens, Matth. 8. *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, audiit à Christo: *Non inveni tantam fidem in Israel* B. Virgo ex humilitate se vocans ancillam Domini, *Luc.* 1. meruit fieri mater Dei. 2. perpende

& Chri-

& Christum summum Sacerdotem hanc virtutem imprimis Apostolis commendasse, dum diceret Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et rursus: *Si quis inter vos vult primus esse, sit omnium novissimus.* Atque etiam, cùm eos sacerdotes facturus esset, exercuisse, cùm lavit eorum pedes, & dixit Joan. 13. *Si ego lavi pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes.*

3. Considera, cum sacerdotum proprium officium sit deprecari, & sacrificia offerre pro populo, nihil æquè juvare ad reconciliandum Deum & impetrandam gratiam, ac humilitatem precibus conjunctam. *Ad quem enim respiciam*, ait Deus apud Isaiam cap. ult. *nisi ad humilem & pauperculum.* Et David Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et Jesus Syrach. Eccles. 35. *Oratio humiliantis se penetrat nubes.* Et S. Judith. Jud. 9. *Humilium*, inquit, *& mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* B. Jacobus cap. 5. & Petrus: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Unde Josve 7. cùm in terram se prostravisset Deum mox sibi propitium reddidit. Et David cum humiliter peccatum suum confessus esset, illicò à Propheta audit. 2. Reg. 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* 2. nota, nihil æquè valere ad vincendas tentationes dæmonis ac humilitatem, cujus ratio est, quia ille ob superbiam, æterna felicitate excidit. Unde S. Antonius cùm videret mundum plenum laqueis, respōsum accepit à Deo omnes evadi sola humilitate. Quare nihil æquè valet ad promerendum regnum cœlorum ac humilitas, *Beati*, inquit, Christus Matth 5. & 18. *pauperes spiritu*, id est, humiles, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et, *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et rursus Luc 4. *Qui se humiliat exaltabitur.* Quæ sententia ter repetita est in Evangelio.

MEDITATIO VII.

De caſtitate ſacerdotibus neceſſaria.

1. Conſidera, ſi veteris teſtamenti ſacerdotes toto tempore quo miniſtrabant tabernaculo, à domo & uxore abeſſe tenebantur, (miniſtrabant enim per vices) quantò magis novi teſtamẽti ſacerdotes, qui non per vices, ſed ſemper miniſtrant, debent à conjugio & omni conſuetudine feminarum abſtinere Deinde ſi Abimlech ſacerdos 1. *Reg.* 21. noluit David famelico dare panes propoſitionis comedendos, niſi priùs intellexiſſet eum ab uxore aliquamdiu ſe continuiſſe. Si idem populo faciendum fuit *Exod.* 19. cum eſſet legem à Deo accepturus, quantò magis convenit ſacerdotes noſtros ab omni fœminarum contubernio alienos eſſe, quibus quotidie in ſacrificio Miſſæ corpus Domini per panes propoſitionis prefiguratum, non ſolum ſumendum, ſed etiam conficiendum, manibusve tractan-

dum est. Considera D. Paulum 1. Cor. 7. docere eos qui uxorem habent, solicitos esse quæ sunt mundi, ut placeant uxori, & esse divisos, id est, in multas solicitudinum partes, ut exponit Hieronymus, distractos; qui autem non habent, cogitare quæ Domini sunt, ut sint sancti corpore & spiritu, consequens est sacerdotes minimè fœminis adhærere debere, ut cogitent: quæ Domini sunt.

2. Considera puritatem animi & corporis, non solùm à divinis Scripturis, sed etiam ab omnibus Concilijs, summis Pontificibus, omnibusque Patribus & Doctoribus, quotquot in Ecclesia hactenus fuerunt, eamque non vulgarem, sed singularem & eximiam in sacerdotibus postulari, idque multis de causis. 1. quia sanctissimum Missæ sacrificium, quo nihil augustius, crebrius peragere, in eoque purissimum Domini corpus ore suo consecrare, & manibus tractare, alijsque porrigere debent. 2. quia assiduè orationibus, ut sacrum horarum lectioni & divini officij decantatio-

tationi, quę mentem puram, tranquillam & in Deum elevatam requirunt, vacare tenentur. 3. quia prædicatione, & sanctæ vitæ exemplo plebem ad omnem virtutem, earundemque perfectionem inflammare. 4. quia magnam partem tempotis impendere ovibus suis, vel subditis erudiendis,& in viam, dum à via aberrant, reducendis, ac si ægri sint, invisendis, solandis, & pascendis, pauperibus item invandis, peregrinis recipiendis, sacramentis variis administrandis: quæ omnia sane requirunt hominem non solùm ab uxore & liberis sed etiam omnium negotiorum secularium curâ liberrimum. Unde Apostolus 2. Tim. 2. *Nemo* inquit, *militans Deo, implicat se negotijs secularibus.*

3. Considera Sacerdotem, si castitatem inviolatam non servet, multò gravius peccare, quam peccent in eodem genere homines sæculares. Primò, quia sacrilegium committit. *Si quis templum Dei violaverit*, inquit Apostolus 1. Corinth 3. *disperdet illum Deus*, at quis templum Dei sanctum, & Deo conse-

consecratum propriè est nisi Sacerdos, toties per varios ordines inunctus, & vices Dei & Angelorum subiens: 2. quia violat votum castitatis ipsa ordinis susceptione tertio factum. 3. quia summo scandalo est bonis & malis imò & vilissimis hominibus: quod scandalum tantum hoc sæculo est, ut causam dederit tot hæresibus. 4. quia si in statu hujus peccati celebret, aliaque sacramenta administret, Christum crucifigit, Christo in faciem spuit, Christum cum Juda prodit, imò pedibus conculcat, & in clocam proijcit. Quid enim aliud est os sacerdotis impudici vel concubinarij, quid aliud ejus anima vel cor, quàm cloaca fœdissima. Quid est magaritas proijcere ante porcos, si hoc non est? hoc est, cùm impudicus sacerdos audet celebrare.

MEDITATIO VIII.

De frequentanda celebratione Missæ.

1. Considera, Sacerdotem ex vi sui officii & muneris, accepisse onus intercedendi pro populo ad Deũ, & offerendi dona, ut loquitur Apostolus Heb. 1. & sacrificia pro peccatis suis & aliorum, cum & ipse circumdatus sit infirmitate, cum ergo crebrius imo quotidie ipse cum aliis peccet, cõvenit etiam ut quotidie sacrificet. 2. Considera Christum in extrema cœna præcepisse, ut sacrificium hoc Apostoli peragerent in sui commemorationem, cum ergo salutare sit crebrius renovare memoriam passionis, salutare quoque erit crebrius sacrum facere. Imo in Dominica oratione omnes fideles docuit quotidianum panem nempe Eucharistiæ, postulare. *Si autem quotidianus est panis*, inquit B. August. l. 2. de serm. in monte, *cur de die in diem transfertur, cur non accipitur quotidie, qui prodest quotidie? Cœlestis est medici-*

na,ait Ambr.libro 4. de Sacr.cap.6.*debe-re igitur ſemper accipere,qui ſemper pecco & medicina indigeo*

2. Conſidera exempla ſanctorum, nam quotidie ſe immolare immaculatum hunc agnum confeſſi ſunt. S. Andreas Apoſtolus,S.Ignatius,S. Cyprianus, S.Ambroſius, S.Chryſoſtomus,S. Auguſtinus. Ac S. Gregorius refert in S. Caſſio Narnienſi Epiſcopo,morem quotidie celebranti divinitus approbatum his verbis: *Age quod agis,non ceſſet pes tuus,non ceſſet manus tua.* Hippolytus martyr,ait in die judicii Judicem, *Venite benedicti*, dicturum ſacerdotibus, qui quotidie pretioſum corpus & ſanguinem immolarint. Siricius & Innocentius I. Pontifices hac ratione ſuadent perpetuam continentiam ſacerdotibus ſervandam, eo quod quotidie Deo ſacrificia offerant. Primi denique Chriſtiani,ut eſt in actis capite 2. quotidie perſeverarunt in fractione panis,quod aliquot ſæculis obſervatum eſt in multis locis, erant ergo qui frangerent quotidie,

3. Conſidera, quanto fructu ſpirituali

pri-

privet Ecclesiam Sacerdos, si negligat crebrius, dum potest, celebrare. *Sacerdos*, inquit Venerabilis Beda, *non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat sanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia justos subsidio & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiã spirituali Christi beneficio, & seipsum medicina & remedio*. 2. expendat, quanto fructu spirituali privet se. Qui enim sæpe celebrat, sæpe examinare conscientiam solet, de peccatis dolere, eadem confiteri, propositum melioris vitæ facere, satisfactionem peragere, summo religionis cultu per preces & sacrificia Deum afficere, mentem in Deum elevare, populum ad rem divinam audiendam allicere, vitam tali officio convenientem instituere, & omnes homines suo exemplo ædificare, ac denique majorem apud Deum gratiam, & ampliorem tot bonorum operum mercedem promereri.

GREGORIUS XIII. PONTIfex concessit cuilibet Sacerdoti dicenti ante celebrationem Missæ, quæ sequuntur, 50. annorum indulgentiam.

EGo volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiæ triumphantis, ad utilitatem meam totiusque curiæ militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem S. Spiritus, perseverãtiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen.

(***)

ME-

MEDITATIONES DE VOTIS RELIGIOSORUM.

MEDITATIO I.

De præstantia votorum.

1. COnsidera, vovere religiosi non esse aliud, quam relicto sæculo, se totum divino servitio dedere, & ad perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam, in religione approbata obligare; his enim tribus virtutibus removemus omnia impedimenta perveniendi ad vitæ Christianæ perfectionem, quæ est religiosæ vitæ finis. *Quidquid* namque *est in mundo*, vel sæculo primo Joannis secundo *aut est concupiscentia carnis*, quæ tollitur castitate: *aut concupiscentia oculorum*, quæ paupertate: *aut superbia vi-*

ta, quæ tollitur obedientia & ſubjectione .2. Conſidera horum votorum præſtantiam inde liquere, quod nobiliſſima ſint. 1. quia fiunt Deo omnis nobilitatis auctori, & in divinæ ejus majeſtatis gloriam. 2. quia iis ſe obligat voluntas noſtra, quæ inter animæ facultates tenet principatum. 3. quia vovere eſt actus religionis inter omnes morales virtutes nobiliſſimus. Unde B. Auguſtinus libro de Virgin. dicit: Virginitatem, non quia virginitas eſt, ſed quia per votum Deo dedicata eſt honorari. 4. quia ſicut vita corporalis pendet ex corde, tanquam à principio, ſic vita religioſa, & eſſe religioſum pendet ab horum trium votorum obligatione.

2. Conſidera hanc votorum obligationem Deo eſſe gratiſſimam. 1. quia illis quaſi tribus clavis voluntarie religioſus ſe affigit cruci amore Dei non per tres horas tantum, aut dies, ſed per totam vitam, Chriſtus latronem in cruce ſecum pendentem ad breve tempus & pauca verba pia eloquentem, ſtatim fecit paradiſi hæredem, quid ergo faciet

torâ

totâ vitâ pendenti? 2. quia illis se totum offert Deo in holocaustum, teste B. Gregorio homilia duodecima in Ezechielem. Sæcularis homo bene agens tantum fructus dat Domino Deo: at religiosus dat arborem cum fructibus, idque in æternum, quia abrenuntiat sæculo, & se totum dedicat divino servitio. 5. quia perfectissimo modo se donat Deo, ut nullum sibi jus & imperium retineat, paratus Deo parere, & superiori ejus vicem tenenti quacumque in re, quando, ubi, & quantum libuerit. Et ideo sine sacrilegio, si religiosus sis, non potes amplius voluntate & judicio tuo uti, quomodo & ubilibet, sed tantum ad arbitriũ Dei, cui es consecratus.

3 Considera, cum religiosi inter omnes Dei servos sint nobilissimi, utpote ad perfectionem vitæ sanctæ semper contendentes, juxta illud monitum Christi, Matthæi sexto & 16. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, & illud: *Si quis vult venire post me: abneget semetipsum, &c.* Prorsus convenit, ut spondeant in tribus illis virtutibus, ducem

ſuum & Imperatorem Chriſtum imitaturos. Quid enim pauperius, caſtius, obedientius Chriſto? 2. perpende, cum tam nobilis ſit religionis ſtatus, debere etiam à religioſo non vulgaria, ſed heroica opera exerceri, votis congruentia. Ut ratione paupertatis ita contemnere opes, ut nec obolum proprium habere velit, & ſi opus ſit, aut regula poſtulet, vili habitu incedere, & neceſſaria oſtiatim emendicare. Ratione caſtitatis, virginitatem ſervare intactam, nec ulli turpi cogitationi locum dare, nedum verbis aut factis. Ratione obedientiæ non ſolum voluntatem, ſed etiam judicium in parendo ſuperioribus quibuslibet in quavis re ſubmittere. Talis enim obedientia gratior eſt Deo omnibus victimis & holocauſtis.

MEDITATIO II.

De utilitate votorum.

1. CОnſidera, ſicut arbor, quo altius humi radices fixerit, & vitis quo re-

rectius stipiti alligata est, hoc meliores producere fructus, sic voluntatem humanam quo plus firmata fuerit in bono, hoc præstant ora opera producere: Vota autem voluntatem in bono opere imprimis reddunt firmiorem, ac proinde & opera ejus sunt Deo gratiora, & amplioris præmii meritoria, haud secus quam opus parvum à voluntate perversa & obstinata profectum, detestabilius est aliis malis operibus & gravioris pœnæ meritorum. Secundo, perpende, etiamsi religiosus per vota sibi imponat necessitatem servandi castitatem, & alia, non tamen ideo tollere sibi libertatem & meritum, quia illa necessitas non à natura, sed à voluntaria promissione profecta est: & ideo Divus Augustinus vocat illam necessitatem felicem, quæ ad meliora compellat: facit opus voluntatis perfectius & magis meritorium. Angeli siquidem natura sunt liberiores homine, & tamen eo beatiores sunt, quo minus possunt vel ad momentum faciem suam à divinæ majestatis conspectu avertere.

2. Considera, procul dubio homini utilissimum fore, si Domino universitatis arctissime esset conjunctus, atqui religiosus per votorum vincula arctissime alligatur Christo, ac proinde & Christus vicissim ipsi *Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est*, inquit Apostolus primo Corinthiorum sexto, si autem unus spiritus est, quomodo non est particeps donorum, beneficiorumque ejus spiritualium, an potest aliquis os appositum habere fonti, & non bibere, manus igni admovere, & non calefieri. 2. perpende, cum per vota nos totos Deo dedicemus, & à Deo possideri incipiamus, fieriq; filii Dei, & hæredes Christi fieri non posse quin nobis benefaciat, cum non tam nobis, quam sibi hoc beneficium debeat.

3. Considera, bona omnia opera ex voto facta, plus mereri apud Dominum Deum, quam quæ non sunt ex voto facta. 1. quia fiunt ex affectione majori: major enim est affectio ejus qui ita quippiam vult, ut sibi fas non sit aliud velle, quam ejus qui vult tantum aliud;

si

sic tamen ut liceat contrarium. 2. quia ex duplici virtute procedunt, qui enim amore Dei servat castitatem, unam tantum exercet virtutem, nempe continentiam, & qui vero servat castitatem, ex voto, exercet duas, continentiam & religionem. 3. quisquis vovet, vel vovit, ut emittat votum, & obliget se Deo vel ut postea teneatur reddere quod vovit, ratione utriusque autem maximum sequitur meritum. Primi quidem, quia maxime voluntaria est actio: sic enim vult, ut non possit revocare ipsum velle. Secundi vero, quia velle reddere est actus latriæ, qui est actus nobilissimus.

MEDITATIO III.

De præstantia paupertatis religiosæ.

1. CONsidera paupertatem evangelicam, quâ religiosus divitias omnes, ipsosque auri montes quasi stercora, ut ait Paulus Philip. 3. abominatur, idque propter Dei amorem, spemq; vitæ æter-

næ omnibus virtutibus eminere, & esse, ut Ambrosius loquitur libro 5. in Lucam *ordine primam, & quasi aliarum virtutum parentem.* Religiosus enim dum vovet illam, non solum omnibus facultatibus se exuit, & nudus nudum sequitur Christum, sed in eo statu se ponit, ut nihil proprii habere possit. Unde Cassianus libro 4. capite 13. dicit magnum crimen fuisse, si monachus dixisset, codex meus, tunica mea. Quare & Christus Matthæi 5. inter octo beatitudines, id est, virtutes, quæ hominem in hac vita beatum faciunt, paupertati principem locum dedit, eidemque summum præmium attribuit: *Beati,* inquiens, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

2. Considera, præstantiam ejus maxime sumi ab exemplo filii Dei, qui ut ait Apostolus, cum dives esset, factus est pro nobis egenus, & ita egenus, ut dixerit Matthæi 8. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius vero Dei non habet, ubi caput suum reclinet.* Unde nec in domo, sed in stabulo, eoque alieno nasci voluit, & licet in manu haberet omnes

fines

fines terræ, aliorum eleemosynis vivere, & stipem mendicando quærere, pauperem habere matrem & patrem , nempe fabrum. Pauperes item discipulos. In paupertate demum & nuditate vitam claudere. Hunc sane statum, nisi sapientia Dei se dignum cognovisset non assumpsisset, nisi scivisset paupertatem esse gemmam pretiosissimam licet mundo vilissimam, non ad eam quærendam de cœlo descendisset, non per pauperes & nudos piscatores tanta miracula fecisset, & totum mundum convertisset. Certe aut mundus errat magnificare pergens opes & divitias, aut Deus eas contênens: at impossibile est Deum errare, ergo turpissime errat mundus.

3. Considera ex judicio mundi liquere ejus præstantiam. Si enim quis ex paupere repente fiat dives , mundus non admodum miratur: at contra, si quis ex divite & copioso sponte fiat pauper, & omnia deserat, agros, vineas, urbes, summopere mîratur , eo quod nihil putet divitiis esse nobilius , nihil abjectius inopiâ. Secundo, perpende sedulo,

an revera mundus possit, cum opibus, omnibusque delitiis suis ita exsaturare cor humanum, ut acquiescat? Non certe, quia mundi sectatores, quo plus habent, hoc amplius habere desiderant, & cum satiari nequeant partis, ad veram animi quietem nunquam perveniunt. At religiosus, qui neque proprium quidquam habet, neque habere desiderat, victu & amictu modico contentus vivit, eoque similior est beatis in cœlo: ut enim hi suâ gloriâ omnes contenti in cœlo vivunt, sic ille paupertate religiosa contentus degit in terra, & ideo fortasse à Christo *Matthæi* 5. dictum est, pauperum spiritu, non futurum, sed jam esse regnum cœlorum.

MEDITATIO IV.

De utilitate religiosæ paupertatis.

1. CONsidera mirabiles ejus utilitates: nam primo tollit superbiam, & alia multa vitia, quæ homines occasio-

ne opum committunt,vel potentiæ,quæ opes comitatur.1.valet ad peccata præterita expianda & delenda.3.hominē inutili rerum terrenarum solicitud.ne liberat.4.virtutes fere omnes inducit: ut tēperantiam,modestiam,&maxime humilitatem,quæ est ejus velut germana soror. 5. avellit animum ab amore hujus mundi,omniumq; ejus voluptatum, & transfert in amorem rerum cælestium,ut dicat Heb 13.*Non habemus hic manentē civitatem,sed futuram,quæ in cælo est,inquirimus*.6.hominem perfectum reddit in hac vita,juxta illud Matt 19.*Si vis perfectus esse,vade & vende omnia*,& capacem magni thesauri in cælo , ut ibidem additur:*Et habebis thesaurum in cœlo.*

2,Considera,qui religiosus voto paupertatis se & quidquid in mundo habere potuit,tradit Deo , & ne aliquando tergiversari queat,voti vinculo , se ad paupertatem obstringit, Deum vicissim se illi consecrare,& omnia ad vitam necessaria spondere , sicut olim in persona Aaronis Numer. 18.se facturum recepit, cum dixit se partem & hæreditatem e-

jus

jus fore, intelligens in hoc typo omnes religiosos. Nam si volucres tanto studio necessarium victum suis pullis conquirunt, non putandum est creatorem volucrum & hominum, ac proprium religiosorum Patrem, suorum religiosorum filiorum, qui in cœnobiis, velut aviculæ in nidis, cibum quotidianum præstolantur, oblivisci. Non credendum est, veste necessaria destiturum eos, qui propter ipsum omnibus corporis commodis se exuerunt, nihil retinentes proprium. Itaque si tu non desis Deo, nec Deus deerit tibi.

3. Considera, etiamsi religiosus nihil proprium sibi vendicet, omnia tamen necessaria ad victum, amictum & habitationem, ut cura sit solutior, aliorum studio obtinere, ut verum sit illud Apostoli in eo. *Nihil habentes, & omnia possidentes:* 2. si alio iter instituat, omnes ejusdem ordinis fratres, licet ignoto, omnia charitatis officia deferunt, eo solum nomine, quod audiant ejusdem esse matris, id est, religionis filium, & experitur verum esse promissum Christi de centuplo

tuplo in hac vita;quia centum,imo mille domos reperit pro una,sua etiam meliores.3.cibus & potus , etsi moderata sint , tamen ex amore ei paratur, & ad mensam à servis Dei defertur.Quidquid apponitur, edit & bibit omni suspicione seclusa,quod nullus potest Princeps. 4. in senecta majori in reverentia habetur, & tractatur , licet laborare non queat, commodius perpenditur enim,non quid præstet,sed olim præstiterit.5.in ægritudine majori studio & amore ei servitur, quam dominis sæcularibus.Medici præscripta ibi accurate servantur, si periculum vitæ sit,tempestive monetur , & sacramentis munitur,noctu diuque præsto adsunt custodes & munitores, omnium fratrum precibus commendatur,ac tandem septus orantium coronâ cum indulgentia plenaria ordini concessa in morte,ad cœlum transmittitur.

MEDI-

MEDITATIO V.

De præstantia religiosæ castitatis.

1. CONsidera primam ejus excellentiam esse, quod hominem quoad fieri potest, restituat in priorem statum, in quo conditus est, eaque puritate ornet quâ claruit in paradiso terrestri, hoc est, ut caro obsequatur spiritui, nec quidquã homo turpe, verbo, vel cogitatione designet; & pars inferior, quæ dicitur sentiens, non obstrepat superiori, hoc est rationi. Secunda est, quod reddat secundũ omnes SS. Patres, simillimum Angelis, eo quod carnis vinculis alligatum esse, & non secundum carnem vivere, sed secundum spiritum reputent non humanum, sed angelicum. Immo S. Bernardus & S. Chrysostomus audent affirmare aliqua ex parte majorem esse laudem hominis casti, quam Angeli, hujus siquidem castitatem esse feliciorem quidem, sed illius fortiorem, hujus naturalem quasi & necessariam, illius vero liberam & voluntariam.

2. Confidera & tertiam excellentiam quod hominem religiosum ut vult sanctus Basilius,& Climachus, Deo reddat simillimum, quantum quidem fas sit homini. Deus enim natura incorporeus est,incorruptibilis & purissimus, cum ergo anima ipsa natura incorruptibilis & pura ipsum corpus ad eandem puritatem & integritatem per castitatem attrahere conetur, non aliud facit, quam quod similitudinem Dei incorruptibilis in se, velut in speculo mundissimo exprimat, & hominem quasi divinum faciat,in carne carnis quasi expertem. 2. nota hoc bonum tantum, tam fuisse à natura humana desideratùm, ut antiquus serpens in paradiso nihil aptius reperit ad primos parentes alliciendos, quam promittendo Genesis 3. *Eritis sicut dii*. Sed quod falso promissum est ab eo. qui præstare non poterat, & eâ viâ quâ præstari non poterat; hoc per castitatem religiosus vere tenet & possidet; eoque perfectius quo ejus castitas est perfectior aliorum, ut conjugum, viduarum,& Virginum castitate.

3. Con-

3. Considera quartam excellentiam ejus esse, quod hæc castitas inter eximia Dei dona, quæ non humana, sed divina tantum virtute contingunt, numeratur. Unde Sapiens cap. 8. *Scivi*, inquit, *quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det*. Unde SS. Patres docent illam virtutem supra naturam, & supra omnem legem, & ideo neque in veteri, neque in nova lege imperatam. Excellentia autem hujus virtutis nascitur ex summa difficultate, quam anima hominis habet in coërcendis & frangendis importunis hostis duplicis insultibus, domestici videlicet, id est carnis, quæ continuo noctu diuq; pugnat adversus spiritum, & pugnabit usq; in finem vitæ: Deinde externi, id est, dæmonis, qui nullo alio peccato plus gaudere dicitur, secundum quosdã, quam impudicitiæ, ob quam pugnam exclamat Apostolus Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

ME-

MEDITATIO VI.

De utilitate religiosæ castitatis.

1. Considera eo nomine religioso utilissimam esse, quod ejus beneficio infinitis liberetur molestiis: & primo quidem carnis, quæ ubi vel minimum obtinet imperium, etiam sapientes, ut liquet in Salomone, in barathrum vitiorum præcipites agit. Deinde familiæ gubernandæ, quæ tantas sæpe difficultates adjunctas habet, ut redigant ad desperationem. Patrifamilias enim incumbit curanda uxor, liberorum educatio, collocatio filiarum, necessariarum rerum procuratio, ut famuli & ancillæ officio suo fungantur, ut omnes probi sint & pii. Taceo varia incommoda, & infaustos casus, qui quotidie vel uxoris protervæ, & litigiosæ, vel liberorum inobedientium, vel cognatorum litigantium causa incidunt. Religiosus autem velut cæli civis sua vocatione contentus aliis necessaria ei curantibus, tantum suæ saluti procurandæ vacat.

2. Con-

2. Conſidera, ſi quis noctu diuque cum immani fera commoraretur, eum in luculento vitæ diſcrimine futurum, ne aut morſu, aut veneno conficeretur, niſi os ei occludere poſſit, ne morderet, aut virus effunderet. Scias ergo feram nullam ferociorem, aut virulentiorem eſſe carne noſtra, cum qua quoniam continenter verſari cogimur, non dubium eſt, quin anima noſtra in magno verſetur periculo. At ab hoc periculo eam vindicat caſtitas; nam concupiſcentiam ejus, quæ eſt os belluæ, vinculo voti aſtringens, facit ut mordere vel venena fundere non poſſit. Secundo, perpende caſtitatem beneficio religionis, & aliis præſidiis munitam, ut fortius crucifigere per eam poſſit religioſus carnem cum concupiſcentiis, ac etiam omnia mundi & dæmonum tela ignea ad eandem inflammandã conjici ſolita avertere: per votum enim paupertatis omnes reſciſſæ ſunt illecebræ & voluptates, per obedientiam omnis converſatio cum mundo, mundaniſque hominibus: facile autem eſt tueri caſtitatem inter caſtos.

3. Conſidera, caſtitatem religioſo non ſolum perutilem, ſed etiam præ cæteris virtutibus maxime eſſe neceſſariam, nullo enim vitio bona religioſorum fama proclivius obſcuratur, quam ſi contra caſtitatem vel minimum delinquat. Sit religioſus aliquis paulo tenacior, curioſior & iracundior, ſit animo plus æquo elatior, ſit purior & aſperior, nondum ſãctitatis & pietatis jacturam apud homines facit, ſed ſi ſiniſtri quippiam audiatur de caſtitate, mox famam obſcurat, quia non poteſt eſſe ſanctitas, ubi eſt incontinentia non poteſt eſſe Dei ſpiritus, ubi dominatur caro. Cujus ratio eſt, quod alia vitia facile excuſantur: vel quod proveniant à complexione naturali, ut iracundia, vel quod bono fine acciderint, ut parcitas, vel aſperitas. Deinde ratione caſtitatis religioſi habentur puriſſimi, & ſpeculum virtutum omnium; in puro autem ſpeculo facile apparet macula,

ME-

MEDITATIO VII.

De præstantia religiosæ obedientiæ.

1. CONsidera præstantiam ejus posse cognosci ex judicio & exemplo Christi Domini: quidquid enim in hac vita egit, quidquid dixit, etsi ex omnium aliarum virtutum fontibus flueret, huic tamen fere adscribitur. Ipse testatur se de cælo descendisse, non ut suam, sed Patris faceret voluntatem. Joan. 7. Apostolus quoq; vitam ejus totam, mortē, & mortis genus ad unam obedientiam refert. *Factus*, inquit Phil. 2. *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Et S. Bern. serm. 46. in Cant. scribit, eum mori maluisse, quam non obedire. Ratio hujus est, quia per obedientiam voluntas nostra, sensusque omnis cum Deo arctissime conjungitur, in qua conjunctione omnis hominum perfectio, & angelorum consistit. Imo nullæ virtutes, adeoque ipsum martyrium alicujus sunt pretii vel meriti, nisi ad Dei voluntatem exequendam referantur.

2. Con-

2. Conſidera in hanc virtutem omnes ferè virtutes concurrere, quaſi ad pulcherrimum opus ex pluribus gemmis concinnandum. Nemo enim ſe alteri homini in omnibus ſubjicit, niſi magno DEI amore ardeat, multa item fide in eum & fiducia ſubnixus, deinde profunda humilitate, patientia, fortitudine & conſtantia præſtans. Deinde nihil æquè ejus dignitatem oſtēdit, ac materia ei ſubjecta, quæ triplex eſt. Prima eſt executio omnium operum externorum, quæ à Superiore imperantur. 2. eſt mactatio propriæ voluntatis, ut vocat B. Gregorius, obediens enim non ſuam, ſed ſuperioris quærit facere voluntatem. 3. abnegatio proprii judicii, obediens enim id rectum & honeſtum judicat, quidquid ſuperior præſcripſerit, modò non repugnet legi divinæ. Quid autem præſtantius homo habet, voluntate & ratione?

3. Conſidera Spiritum Sanctum in divinis litteris obedientiam anteferre victimis & holocauſtis. *Melior eſt obedientia*, inquit 1. Reg. 15. *quam victima &*

auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. Nec mirum, quia per victimas, aliena caro mactatur, inquit Gregorius, per obedientiam verò propria voluntas, & libertas, quâ nihil pluris in mundo æstimatur. Deinde si magni facis paupertatem, & castitatem, pluris certè teneris facere obedientiam : paupertatis enim voto tantùm obtulisti Deo bona externa, castitatis tantùm bona & commoda corporis, at obedientiæ voto interna animi bona quæ longè præstant corporis fortunæq; bonis. Deniq; nullæ majores victoriæ obtinentur in bello spirituali, quàm per obedientiam. *Homo obediens*, ait Salomon Prov. 21. *loquitur victorias*. Cujus causa est, quia dum sponte se subjicit alieno imperio vincit seipsum, *Qui dominatur animo suo*, ait idem Prov. 6. *fortior est expugnatore urbium*. Quæ victoria tantò illustrior est, quantò difficiliori certamine, nempe contra naturam obtinetur,

MEDITATIO VIII.

De utilitate religiosæ obedientiæ.

1. CONsidera ex præstantia obedientiæ derivari magnitudinem meriti, & copiam fructuum. Nam obedientiæ beneficio non solum omnia bona religiosi opera meliora fiunt, sed etiam quæ per se nullius sunt meriti, fiunt Deo grata & meritoria, ut ex obedientia comedere, ambulare animi gratia, cubitum ire. Itaque rectè comparatur obedientia virgulæ divinæ, quæ omnia suo contactu in aurum convertit. Copia fructuum autem inde liquet, quod teste Gregorio 35. Moral. c. 10. *Sola virtus sit obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit insertasq; custodit.* Cùm enim Deus non patiatur se vinci à nobis officiis, consequens est, ut qui se suaque omnia Deo donavit per obedientiam, eidem ipse vicissim se suaque dona spiritualia donet. Custodit autem alias virtutes, contra insidias dæmonum, quia nihil

sibi confidit, nihil sibi tribuit, sed se suaq; Dei manibus quasi deposita committit, ex quibus nemo quidquam rapere potest. *Ioan.* 10.

2. Considera, quod obedientia religiosum eximat ab innumeris molestiis & curis, quas quotidie experiuntur, qui in sæculo suo arbitratu vivunt. Obediens enim omnium rerum suarum curam in humeros aliorum conjicit, & quasi infãs aliorum ulnis se gestari sinit, ac denique quasi dormiendo iter ad cæleste regnum facit. Superioris enim muneri incumbit, ei omnia necessaria tam in temporalibus quam in spiritualibus suo tempore, loco & ordine providere. Ille patris & matris, magistri, ducis & procuratoris vices subit, unde rectè Climachus gradu 4. *Obedientia*, inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ, & corporis mors voluntaria, vita sine solicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo, sub onere aliis imposito, & super aliorũ ulnas ne mergaris natare.*

3. Considera, quàm grata sit Deo obedientia, & contrà, quàm inobedientia ingrata.

grata. Primum patet exemplo Abrahæ; cujus inobedientia simplex fecit, ut non solum ipse ejusq; familia tota, sed omnes mundi gentes benedictæ fiant in ejus semine, ex quo natus est qui sua obedientia portas cæli ob inobedientiam conclusas patefecit, sic ut verè dici queat, omnia dona cælestia, gratiasq; & virtutes esse obedientiæ fructus. Alterum liquet ex inobedientis Adami primi parentis exitu, ille enim non solum ipse è paradiso terrestri exulare coactus est, verùm etiam cum tota generis humani posteritate maledictioni factus est obnoxius. Omnes enim hujus mundi curæ, anxietates, labores, ærumnæ, morbi, fames, sitis, egestas, bella, dolores, partus, mors, omnis generis peccata sunt hujus inobedientiæ effectus & pœnæ. Quæ expiari deleriq; non potuerunt, nisi secundus Adam Christus Jesus factus obediens usq; ad mortem ignominiosissimam crucis illas sustulisset.

MEDITATIONES

De quindecim mysteriis Rosarii Beatæ Virginis MARIÆ.

GAUDIOSA V.

1. DE Incarnatione Christi, & Annuntiatione B. Virg.
2. De Visitatione B. Virg.
3. De Nativitate Christi.
4. De Præsentatione B. Virginis in templo.
5. De inventione Christi in templo.

DOLOROSA V.

1. De oratione Christi in horto.
2. De flagellatione.
3. De coronatione.
4. De deportatione Crucis.
5. De crucifixione.

GLORIOSA V.

1. De Resurrectione Christi.
2. De Ascensione Christi.
3. De Adventu Spiritus sancti.
4. De Assumptione B. Virginis.
5. De Coronatione B. Virginis.

Unde versus:

1. *Nuntius, invisens, natus, præsens, reperitur.*
2. *Orat, cum flagris, spinas portat, crucifixus.*
3. *Surgens, ascendit, spirans, assumpta, corona.*

MEDITATIO I.

De primo Mysterio glorioso.
De Annuntiatione Beatæ Virginis.

1. Considera, immensam Dei charitatem, quod ad te ab æterna damnatione redimendum, cùm esset beatissimus & immortalis, voluerit fieri mortalis & miser homo, idq; sine ullo tuo merito, imò infinitis demeritis.

2. Consídera, quomodo ad exequendum hoc mysterium mittatur de cælo legatus Gabriel Archangelus, nuntiaturus B. Virgini eam fore matem Dei: quãto splendore apparuerit, quâ reverentia eam salutarit. Et rursum, quâ modestia B. Virgo auscultarit, quâ prudentia verba Angelica expenderit, qua fide crediderit, & quanta humilitate ancillã se vocarit, licet electa esset Dei mater.

3. Considera, quòd mox post verba B. Virg. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, tota Trinitas ad eam descenderit, & Filius Dei in utero ejus factus sit homo; ac proinde & ipsa facta est Mater Dei, Regina hominum & Angelorum, & quidam paradisus, in quo Deus per novem menses habitare voluit.

(*,*)

MEDITATIO II.

De secundo Mysterio gaudioso.

De Visitatione Beatæ Virginis.

1. CONsidera, quòd B. Virgo mox post conceptum in utero Christũ magna festinatione per montes altos Judææ cucurrerit ad visitandum cognatam suam Elisabeth tunc gravidam, & in utero habentem S. Joannem Baptistam. Mirare fervorem, charitatem & humilitatem, quod existens Mater Dei, ei ministrarit ut ancilla.

2. Considera, quanto gaudio affecta sit S. Elisabeth ex visitatione B. Virginis, quomodo obstupuerit à Matre Dei se visitari, quomodo & infans in utero ejus ad præsentiam B. Virginis & Christi jam concepti exultarit, quàm humiliter B. Virgo laudes suas exceperit, & mirata sit humilitatem S. Elizabeth dicentis: *Vnde hoc mihi, ut mater Domini veniat ad me.*

3. Considera, quomodo Beata Virgo auditis suis laudibus, ut quòd esset benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris ejus, erubuerit, & causam omnem bonorum suorum transtulerit in Deum clamando: *Magnificat anima mea Dominum, &c.*

MEDITATIO III.

De tertio mysterio gaudioso, ut *De Nativitate Christi.*

1. CONsidera, quomodo Beatissima Virgo cum Joseph ex Nazareth profecta sit cum magna fatigatione in Bethlehem, ut edicto Augusti Cæsaris obediret, idque hyeme & jam gravida & tenella. Atque ibi non invento loco in ullo diversorio, ab omnibus velut mendica repulsa, coacta sit manere in stabulo publico, injuriis cæli pervio.

2. Considera, quomodo cùm jam hora gloriosi partus adesset, media nocte, sine dolore, dum flexis genibus oraret,

oraret, genuerit Salvatorem, quantò mox gaudio perfusa sit, quàm devotè adorarit & osculata sit infantulum, quàm officiosè panniculis vilibus sibi detractis involverit, in præsepi posuerit.

3. Considera cum affectu compassionis, quomodo Rex Regum sic humiliatus jaceat in duro præsepio, & modico fœno, quomodo Rex Angelorum jaceat frigore tremens inter bovem & asinum. Attende ad gaudium Angelorum cantantium, *Gloria in excelsis*, & pastoribus nuntiantium hanc Nativitatem. Vide, quo studio illi mox accurrant, & dona sua rustica humiliter illi afferant. Disce pauperi Christo charos esse pauperes maximè & humiles.

(*.*)

MEDITATIO IV.

De quarto Myſterio gaudioſo.

De Præſentatione B. Virginis.

1. CONſidera, quomodo poſt quadraginta dies diſcedens è Bethlehem abierit Hieroſolymam, ut filium ſuum in templo præſentaret & offerret, pareretque legi Moyſis, quæ erat, ut omnes mulieres à partu, quæ erant immundæ, purificari ſe curarent. Vide humilitatem B. Virginis, quæ cùm eſſet mundiſſima, tamen quaſi peccatrix haberi voluerit, cum nos, licet peccatores, ſancti velimus videri.

2. Conſidera, qua modeſtia & devotione benedictum fructum ventris ſui, qui Angelos lætificabat, in templum portarit, quanta reverentia & gaudio Simeon ſenex ulnis ſuis eum exceperit, adorarit, & iterum iterumque oſculatus ſit, tum obtulerit eum flexis genibus ſuper altare, multis cum lachrymis

Deo, & in Canticum erupuerit, dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine in pace.*

3. Considera, quam miranda idem Simeon tum prædixerit Beatissimæ Virgini, nempè quòd infantulus ille aliquando ponendus esset in signum cui contradiceretur, id est, multa passurus esset à Judæis, & quòd animam ipsius Virginis pertransiturus esset gladius, quod accidit sub cruce tempore passionis. Vide, quomodo lætis DEUS subitò miscet tristiá, ne nimium prosperis efferamur.

MEDITATIO V.

De 5. Mysterio gaudioso.

De invento Christo in templo.

1. CONsidera, quanta devotione Beata Virgo cum Josepho sponso suo & Filio JESU quotannis iverit Hierosolymam ad celebrandum Pascha. Quàm ardentes preces ad Deum ibi effuderit,

cùm sciret se secum habere verum filium Dei. Ut discamus multa facere ad quæ non tenemur, & libenter loca sancta precandi causa adeamus.

2. Considera intimum dolorem B. Virg. quoniam domum regressa vesperi non invenit suum Jesum, quem putabat esse in comitatu Joseph. Perpende quot gemitus, quot lachrymas profuderit, nesciens quò se verteret, erat enim nox. Interim vide Christum in angulo aliquo templi nocte orantem, de die autem vel orantem, vel panem mendicantem, vel de rebus piis loquentem.

3. Considera quomodo prima luce egressa sollicitè ab obviis quæsierit, num vidissent filium, ac tandem cùm nusquã appareret, quomodo redierit Hierosolymam mœrens & tristis, ac invenerit filium sedentem in medio Doctorum. Cogita, quantum gaudium ibi mox obortum, quomodo eam sit solatus, monueritq; Deum magis diligendum, quàm parentes.

MEDITATIONES

De quinque Mysteriis dolorosis.

MEDITATIO I.

De oratione Christi in horto.

1. CONsidera, Christum post cœnam nocte cum undecim discipulis mœstum egredi ad hortum, ibiq; ad jactum lapidis avulsum ab iis, procidere expansis manibus in cælum, primò in genua tum pronum in terram: tristis enim erat anima ejus ad mortem, id est tanto mærore obruebatur, ut videretur jam expiraturus, tristis autem erat tum ob cruciatus quos sciebat se passurum, tum ob ingratitudinem Judæorum & nostram.

2. Considera, quomodo, cùm ter orasset, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, eousque desiderium patiendi pro te in eo creverit, ut sanguis bulliens in venis, violenter tandem per poros corporis eruperit, & sangui-

nem ſudarit. O Domine Jeſu, quanta mea in orando tepiditas eſt, qui ne unam quidem guttulam aliquando exprimere poſſum.

3. Conſidera, quomodo tantum ſanguinis undiq; per veſtes effuderit, ut non poſſet præ debilitate ſurgere à terra, niſi Angeli eum elevaſſent. Vide, cùm ſurrexit, faciem ejus deformatam pulvere & ſanguine, capillos ſanguine concretos, & Angelum Gabriëlem ſudorem abſtergentem, & Chriſtum confortantem.

MEDITATIO II.

De ſecundo Myſterio doloroſo.

De Chriſti flagellatione.

1. CONſidera, quomodo Chriſtus coram infinita turba hominum à milite inſaniente, in publicum trahatur theatrum, veſtibus omnibus ſpolietur, & dirè alligetur columnæ. Cogita quanta ei confuſio fuerit, toto corpore

porenudari, & agnum Dei inter rabidos lupos ſtare, creatorem mundi ab ingratis creaturis tam indignè tractari, & flagella in humeros Dei cadere.

2 Conſidera, quàm acerba fuerit flagellatio, primò enim nodoſis funibus, tum virgis cæſus eſt ſine miſericordia. Sceleſtis enim hominibus non poterant infligi, niſi quadraginta verbera, ne excoriarentur, at Chriſto innumera, ut toto corpore fuerit laniatus. Finge te quaſi præſentem audire ictus. Videre quoque quomodo rivi ſanguinis ex facie aliiſque partibus corporis, defluat, & tota terra madefiat ſanguine. Cogita hæc vulnera infligi ob peccata tua.

3. Conſidera Chriſtum, dum à columna ſolveretur, viribus fractum, quaſi truncum concidiſſe in terram. Vide eum in pavimento ſanguineo nudum reptantem, & quærentem veſtem quâ ſe operiat. Cùm autem è terra ſurrexit, purpurâ antiquâ tectus, cogita eum te ſic allocutum. Hæc paſſus ſum fili mi, libenter pro te, & graviora adhuc pati

ſum paratus, modò tu emendare velis vitam tuam, & exiguum aliquid pati in hac vita.

MEDITATIO III.

De tertio Myſterio doloroſo.

De Chriſti Coronatione.

1. CONſidera quomodo milites Pilati poſt flagellationem Chriſto illuſerint, induendo eum antiquâ veſte purpureâ, & texendo coronam acutiſſimis ſpinis, ejuſque capiti imponendo. Aſpice, quàm fortiter eam tranſverſis lignis infigant, ut etiam cranium penetrent. Supplicium quale de nullo umquam homine ſumptum, ſed nec de cane.

2. Conſidera, quomodo ei obtulerint arundinem loco ſceptri, & per ludibrium genu flexo adorarint, dicendo: Ave Rex Judæorum, deinde arundine caput verberarint & alapas dederint in vultum ſanguine totum reſperſum. Cogita hæc omnia

omnia patienter eum ferre pro voluptatibus & diſſolutionibus tuis inordinatis.

3. Conſidera, quomodo Chriſtum ita irriſum & conſputum Pilatus produxerit foras, & oſtenderit Judæis, dicens: *Ecce homo*, ut moveret eos ad commiſerationem. Erat enim ita tractatus, ut videretur potius eſſe non homo, & quaſi leproſus, ut dicit Propheta. Sed adamantina Judæorum corda mota non ſunt. Sicut nec nos aliquando movemur ad compaſſionem. Cogita quo dolore percuſſum ſit cor Beatæ Virginis, quæ præſens erat, & vix filium ſuum agnoſcebat,

* * *

MEDITATIO IV.

De quarto Myſterio doloroſo.

De deportatione Crucis.

1. CONſidera, quomodo Pilatus metu humano Judæorum victus, lavando manus, Chriſtum damnarit ad mortem crucis, cujus ſententiam iniquam, Dominus humiliter acceptavit, paratus mori pro nobis. Vide num tu quoque multa mala facis metu, ne aliis diſpliceas: & an æquo animo ſuſcipias aliorum injurias & contumelias.

2. Conſidera, quomodo ejus humeris graviſſima crux impoſita ſit, ut eam portaret, (quod nulli latroni fieri ſolet, ut proprium patibulum portet) quàm benignè eam amplexus ſit, quanto cum labore & ſudore jam membris fractus portarit, & nimio onere preſſus ſæpe ceciderit. Cogita tua peccata fuiſſe illud onus.

3. Confidera, quomodo deficiente Christo sub onere, tandem crucem portandam Judæ tradiderint Simoni Cyrenæo, ut disceres cum Christo tibi quoq; aliquam crucem ferendam esse 2. Cogita, quomodo allocutus sit in illo itinere mulieres flentes, inter quas erat & B. Virgo, easq; sit consolatus, ut discas nec in tribulationibus magnis à salute proximi quærenda cessandum.

MEDITATIO V.

De 5. Mysterio doloroso.

De Crucifixione.

I. Considera, genus mortis crudelissimæ, primo enim Christus omnibus vestibus vi exuitur, & & ita omnia vulnera renovantur, stabatque bonus JESUS totus sanguine perfusus: tum in trabem humi jacentem detruditur, clavis obtusis transfiguntur manus & pedes. Augetur dolor elevatione & successione crucis, & trium horarum

tate quibus in ea pependit. Imaginare, quasi videres & audires hæc omnia, ut ictus malleorum.

2. Considera, quantâ ignominiâ affectus sit hoc genere mortis, pendet nudus in medio latronum, ac si pejor esset illis, in loco infami, in tot hominum præsentia. Et in tanta confusione adhuc verbis contumeliosis excipitur & irridetur, ipse autem orat pro illis.

3. Considera, Christum extrendere brachia in cruce, ut te amplectatur, clavis affixas manus, ut amorem erga nos indicet esse constantem. Caput inclinare ut nos osculetur. Nudus est, ut doceat nos omnium rerũ contemptum. Moritur in cruce, ut in tribulationibus perferendis perseveremus.

4. Considera, B. Virginem cum S. Joanne sub cruce stantem, lacrymis omninò & sanguine de cruce fluente perfusos. Cogita tunc gladium transivisse animam B. Virg. de quo ei prædixerat Simeon senex olim. Vide quomodo & ipsa

ipsa tunc se obtulerit ad crucem subeundam, si fieri posset.

MEDITATIO I.

De primo Mysterio glorioso. *De Resurrectione Christi.*

1. CONsidera gaudium summum Sanctorum Patrum in limbo, cùm anima Christi gloriosa tam diu expectata ad eos liberandos summo triumpho venit.

2. Considera gaudium summum B. Virginis, cùm vidit Christum cum corpore glorioso intrantem cubiculum, quando cum eo collocuta est, non dubium, quin absorpta sit in contemplatione tam splendidi corporis, quod ante erat tam deformatum.

3. Considera, gaudium Mariæ Magdalenæ, cui dum ploraret apud sepulchrum, apparuit in specie hortulani. Nec enim tenere se potuit, quin rueret in ejus amplexum.

4. Considera gaudium Apostolorum

maximè B. Petri, qui Christum negaverat omnes enim ob Christi mortem, & fugam suam valde erant afflicti. Apparuit autem eis sæpiùs, & consolatus est, quæ magna fuit Christi bonitas.

MEDITATIO II.

De secundo Mysterio glorioso.

De Ascensione Christi.

1. COnsidera, quomodo in montem Oliveti, ubi erat B. Virgo cum Discipulis & mulieribus, venerit Christus comitatus Patribus ex limbo liberatis: quam benignè ibi valedixerit matri & aliis, quomodo matrem commendarit Apostolis omnesque benedixerit.

2. Considera, quomodo B. Virgo & Discipuli commoti fuerint, videntes Christum manibus expansis summâ gloriâ ferri in altum, stipatum innumeris Angelis suavissimè cantantibus, Patribus

tribus lymbi etiam infinito numero, ſplendore maximo ſequentibus.

3. Conſidera, B. Virginem flexis genibus cum aliis in cælum continenter reſpicientem, & prorſus ſpiritu raptam. Cogita quo triumpho, lætitia, hymnis Angelorum cælum Chriſtus ingreſſus, quomodo Pater cæleſtis eum amplexus in throno ſummo ad dexteram eum locaverit.

4. Conſidera, Beatam Virginem & comites, maximam conſolationem accepiſſe ab Angelis, quos in albis veſtitos miſit Chriſtus de cælo: cujus hortatu magno cum gaudio Hieroſolymam redierunt.

MEDITATIO III.

De tertio Myſterio glorioſo,

De Adventu Spiritus S.

1. CONſidera, B. Virginem cum diſcipulis in cœnaculo Spiritus ſancti adventum expectantem, cum

ſumma concordia, oratione ferventi & continenti, ſuſpiriis & lachrymis, idque diebus multis.

2 Conſidera, quomodo eis in oratione raptis *factus ſit repentè ſonus* in adventu Spiritus S. id eſt, ſuaviſſimus concentus mirè afficiens eos, *qui replebat totam domum*, id eſt corda eorum omnibus donis cæleſtibus.

3. Conſidera, quomodo linguæ igneæ ſuper omnes apparuerint, quæ deſignant amorem divinum in corde eorum accenſum, ut non timerent amplius prædicare Chriſtum crucifixum. Hoc ardore accenſus Petrus prima concione tria millia convertit.

3. Conſidera, quomodo Beata Virgo, quæ plus omnibus repleta erat Spiritu S. gaviſa fuerit, cùm videret tam felix initium Eccleſiæ ſanctæ, tam abundantem fructum ſanguinis á benedicto filio ſuo in cruce effuſi.

(****)

MEDITATIO IV.

De quarto Mysterio glorioso.
De Assumptione B. Virginis.

1. CONsidera, magnum desiderium B. Virg. moriendi & videndi filium suum. Deinde lætitiam, quando cognovit horam mortis appropinquare, vixerat enim in terra, tanquam in longo exilio.

2. Considera, quomodo voluntate divina ante mortem ex toto orbe miraculosè omnes Apostoli, qui in vivis erant, ei adfuerint. Cogita, quæ colloquia ibi fuerint, quàm ardentes preces, quanto honore eam affecerint, quantum utrimque gaudium ex mutuo conspectu.

3. Considera, quam sedulò se ad mortem præparaverit, quò enim morti fuit vicinior, eò vivaciora ejus fuerunt desideria, & ardentiores orationes, donec magna pace & vultus serenitate anima illa lunâ clarior evolaret.

4. Con-

4. Conſidera puritatem, innocentiam & ſũmas opes illius animæ tanta gratia, tot virtutibus & meritis ornatæ. Quam cogitare poſſumus ipſius Chriſti de cælo delapſi brachiis in cælum portatam, comitantibus innumeris Angelis cum ſymphonia ſuaviſſima, & lætitia inenarrabili.

MEDITATIO V.

De quinto Myſterio glorioſo.

De Coronatione Beatæ Virginis.

1. CONſidera Beatæ Virginis animam eodem ſplendore & triumpho, quo in cælum aſſumpta eſt, deſcendiſſe de cælo, ut aſcenderet cum corpore. Cogita, quàm illud pulchrum & glorioſum fuerit. Si enim alii juſti ſplendebunt ut Sol, quomodo ſplenduit mater Dei, quæ nunquam peccavit.

2. Conſidera, quanta gloria cum corpore & anima aſcenderit in cælum: qui hymni cantari. quæ lætitia Angelorum, quanta conſolatio antiquorum Patrum fuerit.

fuerit.quanto honore recepta ab iis ſit in cælum.

3. Conſidera, quantum gaudium fuerit Chriſto videre matrem ſuam, quomodo eam manu ſua introduxerit in cælum, quomodo eam ſuper omnes choros Angelorum & Sanctorum evexerit, & ſanctiſſimæ Trinitati præſentarit.

4. Conſidera, quomodo recipiat eam Pater, ut Filiam, Filius ut matrem; Spiritus Sanctus, ut ſponſam ſanctiſſimam, quomodo in ſplendidiſſima ſede ad dexteram filii ſui eam collocent, & pretioſiſſimam coronam ejus capiti omnes tres ſimul imponant, applaudente tota curia cæleſti fauſtis acclamationibus & hymnis.

* * *

AP-

APPENDIX

De modo recitandi Rosarium cum meditatione horum mysteriorum.

QUid sit Rosarium, quæque ejus institutio vel approbatio, vide in libello Sodalitatis Marianæ P. Francisci Costeri, vel in manuali Sodalitatis. Constat autem Rosarium oratione Dominica quinquies, & Salutatione Angelica quinquagies repetita. Quod si ter iteretur, vocatur Psalterium Beatæ Virginis, eò quòd tot in eo sint Salutationes, quod sunt Davidici Psalmi, id est, 150.

Quia autem difficile est oranti Rosarium, ad eadem verba toties repetita attendere, piè institutum est, ut quodlibet Rosarium quinq; mysteriis perficeretur, quibus meditandis, dum os verba proferret mens occuparetur. Ac primò quidem Rosario competunt, 5. mysteria gaudiosa.2.dolorosa,3 gloriosa.

Modus.

Modus autem cum mysteriis recitandi Rosarium potest esse duplex. Primus est, ut antequam decadem aliquam inchoes, mysterium, quod in ea meditandũ est, breviter in mentem revoces, retinendum tamen donec decadem absolvas. Deinde sub initium orationis Dominicæ Deum velut præsentem animo subjicias ut Patrem: sub initium vero salutationis angelicæ, B. Virginem, ut Matrem: quo nimirum imaginatio circa id occupata evagari huc illuc non possit. Vel certe imagineris te ferri per ea loca, in quibus ea mysteria facta sunt, illisq; te præsentẽ esse cogites, ac si oculis tuis haberes proposita. quod magno voluptatis sẽsu fieri potest, sicut otiosi imaginamur aliquando nos totam Galliam vel Italiam percurrere, & mira videre, &c. possunt autem Dominico & Feria 5. expendi mysteria gloriosa. Fer. 4. & 6. dolorosa.

Secundus modus est, ut ad singulas decades Mysterium, quod expendimus in ipsis salutationibus angelicis breviter inseratur hoc pacto.

IN ROSARIO gaudioſo.

Ad decades ſingulas cum ventum eſt ad nomen Ieſus adjiciatur.

AD 1 2 3 4 5 — Quem —
- Virgo concepiſti.
- Viſitando Eliſabeth portaſti.
- Virgo genuiſti.
- In templo præſentaſti.
- In templo inveniſti.

— S. Maria Mater, &c.

IN ROSARIO doloroſo.

Ad nomen Ieſus adjiciatur.

AD 1 2 3 4 5 — Qui pro nobis —
- Sanguinem ſudavit.
- Flagellatus eſt.
- Spinis coronatus eſt.
- Crucem bajulavit.
- Crucifixus eſt.

— S. Maria, &c.

IN

IN ROSARIO

glorioſo.

Ad nomen Ieſus adjiciatur.

AD Qui
1 Reſurrexit à mortuis.
2 In cœlum aſcendit.
3 Spiritum ſanctum miſit.
4 Te aſſumpſit,
5 Te in cœlis coronavit.
S. Maria &c.

Quia vero quodlibet Roſarium concludi ſolet oratione Dominica, & ter ſalutatione Angelica in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis ac ſymbolo Apoſtolorum, vel ut aliis placet, ab iiſdem inchoari.

In I. Rosario post Iesus in salutatione Angelica adjiciatur.

Qui nobis augeat	Fidem rectam. Spem firmam. Charitatem perpetuam.	S. Maria, &c.

In II. Rosario post Iesus adjiciatur.

Qui nobis	Intellectum illuminet. Voluntatem perficiat. Memoriam roboret.	S. Maria, &c.

In III. Rosario post Iesus adjiciatur.

Qui	Dirigat cogitationes. Regat verba. Gubernet opera.	S. Maria, &c.

Finis Meditationum.

INDEX MEDITATIONVM.

ET PRIMO

In omnes Dominicas.

Med. 1. IN festo Circumcisionis, Luc. 2: pag. 18
Med. 2. In festo Epiph. de tribus Magis, Matth. 2. 21
Med. 3. Dom I. post Epiphaniam de ascensu Christi in templum anno duodecimo Luc. 2. 24
Med. 4. Dom. III. post Epiph. de leproso, & Centurionis servo. Matt. 8. 30
Med. 6. Dom. IV. post Epiph. de sedata maris tempestate. Matth. 8. 35
Med. 7. Dom. V. post Epiph. de bono semine, & zizaniis, Matth. 13. 37
Med. 8. Dom. LXX. de operariis in vineam missis, Matth. 20 40
Med. 9. Dom LX. de semine in terram jacto, Matth. 13 42
Med

Med. 10. *Dom. Quinquagesimæ, de passione Christi, & cæco, Luc.* 18. 44
Med. 11. *Feria* 4. *Cinerum, de jejunio & thesauro in cœlo, Matth.* 6. 47
Med. 12. *Dominica* 1. *Quadragesimæ, de tentatione Christi. Matth* 4. 49
Med. 13. *Dom.* 2. *Quadr. de Cananeæ filia, Matth.* 15. 51
Med. 14. *Dom.* 3. *Quadr. de dæmonio muto Luc.* 11. 53
Med. 15. *Dom.* 4. *Quadr. de multiplic.* 5. *panum. Ioan.* 6. 56
Med. 16. *Dom* 5. *Quadr. de immunitate Christi à peccato, Ioan.* 8. 58
Med. 17. *Dom.* 6 *Quadr. de ingressu Christi in Hierusalem, Matt.* 21. 60
Med. 18. *In die Paschæ de apparit. mulieribus facta, Marc.* 16. 63
Med. 19 *Feria* 2. *Paschæ, de apparit.* 2. *discipulis facta, Luc.* 24. 65
Med. 20. *Feria* 3. *Paschæ de apparitione discipulorum congregatis facta, Lucæ* 24. 68
Med. 21, *In octava Paschæ, de apparitione Thomæ cum aliis facta, Ioannis* 20. 71

Med.

Med. 22. *Dom.* 1. *post Pascha, de bono Pastore, Ioan.* 10. 73
Med. 23. *Dom, 3. post Pascha, Modicum & non videbitis me, Ioannis decimo sexto.* 76
Med. 24. *Dom.* 4. *post Pascha. Vado ad eum Ioan.* 6. 78
Med. 25. *Dom.* 5. *post Pascha. Orandum Patrem, Ioan.* 16. 81
Med. 26. *In festo Ascensionis, Marc.* 16. 83.
Med. 27. *Dominica post Ascensionem Cum venerit Paracletus. Ioannis decimo quinto.* 85
Med. 28. *In festo Pentecostes, de missione Spiritus, Act.* 2. 87
Med. 29. *In eodem de Evangelio. Ioannis* 14. 90
Feria 2. *Pentecostes, Sic Deus dilexit mundum.* 92
Med. 30. *Feria* 3. *Pentecost. Ego sum ostium, Ioan.* 10.
Med. 31. *In Festo S. Trinitatis de Nicodemo, Ioan.* 3. 94
Med. 32. *In eodem de mysterio S. Trinitatis.* 100

Med. 33. *In festo corporis Christi, Ioannis 6.* 102
Med. 34. *Dom. 1. post Trin. De divite & Lazaro, Luc. 16* 105
Med 35. *Dom. 2. post Trin. de cœna magna, Lucæ 14.* 109
Med. 36. *Dom. 3. post Trin. de ove perdita, Luc. 15* 111
Med. 37 *Dom. 4. post Trin. Estote misericordes, Luc. 6* 114
Med. 38. *Dominica 5. post Trinitatem Christus docet è navi Petri, Lucæ quinto.* 116
Med. 39. *Dom. 6. post Trin. de justitia Pharisæorum, Matth 5.* 118
Med. 40 *Dom. 7. post Trin de septem panibus, Marc. 8.* 120
Med. 41. *Dom. 8. post Trin. de falsis prophetis, Matth. 7.* 122
Med. 42. *Dom. 9. post Trin. de villico iniquitatis, Luc. 19.* 125
Med. 43. *Dom. 10. post Trinitatem de fletu Christi super Hierusalem, Lucæ decimo nono.* 127
Med. 44. *Dom 11. post Trin. de Pharisæo & Publicano, Luc. 18.* 130

Med.45.*Dom.12.post Trin.de surdo & muto, Matth.7* 132
Med.64 *Dom.13.post Trin de Samaritano & Levita, Luc 10* 134
Med.47 *Dom.14 post Trin.de decem Leprosis, Luc.17* 136
Med 8.*Dom.15.post Trin.de duobus dominis, Matth.6* 138
Med.49.*Dom.16 post Trin de filio viduæ Naim, Luc.7.* 140
Med.50.*Dom 17.post Trin.de hydropico, Luc.14* 142
Med.51 *Dom.18. post Trin.de mandato, Matth.22.* 148
Med.52.*Dom.19.post Trin.de paralytico, Matth.9.* 147
Med.53.*Dom.20. post Trin. de veste nuptiali, Matth 22.* 152
Med.54.*Dom.21.post Trin.de Regu i filio, Ioan.4.*
Med.55.*Dom.22.post Trin.de Rege & servo, Matth.18.* 154
Med 56.*Dom 23 post Trin. de numismate census. Matth.22.* 256
Med.57.*Dom.24.post Trin.de hæmorrhoissa, Matth.9.* 159

Med. 58. *Dom.25,post Tr.de abom.desolationis.Matth 24.* 161
Med. 59 *Dom.26 post Trin. de judicio extremo,Matth.25.* 164
Dominica 1.Adventus,de ingressu Christi in Hierusalem, Matthæi vigesimo primo. 167
Med, 60. *Dom.2.Advent.de signis extremi judicii.Luc.21.* ibid.
Med. 61. *Dominic.3.Adventus,de sancto Ioanne in vinculis, Matthæi undecimo.* 170
Med. 62. *Dom.4.Advent. de legatione ad Ioan.Ioan.1.* 172
Med, 63. *In festo Nativitatis Christi. Luc 21.* 175
Med. 64. *De pastoribus in eodem capite.* 178
Dominica infra 8.Nativ.Erant Ioseph & Maria mirantes,Luc.2. 181

IN

INDEX MEDITATIONUM In festa Sanctorum.

Med. 1. *In festo Purificationis B. Virginis de Purificatione B. Virg. & pueri Iesu præsent. Luc. 2.* 184
Med. 2. *In festo Matthiæ Apostoli Matt.* 12. 187
Med. 3. *In festo Annuntiationis B. Virg. Luc.* 1. 190
Med. 4. *In festo Philippi & Iacobi Apost. Ioan.* 14. 194
Med. 5. *In festo Inventionis S. Crucis, Ioan.* 3. 196
In festo S. Ioannis Baptistæ de S. Ioan. nativitate, Luc. 1. *ib.*
Med. 6. *In eodem de ejus virtutibus.* 199.
Med. 7. *In festo Petri & Pauli, de confessione Petri, Matth.* 16. 202
Med. 8. *In eodem de S. Petri vita.* 205
Med. 9. *In eodem de sancto Paulo Apostolo.* 208
Med. 10. *In festo Visitationis B. Virginis, Luc.* 1. 211

Med.11.*In festo Mariæ Magdalenæ, de conversione ejus. Luc,7.* 215
Med.12 *In festo Iacobi majoris Apostoli, de petitione matris filiorum Zebedæi, Matth,*20. 218
Med.13.*In festo S Laurentii, de grano frumenti, Ioan.*12) 222
Med.14.*In festo Assumptionis B. Virginis de Christo recepto in domum Matthæi, Luc.*10. 225
Med.15.*In eodem de historia Assumptionis B Virg.* 228
Med 16.*In festo S.Bartholomæi, de oratione Chr sti in monte* 230
Med. 17. *In festo nativitatis B.Virginis de genealogia Christi, Matthæi primo* 233.
Med.18.*In exaltatione S,Crucis, de Christi crucifixione, Luc.*12 236
Med.19 *In festo S.Matthæi, de ejus vocatione Matth.*9. 239
Med.20.*In festo sancti Michaelis, De parvulis imitandis, Matthæi decimo octavo.* 242
Med. 21. *In festo Simonis & Iudæ Apostoli, De dilectione mutua & perse-*

scutio-

cutione, Ioannis decimo nono. 244
Med. 22 *In festo omnium Sanctorum, De octo beatitudinibus, Matthæi quinto.* 248
Med. 23. *In eodem de Sanctorum gloria.* 254
Med. 24. *In commemoratione animarum, de pœna purgatorii.* 257
Med. 25. *In festo S. Martini de lumbis præcingendis, Luc. 12* 259
Med. 26. *In festo Præsent. B Virginis, de historia Præsentationis à Ioachim & Anna facta.* 262
Med 27. *In festo S. Catharinæ, de decem Virginibus, Matth. 25* 264
Med. 28. *In festo sancti Andreæ de vocatione Apostolorum, Matthæi quarto.* 267
Med. 29 *In festo S. Nicolai. Sint lumbi vestri Luc. 12* 270
Med. 30 *In festo Conceptionis Beatæ Virginis. De immaculata ejus conceptione.* 272
Med. 13. *In festo S. Thomæ, de ejus conversione. Ioan. 20,* 275
Med. 32. *In festo Sancti Stephani, de occi-*

occisione prophetarum. Matth. 23. 278
Med. 33. *In festo sancti Ioannis Evangelistæ Christus Petrum vult se sequi, & Ioannem manere.* 281
Med. 34. *In festo SS. Innocentum, de fuga in Ægyptum, Matth. 2.* 285
Med. 36. *In dedicatione Ecclesiæ, de Zachæo, Luc. 19.* 290
Med. 37. *In eadem de dedicatione spiritualis templi.* 293

INDEX MEDITATION. De Passione Domini.

Med. 1. *De lotione pedum, Ioannis 13.* 299
Med. 2. *De institutione S. Sacramenti, Matth 26.* 302
Med. 3. *De indicato proditore inter cœnam, Ioan. 13.* 306
Med. 4. *De itinere in hortum Gethsemani, Matth. 26.* 309
Med. 5. *De oratione Christi, & agonia, Luc. 22.* 311
Med. 6. *De proditione Iudæ, Marc. 14.* 314

Med. 7. *De captivitate Christi, Matth. 28.* 317
Med. 8. *De deductione ad Annam, Ioannis* 18. 320
Med. 9. *De deductione ad Caipham, Matth* 26. 323
Med. 10. *De trina negatione Petri, Matthai* 26. 327
Med. 11. *De suspensione Iudæ, Matthæi* 27 329
Med. 12. *De missione Christi ad Pilatum Ioan.* 12. 331
Med. 13. *De examinatione Pilati, Matthai* 27. 3;4
Med. 14. *Pilatus mittit Christum ad Herodem, Luc* 23, 337
Med. 15. *De Barraba Christo prælato. Luc.* 23. 349
Med. 16. *De viso uxoris Pilati. Matth.* 27. 343
Æed. 17. *De flagellatione Christi, Matthai* 27. 345
Med. 18. *De coronatione Christi. Matthai* 27 348
Med. 19. *De aliis accusationibus Christi coram Pilato, Ioan.* 19. 351

Med.

Med. 20. *De Christi Domini nostri condemnatione, Matth 27.* 354
Med. 21 *De crucis bajulatione, Ioannis* 19 357
Med 22. *De Christi crucifixione. Ioannis* 19. 360
Med. 23. *De latronibus cum eo crucifixis, Matth.* 27 362
Med. 24. *De titulo crucis Christi, Ioann.* 19 394
Med. 25. *De divisione vestium Christi, Luc.* 23 367
Med. 26. *De irrisionibus Christi in cruce, Matth.* 27 369
Med. 27. *De primo verbo Christi prolato in cruce, Luc.* 23 371
Med 28. *De* 2. *verbo*, Hodie mecum, *Matthæi* 27 376
Med. 29. *De* 3. *verbo*, Mulier ecce *Ioann.* 19. 379
Med. 30. *De* 4. *verbo* Eli, Eli, *Matthæi* 27. 381
Med. 31 De *quinto verbo*, Sitio, *Ioannis* 19 384
Med. 32. De 6. *verbo*. Consummatum est, *Ioan.* 19. 386

Med.33. *De 6. verbo.* Pater in manus tuas *Matth.27.* 388
Med.34. *De signis mortem Christi secutis. Matth.27* 391
Med.35. *De conversione Centurionis. Matthæi 27* 393
Med.36. *De latere Christi aperto, Ioan.19.* 396
Med.37. *De depositione de cruce, Matthæi 27* 398
Med.38. *De sepultura Domini Ioannis* 19. 401
Med.39. *De custodia sepulchri, Matthæi 27.* 404
Med.40. *De descensu Christi ad limbum Patrum, Ephes. 4.* 406

INDEX MEDITATIONUM RESIDUARUM DE CHRISTI vita, quæ non incidunt, in Dominicas vel Festa.

Med.1. *De æterna Christi generatione, Ioannis* 1. 409
Med.2. De *filii Dei Incarnatione, Ioannis* 1. 413

Med.3. *De Virginitate B. Virginis Iosepho revelata, Matth.* 1. 416
Med 4. *De vita Christi à 12. anno ad 30. Luc.* 2. 420
Med. 5. *De prædicatione Ioannis Baptistæ, Matth.* 3. 423
Med. 6. *De baptismo Christi. Matthæi* 3. 426
Med. 7. *De vocatione primorum quinque discipulorum, Ioan.* 1 429
Med 8. *De ejectis templo vendentibus. Ioannis* 2. 435
Med. 9 *De colloquio Domini cum Samaritana, Ioan.* 4. 438
Med. 10. *De initio prædicationis Christi, Matth* 4. 444
Med. 11. *De socru Simonis, Matthæi* 8. 447
Med. 12. *De paralytico ad piscinam sanato Ioan.* 5 449
Med. 13. *Nazareni Christum volunt præcipitare, Matth.* 13. 453
Med. 14. *De electione duodecim Apostolorum, Marc.* 3. 456
Med. 15. *De ambulatione Christi super aquas, Matth.* 14, 459

Med.

Med. 6. *De transfiguratione Domini, Matthai 17.* 463
Med. 17. *De sanato lunatico, Marci nono.* 466
Med. 18. *De muliere adultera, Ioannis 8.* 469
Med. 19. *De cæco nato Ioan. 9.* 473
Med. 20. *De adolescente divite, Matthai 19* 475
Med. 21. *De Lazari suscitatione, Ioannis 11.* 479
Med. 22. *De filio prodigo, Luca decimo quinto.* 483
Med. 23. *De cœna apud Bethaniam, Matthai 26* 486
Med. 24. *De ficu arefacta, & altera eiectione vendentium è templo, Luca 19.* 489

De apparitionibus residuis post resurrectionem.

Med. 25. *De apparitione facta Beata Virgini.* 494
Med. 26. *De apparitione facta Maria Magdalena, Ioan. 20* 497

Med. 27. *De apparitione facta septem discipulis piscantibus, Ioannis vigesimo primo.* 500
Med. 28, *De apparitione in monte Galilaa, Matth. 28.* 504

INDEX MEDITATIONUM De communi Sanctorum.

Med. 1. *De communi Apostolorum, Matthai 9.* 507
Med. 2. *de iisdem.* 512
Med. 3. *De Sanctis Martyribus, Ioannis 15.* 517
Meditat. 4. *De Sanctis Confessoribus.* 521
Med. 5. *De Sanctis Virginibus.* 524

INDEX MEDITATION. DE Dei Beneficiis.

Med. 1. *De beneficio creationis.* 527
Med. 2. *De beneficio conservationis,* 531
Medit. 3. *De beneficio redemptionis,* 533

Med.

Med. 4. *De beneficio vocationis ad fidem Catholicam.* 537
Med. 6. *De beneficiis particularibus cuique propriis.* 539
Med. 7. *De beneficio æternæ prædestinationis.* 542
Med. 8. *De beneficio vocationis ad religionem.* 544
Med. 9. *De novem bonis vitæ religiosæ.* 548

INDEX MEDITATIONUM de peccatis.

Med. 1. *De gravitate peccatorum ex parte Dei.* 554
2. *De eadem ex parte Christi.* 557
3. *De eadem ex parte dæmonum.* 560
4. *De eadem ex parte effectuum.* 563

INDEX MEDITATIONUM De miseriis vitæ humanæ.

Med. 1. *De miseria naturæ humanæ.* 566
2. *De brevitate humanæ vitæ,* 569

3. De incertitudine humanæ vitæ, 572
4. De fragilitate humanæ vitæ. 57[illegible]
5. De inconstantia humanæ vitæ 578
6. De fallacia humanæ vitæ. 581
7. De multitudine miseriarum hujus vitæ. 583

INDEX MEDITATIONUM De quatuor Novissimis.

Med. 1. De morte. 587
2. De morte Iustorum & piorum. 592
3. De judicio particulari. 59[illegible]
4. De judicio universali, Matthæi vigesimo quinto. 598
5. De inferno. ibid.
6. De cœlesti gloria. 60[illegible]

INDEX MEDITATIONUM De S. Eucharistia.

Med. 1. De excellentia Sanctissimi Sacramenti. 606
2. De causis instituti Sacramenti. 609
3. De dignitate qua homini accedit ex hoc Sacramento. 611
4. De effectibus hujus Sacramenti. 614
5. De præparatione ad hoc Sacramentum. 616
6. De fine vel intentione communicantis. 619
7. Quid in communione, & post eam considerandum. 622
8. De frequentanda communione. 624

INDEX MEDITATIONUM, De Sacerdotis dignitate & officio.

Med. 1. De dignitate Sacerdotum generatim. 626

2. De causa dignitatis Sacerdotum novæ legis. 629
3. De virtutibus Sacerdotis juxta S. Paulum. 633
4. De præstantia fidei & spei in Sacerdote. 636
5. De Charitate quâ flagrare debet Sacerdos. 640
6. De humilitate Sacerdoti necessaria. 643.
7. De castitate Sacerdoti necessaria 647
8. De frequentanda celebratione Missæ, 651
Indulgentia concessa à Gregorio XIII. Pontif. cuilibet Sacerdoti celebranti. 654

INDEX MEDITAT. DE VOtis Religiosorum.

Med. 1. De præstantia votorum. 655
2. De utilitate votorum. 658
3. De præstantia paupertatis religiosæ, 661.
4. De utilitate ejusdem. 664
5. De præstantia castitatis religiosæ. 667

6. *De utilitate religiosæ castitatis.* 671
7. *De præstantia religiosæ obedientiæ.* 674.
8. *De utilitate religiosæ obedientiæ.* 736
Meditationes de 15. *mysteriis Rosarii B. Virginis.* 689.

FINIS.

APPROBATIO.

ENCHIRIDION hoc piarum Meditationum per R. P. JOANNEM BUSÆUM Societatis JESU Presbyterum concinnatum, dignum judico, quod recudatur, & ad pietatem in animis fidelium excitandam luce donetur. Actum 15. Decembris, Anno 1643.

Caspar Estrix Pleb. & Can. Ant. Librorum Censor.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
PROVINCIÆ
FLANDRO-BELGICÆ

EGo infrascriptus Societatis Iesu in Flandro - Belgica Provincialis facultatem concedo, ut Meditationes R. P. Busæi, eiusdem Societatis IESV typis mandentur. Datum Lovanii 15. Decembris. Anno 1643.

ANDREAS JUDOCI.

APPROBATIO Ordinarii.

ENCHIRIDION Piarum Meditationum, R. P. JOANNIS BUSÆI Societatis JESU Presbyteri dignum censeo, ut ad promovendam in Animis omnium Pietatem, recudatur Coloniæ, 7. Februarii, 1663.

Eremitae Camal: Insulae Viorensis

FERDINANDVS Strobelius
S. T. Dr. Canonicus Eccles. Metropolitanæ, Librorum Censor Ordinarius.

MEDITA
TIONES